BEATA VIRGO MARIA

IN SUO CONCEPTU

IMMACULATA

EX

MONUMENTIS

OMNIUM SECULORUM

DEMONSTRATA.

ACCEDIT AMPLISSIMA LITERATURA.

AUCTORE
AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,
EPISCOPO NITRIENSI.

TOMUS V.

MONUMENTA E SEC. XIX. SIGNANTER RESPONSA AD ENCYCLICAM ANNI 1849 EX VARIIS REGNIS AC PROVINCIIS COMPLECTENS.

BUDAPESTINI
TYPIS ATHENAEI.
1874.

Conspectus Tomi V.

Continuatio Monumentorum Marianorum Epochae II Seculi XIX: a 2 Febr. 1849 usque 8 Dec. 1854.

		Pag.
	Introductio historica	**IX—LXXXVI.**
Mon.		
918—927.	***Responsa Praesulum*** ad Encyclicam Pontificiam anni 1849 ex *Belgio:*	
	Eppi: *Gandavensis,* cum litera pastorali; *Leodiensis*	**1. 2. 5.**
	Mechliniensis, cum epistola pastorali, et sententia *de modo pingendi BMV.*	**6. 7. 9.**
	Ruremundanus, Tornacensis, Namurcensis	**14. 15. 16.**
	Brugensis (Malou)	**17.**
928—933.	***Responsa*** *ex Hollandia:*	
	Vicarii: Buscoducensis, Bredanus, Luxemburgensis	**21. 22. 23**
	Bataviensis, Missionarii . . .	**24. 25**
934—979.	***Responsa*** ex *Hispania:*	
	1. *pro defin. absoluta.* Eppi: Cauriensis, Cartaginensis, Legionensis . .	**26. 28. 30.**
	Palentinus, Terulensis, Burgensis	**32. 34.**
	Vicensis, Ilerdensis, Almeriensis	**36. 38. s.**
	Tudensis, Vallisoletanus, Segobiensis	**44. s. 48**
	Pacensis, Auriensis, Canariensis	**50. 52. 54.**
	Oxomensis, *Valentinus,* Oroliensis	**56. 58. 67.**
	Abulensis, Santandericusis, Derthusensis	**68. s. 72.**
	Iaciensis, Pampelonensis, Seguntinus	**73. 77. 82.**
	Cordubensis, Ovetensis, Compostellanus.	**82. 89.**
	Habanensis, Urgellensis, *Malacitanus*	**91. 106. 109.**

Mon. | | Pag.

Gibraltariae, Gerundensis, Giennensis . , ... 122. s. 126.
Tirasonensis, Barbastrensis, *Caesaraugustanus* . . . . 128. s. 130.
Gadicensis, *Toletanus,* Segobricensis . . . . 136. s. 149.
Ebusiens's, *Granatensis, Conchensis* 151. s. 160.
2. *pro defin. conditionata:* Lucensis, Zamorensis, Tarraconensis . . 175. 177. s.
Maioricensis . . . . 179.

980—1001. *Responsa* ex *Portugallia:*
1. *pro decis. absoluta:* Capoverdensis, Pacensis, Pinelensis . . . . . 185. s. 187. s.
Elvensis, Angrensis, *Algarbiensis* 189. 191. s.
Portucalensis, Funchalensis, Conimbricensis . . . . 210. ss. 213.
Macaurensis, Mytilenensis, Aegitaniensis . . . . 215. 217.
Eborensis, Vic. Conimbricensis, Visensis . . . . 217. 219. 222.
Leriensis, Albicastrensis . . . 226. 228.
2. *pro defin. conditionata:* Braccarensis, Olyssiponensis, Lamacensis . 228. 230. 233.

1002—1011. *Responsa* ex *Hibernia:* Casseliensis, Alladensis, Corcagiensis . . . 233. 235. s.
Elphinensis, Midensis, Armachanus . . . . 236. ss.
Dublinensis, Clonfertensis . . 239. 241.
Ex Plenaria Synodo *Thurlesensi* omnes Eppi . . . . 244.
Eppus Rosensis post Synodum electus . . . . 245.

1012—1019. *Responsa* ex *Anglia, Scotia, Svecia:*
Vic. Orientalis, et Centralis, item *Walliae* . . . . 249. ss.
Vic. Sveciae, AEppus Westmonasteriensis . . . . 256.
Ep. Suthwarcensis, Vic. Scotiae, Vic. Edinburgensis . . . . . 258. 260. 262.

1020—1039. *Responsa* ex *Germania:*
1. *pro decis. absoluta:* Passaviensis, Rottenburgensis, Varmiensis . . 264. s. 267.
Fuldensis, Spirensis, Herbipolensis . . . . 269. 271. 274.
Limburgensis, Ratisbonensis, Parochi Anhaltini . . . . 275. 277. 279.
Monasteriensis, Trevirensis, *Coloniensis* . . . . 281. ss.
2. *pro defin. conditionata* · [illegible]sis, Paderborne[illegible] 286. 288.

Mon.		Pag.
	3. *contra definitionem*: Bambergensis, Vratislaviensis, Hildesiensis . .	290. 292. 295.
1040—1045.	*Responsa* ex *Helvetia*:	
	1. *pro definitione*: Basileensis, Curiensis, *Sedunensis*	296. 299.
	Agaunensis, Lausannensis . . .	313. s.
	2. *contra decisionem*: Sangallensis .	316.
1046—1070.	*Responsa* ex *Imperio Austriaco* (et *R. Lombardo-Veneto.*)	
	1. *pro decisione absoluta*: Veronensis, Utinensis, Feltriae	318. s. 322.
	Spalatensis, Linciensis, *Tarvisinus*	324. 326. 330.
	Patavinus, Clodiensis, Cenetensis, Sibenicensis	347. ss.
	Patr. Venetus; Brixiensis, Iadrensis	350. 354. s.
	Mantuanus, Bergomensis, *Mechitaristarum*	357. ss.
	Tarvisinus (novus)	368.
	2. *pro defin. conditionata:* Mediolanensis (subin pro absoluta def.) . .	369.
	Tergestinus et Iustinopolitanus .	373.
	3. *contra decisionem*: Goritiensis, Salisburgensis, Adriensis	374. 376. 378.
	Eppi Bohemiae, et Moraviae . .	380. 382.
1071—1097.	*Responsa* ex *Hungaria*:	
	1. *pro decis. absoluta*: Q. Ecclesiensis, Sabariensis, Colocensis . .	387. s. 390
	Vic. Capit. Agriensis	393
	2. *pro decis. conditionata*: Vic. Cap. Scepusiensis	394.
	3. *contra decisionem*: Szathmáriensis	397.
	4. *responsa a. 1854 depromta*: Provocatio Card. AEppi Strigoniensis	401.
	a) *pro def. abs.* Agriensis, Q. Ecclesiensis, Neosoliensis, Csanadiensis	401. ss.
	Transilvaniensis, Cassoviensis, Fogarasiensis	405. 407
	Eperjesiensis, Weszprimiensis, Vaciensis	410. s.
	Iaurinensis	412.
	b) *pro def. condit.* Colocensis, Scepusiensis . . , ...	414. s.
	c) *contra defin.* Albaregalensis, Sabariensis, Rosnaviensis . . .	419. s.
	Primas Hungariae praemissa responsa exhibet Summo Pontifici	421.

Num.		Pag.
1098—1105.	*Responsa* ex *Graecia*: Chiensis, Sanctorinensis, Syrensis	422. s. 425.
	Tenensis, *Corcyrensis*, Zacynthiensis, Naxiopariensis	426. 432. s.
1106—1115.	*Responsa* ex *Turcia Europaea.*	
	1. *pro defin. absoluta*: Alexiensis, Antibarensis	434. s.
	Sophiae in Bulgaria, Dyrrachiensis, Scopiensis	436. s.
	Primas Armenus CPnus, Sappatensis	438. 440.
	Scodrensis, Bosniae Vic. Apost. .	440. s.
	2. *contra definitionem*: Vic. Ap. Patr. CPni	442.
1116—1152.	*Responsa* ex regnis *Asiae.*	
	1. *pro decis. absoluta*: Smyrnensis, M. Libani Delegatus, Patr. Maronit, .	444. ss.
	Vic. Huquangensis, Malabariae, Patnensis	449. ss.
	Patr. Melchitarum, Vic. Calcuttensis, Bombaiensis	452. s.
	Vic. Madurensis, Mongolensis, Patr. Antioch. Syr.	453. ss.
	Vic. Malacensis, Nankinensis, Avae et Pegu	455. ss.
	Vic. Columbi, et alii in Sinis . .	458. ss. 468. ss.
	Ep. Patarenus, Patr. Babyloniae Chaldaeorum	463. s.
	Ep. Hispahanensis, Vic. Agrensis .	469. 471.
	2. *contra decisionem*: Vic. Mayssurii, et Coimbatorii in Indiis	474. s.
1153—1157.	*Responsa* ex *Africa*: Ep. Algeriensis, Vic. Tunitanus, Abyssiniae . . .	479. 481.
	Ep. Portus Ludovici, Par. Tripolitanus	482. s.
1158—1160.	*Responsa* duorum Praesulum *in part. infid.* Hesebonensis, et *Patr. Latini Alexandrini*	485.
1161—1234.	*Responsa* ex *America.*	
	a) *pro definitione*: Eppi Septemtr. e *Concilio Baltimorensi VII* . . .	495.
	Buenos-Ayres, Portorico, Linariensis, Olindensis	496. s. 498. 500.
	Paraensis, Sonorae, *Urvguanensis*	503. 510. s.
	Neo-Pampilonensis, Halifaxiensis, *Iucatanensis*	529. s.
	S. Dominici, Bahiensis, Cuyabaensis	564. 566. 571.

Mon.		Pag.
	Popajanensis, Panama, Portus Hispanici	572. 574. s.
	Antequera, S. Fidei, eiusque Suffraganeus	576. 578.
	Quebecensis, S. Caroli de Ancud, Guayaquilensis	583. ss.
	S. Marthae, Antiochensis, Vic. Mexicanus	586. s. 589.
	Vic. Monteregiensis, Ep. Goyasensis, Guadalaxar.	590. 592. 594.
	Cochabambensis, *Durangensis*, Emeritensis	595. s. 608.
	Vancouveriensis, Guaianensis, Sydneyensis	610. 612. s.
	Plures Vicarii, et AEppus Limanus	614. s.
	S. Crucis de Sierra, *Cuzquensis*, Guyanae	618. 622. 639.
	S. Salvatoris, Paraquariensis, Portus Hispanici	640. s.
	b) *contra definitionem*: Chiapensis, et Guatimalensis	644. 647.
1235—1240.	*Responsa* ex *Oceania, Australia* .	648.
1241—1267.	*Postulata Capitulorum, Regularium* etc. Cap. Venafranum, Aeserniense	655. 657.
	Cap. Luccanum, *Guadalupense*, Massiliense	658. 661. 667.
	Clerus et populus Calliensis in Statu Pontificio	668.
	Cap. Vaticanum, Clerus et populus Turritanus	674. s.
	Cap. de la Plata, Sacerdotes Neap., Cap. Lateran.	677. 679. s.
	Capucini Aesernienses, et *Genuenses*	682. 685.
	Minores de Observantia, *Trappistae*	690. 692. s.
	Benedictini Einsidlenses, *Soc. Iesu*, *Oblati*	693. 695. ss.
	Proc. Gener. *Cisterciensium*, *Redemtoristae*	701. 719.
	Clerici Regulares, *Carthusiani*, *Canonici Reg.*	721. s. 724.
1268.	Decretum *S. Rit. Congr.* circa *novum officium Imm. Conc.* 1850	728.
1269. 1270.	Societas ab *Aurea Corona* 1852	729.
1271.	*Syn. Philadelphiensis IV.* a. 1853	732.
1272.	*Card. Mechliniensis* de pia precatione ab se composita	733.

Errata				Corrigenda.
p.	11.	lin.	26. pallis	pallio
—	36.	—	18. *post*: fiet *adde*: tranquillitas magna Tunc serpens antiquus, qui est diabolus	
—	62.	—	16. *post*: integrum *adde*: exscribit	
—	126.	—	1. festivitati	falsitati
—	139.	—	5. ex	et
—	231.	—	8. Mariorelli	Martorelli
—	325.	—	25. congregavi	congregari
—	336.	—	penult. nos	non
—	378.	—	1. *post*: easdem *adde*: de	
—	386.	—	20. quam	quum
—	495.	—	28. 1161—1231	1161—1234.
—	515.	—	4. amantissima	amantissime
—	551.	—	5. derisatae	derivatae
—	597.	—	7. labe	late
—	630.	—	26. fideri	fidere
—	688.	—	18. obarato	oboerato
—	701.	—	14. Thoebaldum	Theobaldum
—	704.	—	31. iraditio	traditio

Introductio historica.

Ulteriora Responsa Praesulum ad Encyclicam Pontificiam anni 1849.

F. Responsa ex Belgio et Hollandia.

Omnes Belgii Eppi et Hollandiae Vicarii ac Missionarii Apostolici pro definitione absoluta suam depromserunt sententiam.

Eppus *Gandavensis* a. 1849 e Synodo dioecesana suam et dioeceseos suae persvasionem candide aperuit Summo Pontifici: *ut id, quod populo fideli indubitatum est, quod Sedes Apost. tot decretis et privilegiis illustravit, quod Deus O. M. nostris diebus tot signis confirmare non cessat, quod viri ingenio virtuteque praestantes doctis ac laboriosis scriptis magno argumentorum e locis theologicis depromtorum pondere probarunt, immaculatum BV. conceptum tamquam fidei cath. dogma definiat.* Argumentum hoc *pastorali* etiam epistola pertractavit idem Praesul. *(Mon.* 918. 919. p. 1. 2.)

Eppus *Leodiensis* a. 1849 eiusdem tenoris preces direxit ad Summum Pontificem. *(Mon.* 920. p. 5.)

Card. AEppus *Mechliniensis* a. 1849 de pia opinione in dioecesi Mechliniensi vigente referens, exponit, in vicinis Galliae ac Hollandiae regionibus non deesse viros, qui ex definitione huius doctrinae scandala oritura praemetuant, imo etiam de vera traditione dubitent quoad hanc quaestionem. Interim suam et suorum dioecesanorum convictionem ac postulatum in eo exprimit, ut tam conceptus immaculatus quam *corporea in coelos assumtio B Virginis* solemni decreto definiatur: in decreto tamen ad obstruendum os adversariorum clare ac dilucide divina exponatur traditio, ut omnibus

pateat, nil novi statui, sed antiquam Ecclesiae fidem unice declarari et confirmari. (*Mon.* 921. p. 6.)

In epistola *pastorali* eiusdem anni pro historia huius piae fidei memorat Card. AEppus: post medium Seculi XVII ad propositionem antecessoris sui *Andreae Cruesen* per Comitia *Brabantiae* festo Conceptionis *solemne votum* in Ecclesia Dominicanorum Bruxellensi nuncupatum fuisse *de tuenda immac. Conceptione;* et ab eo tempore piam sententiam in scholis theologicis constanter propugnatam fuisse, novissime *Catechismo Dioecesano* insertam. (*Mon.* 922. p. 7.)

Idem Cardinalis paucis ante ipsam definitionem (1854) diebus concinnavit eximium libellum *de modo pingendi BVirginem sine labe conceptam*, eo scopo, ut insigne privilegium Mariae collatum per tabulas pictas repraesentetur, et in Ecclesiis exponatur, quo nimirum fideles imaginibus oculis subiectis excitati ad Sanctorum imitationem vitam moresque suos facilius componere discant. (*Mon.* 923. p. 9.)

Administrator Apostolicus *Ruremundanus* a. 1849 in epistola ad Nuntium Apostolicum hodie quaestionem de imm. conceptione, tantopere olim agitatam, extinctam, et Deiparam uti sanctam et immaculatam ubique coli ac invocari asserens, stricte non videt necessitatem definitionis: sed, quum quaestio revixerit, et per Summum Pontificem sensus Epporum exquiratur, eam omnino definiendam censet, et quidem affirmative, videlicet BVirginem sine originali labe fuisse conceptam. (*Mon.* 924. p. 14.)

Eppus *Tornacensis* a. 1853 literis ad Card. Praef. de Prop. Fide exaratis, primum excusat se, quod responsum ad Pontificiam Encyclicam tamdiu distulerit, eo, quod circa momenta, quibus definitio dogmatica inniti debet, dubius aliquantulum haeserit: dein declarat, exoptare se definitionem dogmaticam, quae Eppi et universi cleri ac fidelium vota cumulet. (*Mon.* 925. p. 15.)

Eppus *Namurcensis* a. 1854 occasione visitationis liminum Apostolorum, et praestitae relationis de statu suae Ecclesiae diserte enunciavit, sibi et clero ac populo suo iucundissimum fore, si solemni decerneretur iudicio immac. conceptio BV. (*Mon.* 926. p. 16.)

Eppus *Brugensis* (Malou), qui etiam erudito opere super hac quaestione typis vulgato inclaruit, a. 1854 non multis ante definitionem diebus suum votum instar responsi ad Encyclicam Pontificiam depromsit. Affirmat, *se qua Professorem in Univ. Lovaniensi immac. conceptum BV. pro viribus propugnasse:* tum quod unanimis a quinque circiter seculis Pastorum ac fidelium consensus desuper existat, tum quod monumenta traditionis catholicae scripto mandata et multa et perspicua sint; siquidem nullum sit dubium, SS. Patres ita de sanctitate Deiparae saepe saepius disserere, ut omnem labem originalis peccati ab ea excludant; porro Concilia *Basileense* ac *Tridentinum*, liturgia Ecclesiae, lex Romanae S. Sedis, ne quis imm. conceptionis sententiam impugnare audeat, demum angustiae, in quas piae sententiae impugnatores devenere, totidem sint monumenta catholicae traditionis, asserique absque temeritate possit: *nullum argumentum sive e Scriptura sive e Traditione depromi, quo immac. conceptio BV. manifeste impugnaretur.* Ad quaestionem, num pia sententia veluti dogma fidei definiri possit, respondet doctissimus Praesul: *traditionem catholicam a Patribus transmissam, et Ecclesiae sensu, cultu, praxi, auctoritate explicatam, tam clare manifestare divinam revelationem, ut fundamentum certum fidei hac in re administret;* in Gallia et nonnullis Germaniae regionibus communem fuisse post receptum Conc. Basileensis decretum opinionem de quaestione iam definita; Patres Tridentinos a directa et explicita definitione ideo solum recessisse, quod controversias a catholicis inter se agitatas dirimere noluerint; controversiam hodie iam eo devenisse, ut Ecclesia rem definitura id unice agere debeat, quo factum omnibus manifestum declaret; *a scopo aberrare eos, qui inquirunt, num definitio opportuna sit futura respectu haereticorum, cum pro his nulla fidei definitio opportuna sit;* respectu catholicorum autem maximam esse opportunitatem, tantamque esse fidelium fiduciam ac spem obtinendae definitionis, ut haec in aliud tempus differri iam nequeat sine dispendio avitae erga BVirginem devotionis. *(Mon.* 927. p. 17.)

Vicarius Apost. *Buscoducensis* a. 1849 pro absoluta definitione dicit sententiam, per totum clerum et fidelem populum expetitam, *nilque iis obventurum sanctius affirmat, quam ut per sacratissimum S. Sedis oraculum BVirgo laudatissimo ornetur titulo.* (*Mon.* 928. p. 21.)

Vic. Apost. *Bredanus* a. 1849 prout praecedens. (*Mon.* 929. p. 22.)

Provicarius Apost. *Luxemburgensis* a. 1849 suo et Vicarii nomine refert, totam regionem Luxemburgicam incredibili fere devotione BVirgini addictam, unanimi consensu eam ut immaculate conceptam venerari, optareque, ut definitio explicita piae fidei accedat. (*Mon.* 930. p. 23.)

Vic. Ap. *Bataviensis* a. 1850 uti Bredanus. (*Mon.* 931. p. 24.)

Missionarii Districtuum Hollandiae a. 1849 in literis ad Internuntium S. Sedis profitentur, tanta cum certitudine coli illic BVirginem sine labe conceptam, ut mirarentur, si nunc primum iudicium solemne desuper proferri audirent. (*Mon.* 932. p. 24.)

Missionarius Tubantiae in eadem Hollandia a. 1849 aeque ad Internuntium scribens, iisdem fere verbis suam proponit sententiam, ac Missionarii ceteri Hollandiae. (*Mon.* 933. p. 25.)

G. Responsa ex Hispania.

a) *pro absoluta definitione.*

Hispaniae Praesules, prout et Reges, universamque nationem non modo singulari cultu Mariano, verum etiam firmissima convictione de veritate mysterii immac. conceptionis, et iterata definitionis apud S. Sedem sollicitatione se distinxisse, priorum seculorum historia, et Monumenta hactenus a nobis exhibita sat superque commonstrant. His sensis ac studiis huius quoque seculi Eppi in Hispania animati fuere, prout e responsis ad Encyclicam Pontificiam datis colligere licet: vix enim unus alterve e Praesulibus inventus fuit, qui absolutae definitioni contrarium se exhibuisset.

Eppus *Cauriensis* a. 1849 postquam retulisset *de more in patria usitato salutandi B Virginem tamquam purissime ac immaculate conceptam*, item *in scholis ad propugnandam piam doctrinam iuramenti religione se obstringendi:* admirationem exprimit, tantum mysterium semper adhuc manere indefinitum; eam porro ait super veritate mysterii apud fideles Hispanos inveniri convictionem, ut *sola dubitationis umbra tamquam illicita* videretur. (*Mon.* 934. p. 26.)

Eppus *Cartaginensis* a. 1849 provocat ad literas iam antea S. Sedi missas, quibus et fidem suam indicaverit, et convenientiam definitionis dogmaticae exposuerit, et apostolicum oraculum super pia doctrina postulaverit: huic voto nunc quoque se insistere declarat, cum agatur *de veritate ab ipsis antiquitatis seculis edocta, pia traditione enutrita, a veteribus et recentioribus doctoribus, etiam ex Praedicatorum Ordine, vindicata, omniumque christianorum, praecipue Hispanorum cordibus profunde inhaerente.* Addit, *recentissime suis clerique auspiciis coadunatam fuisse sodalitatem ad fundendas preces pro citissima et desideratissima definitione immac. conceptionis.* (*Mon.* 935. p. 28.)

Eppus *Legionensis* a. 1849 opportunitatem cumprimis definitionis in medium adfert: cum in tanta errorum, calamitatum ac perturbationum, quibus undique quassamur, mole tota spes nostra reponenda sit in illa potentissima Virgine, quae draconem contrivit, haereses interemit, et ad cuius nutum coelorum thesauri dispensantur. (*Mon.* 936. p. 30.)

Eppus *Palentinus* a. 1849 verbis ex postulatione Regis *Caroli III* ad *Clementem XIII* pro impetrando Mariae Patronatu porrecta desumtis *devotionem Hispanorum erga mysterium immac. conc. appellat proverbialem, perpetuam, innatam,* porro *a theologis Hispanis iam per trium seculorum decursum edote et pie sustentatam, et pro dogmatica decisione maturam declaratam.* (*Mon.* 937. p. 32.)

Eppus *Terulensis* a. 1849 *biblica* potissimum argumenta illustrat, et immac. conceptionem firmiter credi a fidelibus affirmat. (*Mon.* 938. p. 32.)

AEppus *Burgensis* a. 1849 memorat, Hispaniae Antistites cum clero et populo semper eo omnes vires intendisse, ut,

quo magis hostis humani generis in BVirginis cultum saevire voluit, eo magis immaculata eius conceptio recoleretur, ita, ut absque haereeis nota ne in dubium quidem vocari posset. Inde quoque haud leve desumit argumentum, quod *supponi non possit, Summos Pontifices, dum innumeris gratiis ac favoribus pios imm. conceptionis cultores prosequerentur, id sine praevia causae cognitione fecisse, seu quin prius de veritate mysterii convincerentur.* Absolutam definitionem exorat. (*Mon.* 939. p. 34.)

Eppus *Vicensis* a. 1849 pro absoluta definitione. (*Mon*. 940. p. 36.)

Eppus *Ilerdensis* a. 1849 prout Cauriensis. (*Mon.* 941. p. 38.)

Eppus *Almeriensis* a. 1849 et *biblicis* et *congruentiae* argumentis pugnat pro pia doctrina, explicando uberius praecipuas S. Scripturae locutiones, quas Ecclesia BVirgini applicat; perquirit etiam sensum Ecclesiae, signanter ex *oratione*, quae *de immac. conc. in officio proprio* legitur, concluditque *Ecclesiam, quae ita orat ut credit, praeservationem a peccato originali tamquam medium opportunissimum semper credidisse ad dignam Matrem Filio Dei parandam* („Deus, qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti etc.“); demum impleta esse ait tempora, horam venisse opportunam, ut originalis puritas Matris Dei inter fidei dogmata numeretur. (*Mon.* 942. p. 39.)

Eppus *Tudensis* a. 1849 uti Vicensis. (*Mon.* 943. p. 44.)

Eppus *Vallisoletanus* a. 1849 exponit historiam eorum, quae in Hispania pro impetranda a S. Sede definitione mysterii acta fuere, et declarat, tum a se tum ab universa dioecesi decretum de imm. conceptu, quocunque demum modo latum fuerit, summa animorum iubilatione esse excipiendum. (*Mon*. 944. p. 45.)

Eppus *Segobiensis* a. 1849 commemorat *statutum, vi cuius et Eppus et Canonici in sua inauguratione iurare debent, se immac. conceptionem Mariae defensuros.* (*Mon.* 945. p. 48.)

Eppus *Pacensis* a. 1849 uti Cauriensis, *digitum Dei esse confitens, quo inspirante Pontifex sublime ceperit consilium ferendae definitionis,* in doctrina, quae iam per XII

secula in universa Ecclesia quieta fruitur possessione. *(Mon.* 946. p. 50.)

Eppus *Auriensis* a. 1849 mira concordia eodemque spiritu omnes una secum in sententiam abire Summi Pontificis, definitionemque orare exponit. *(Mon.* 947. p. 52.)

Eppus *Canariensis* a. 1849 singularem esse sua in dioecesi devotionem erga immac. conc. BV. affirmat, occasione sacramentalis confessionis quoque conspicuam, dum *poenitentes, antequam confessionem faciant, et SS. Sacramentum et immac. Conc. salutant;* rem ad plenam claritatem iam esse deductam, millenis prolatis in propugnationem mysterii argumentis, sique post tanta tamque insignia argumenta et universalem populi fidem adhuc dubitare liceret de veritate doctrinae huius, statuendum fore, quod universa fidelium congregatio in errore maximo versetur, quod universus fidelis populus a vero cultu discesserit et in falsum declinaverit, non solum non reclamante Ecclesia docente cum suo Capite sed etiam propellente, quod alioquin idem esset ac Ecclesiam deficere et portas inferi praevalere. *(Mon.* 948. p. 54.)

Eppus *Oxomensis* a. 1849 ut Auriensis, una postulans, ut *corporea BVirginis assumtio in coelum* tamquam dogma fidei definiatur. *(Mon.* 949. p. 56.)

AEppus *Valentinus* a. 1849 notatu dignas inseruit suo responso observationes historicas: signanter de *SS. Vincentio Ferrerio, Thoma a Villanova, Petro Paschasio, Ludovico Bertrando* Ord. Praed. qualiter nimirum omnes hi piissimam sententiam propugnare et propagare adnisi fuerint; qualiter porro apud *Ordinem Praedicatorum* pia opinio non modo aditum invenerit, sed et defensa extiterit, hac in summitate altaris *Ecclesiae Valentinae* apposita inscriptione: *Maria Virgo ab omni peccato originali immunis fuit;* qualiter *a. 1530 concionator quidam* (Moner) *contrariam opinionem in suggestu sacro vindicare contendens, voluntate Capituli et Magistratus in exilium pulsus, et in reparationem iniuriae mox sequente die sacrum solemne votivum per Dominicanum sacerdotem celebratum, iuramentum pro tuenda pia sententia ab omnibus nuncupatum, denique in Universitate studii Valentina statutum fuerit, ut deinceps doctores et magistri simile emittant iura-*

mentum; qualiter item Principes Civiles in Hispania per constitutiones suas pragmaticas fidem piam promovere studuerint etc. Altera quoque pars responsi Valentini attentionem meretur, in qua suam sententiam de assertione pia velut iam fidei proxima, et definibili uberius proponendo, cumprimis S. Scripturae textus de Maria sonantes illustrat ampliore commentario, et petit doctrinam hanc irreformabili iudicio Pontificio decidi. (*Mon.* 950. p. 58.)

Eppus *Oroliensis* a. 1849 uti Oxomensis, *mortem ipsam pro defensione mysterii lubenter se subiturum* affirmans. (*Mon.* 951. p. 67.)

Eppus *Abulensis* a. 1849 uti Oroliensis. (*Mon.* 952. p. 68.)

Eppus *Santanderiensis* a. 1849 praemissa de fide pia pioque definitionis desiderio suorum dioecesanorum expositione, animadvertit: non deesse, qui etsi refugiant Mariam in peccato originali fuisse conceptam suspicari, putant tamen eius ab hac labe immunitatem per Scripturam aut Traditionem non fuisse a Deo revelatam, sed solum pietati et reverentiae fidelium relictam, omniaque argumenta pro defendenda immunitate e praedictis fontibus accersita esse unice contortas interpretationes, ab iisque nec lucubrationem Cardinalis *Lambruschini* immunem esse. His prorsus contrarium se exhibet Praesul Santanderiensis, exoratque decisionem dogmaticam, cum convictus sit, *fiduciam fidelium et quasi quampiam conspirationem in piam sententiam, item non interruptas Epporum preces, non ab impotenti cupidine, quae mentes hominum pervaserit, oriri, sed a Summo hominum luminumque Patre descendere.* (*Mon.* 953. p. 69.)

Eppus *Derthusensis* a. 1849 uti Abulensis. (*Mon.* 954. p. 72.)

Eppus *Iaciensis* a. 1849 discrte se enunciat pro definiendo dogmate, quum, ut ait, *universalis fere omnium doctorum et indoctorum consensus in asserendo immac. conceptu, non obstantibus quibusdam generalibus S. Scripturae locutionibus, nulla ratione apposite explicari posse videatur, nisi quodam Spiritus S. Ecclesiae semper adstantis instinctu, quo locutiones illas in sensu exceptitio in favorem B. V. accipiendas*

esse docemur. Verbum Dei traditum in piam sententiam conspirare iudicat. Opportunam fore definitionem non dubitat. Adiicit nihilominus, in Academia *Salmanticensi* reperiri nonnullos, qui Verbum Dei scriptum aeque ac traditum piae sententiae adversari contendant; seque cum magistro condam suo *Paschali Sanchez* ex Ord. Praed. concertationem super hac quaestione habuisse, qui duo Mss. Salmanticae conservata, a doctis duumviris *Herrera*, et *Ferre* concinnata, exhibuit, id demonstrare adnitentia, quod assertio, quasi Patres Graeci et Latini pro pia starent sententia, non subsistat. Duo haec Manuscripta cuperet Eppus Iaciensis examini theologico subiici, priusquam quidpiam decernatur. (*Mon*. 955. p. 73.)

Eppus *Pampelonensis* a. 1849 argumenta S. Scripturae et Traditionis pertractans, et difficultates e nonnullis Patribus positas resolvens, asserit: *mysterii imm. conc. delineationem manu Omnipotentis in Scripturis designatam, ad nos usque pervenisse, quasi semen absconditum et mysteriosum, erumpens super obstacula, et germinans copiose rore vivifico traditionis*, irrigatum et elaboratum zelo et auctoritate Conciliorum, Summorum Pontificum, et Praelatorum, ea prudentia et gravitate, quam et res tanti momenti exigebat, et reclamare videbatur debita consideratio erga tot pios et eruditos, qui bona fide et purissima erga Ecclesiam adhaesione contrarium sentiebant. (*Mon*. 956. p. 77.)

Eppus *Seguntinus* a. 1849 prout Derthusensis. (*Mon*. 957. p. 82.)

Eppus *Cordubensis* a. 1849 cultum immac. conceptionis in eo esse studio declarat, ut ad definitionem tuto procedi possit; id patere ex legibus civilibus mysterio admodum faventibus, item ex decretis Universitatum Hispaniae de propugnanda pia doctrina editis; quoad dioecesim Cordubensem praesto esse multa documenta peculiaris ardoris ac zeli in tuendo hoc mysterio: satisque esse ad duo duntaxat reflectere, primum ex *Sec. XVII.* cuius anno decimo quarto habita concio *Dominicani cuiuspiam, piae sententiae minus favens, commotionem excitavit resensum;* alterum ex *anno decimo sexto huius saeculi; quo Canonicus Bernardus Alderete datis ad S. Sedem eximiis literis definitionem dogmaticam mysterii exoravit.*

Eppus suam sententiam pro definitione enunciat. (*Mon*. 958. s. p. 82.)

Eppus *Ovetensis* a. 1849 uti Seguntinus. (*Mon*. 959. p. 89.)

AEppus *Compostellanus* a. 1849 ab immemoriali tempore coli in sua Ecclesia et dioecesi BVirginem immaculate conceptam asserit, festumque Conceptionis die 8 Dec. singulari cum solemnitate celebrari; *ab a. 1521 existere Congregationem Clericorum intra Ecclesiam Cathedralem, cuius B Virgo immaculate concepta Patrona est; in Breviario Compostellano anni 1569 contineri officium proprium imm. conc. et in Lectionibus II Nocturni sententias Patrum immaculato conceptui faventes, pulchre collectas et dispositas.* Votum suum in eo exprimit, ut nullus relinquatur amplius opinandi locus, sed solemni iudicio definiatur et inter fidei veritates referatur immaculatus BV. conceptus. (*Mon*. 960. p. 89.)

Eppus *Habanensis* a. 1849 praemissa relatione super sensu cleri et fidelium, quos paucis demtis mysterio addictos in tantum, ut id tamquam rem iam definitam amplectantur, declarat, suam uberiore sermone profert sententiam. Asserit: *sententiam de imm. conc. Mariae in S. Literis et Traditionibus explicite non contineri quidem, sed per theologicas ratiocinationes et facta historica ex iisdem evidenter erui et evinci;* utrumque insigniter pertractat, refellendo una argumenta, quae contrarium sentientes sive ex generalibus SS. Literarum de peccato in omnes propagato expressionibus, sive ex nonnullis SS. Patribus in medium proferunt; Concilia, Constitutiones Pontificias, cultum Ecclesiae publicum illustrat, habito singulari ad Hispaniam respectu, e cuius historia insinuat plura de perpetua constantique nationis huius erga imm. conc. mysterium pietate et fide monumenta, et demum infert: se ad asserendam Deiparae conceptionem immaculatam moveri rationibus theologicis, quarum unaquaeque validissima, omnes vero simul sumtae plene convincentes sint; moveri auctoritate plurimorum Ecclesiae Patrum, Doctorum, Theologorum, potissimum albo coelitum adscriptorum; moveri eximia S. Conc. Tridentini declaratione; moveri tam aperto indicio Summorum Pontificum in piam sententiam manifeste inclinan-

tium; moveri antiquissimo plurium Ecclesiarum praesertim Hispaniae cultu publico; moveri tot Cardinalium, Praelatorum, Regularium, gentium, totiusque catholicae plebis exemplo, miro consensu in hanc doctrinam conspirantium; moveri illustrium Academiarum doctrina et exemplo; moveri ardenti zelo et pietate Regum, Epporum, Capitulorum Hispaniae; moveri plurium Regum et Imperatorum repetitis conatibus pro cultu mysterii amplificando; moveri tot confraternitatibus et collegiis ac templis in honorem tanti mysterii ubique terrarum erectis; moveri denique eo, quod, *si in hac re falleremur, totam fere Ecclesiam cum suo Capite, cultum mysterii permittente, falli necesse foret, quod quidem dictu impiissimum est.* In altera parte epistolae suae probat, in praesenti rerum statu oportere definiri immac. conceptum Deiparae: parte ex una veritatem, per se ipsam semet prodentem allegans, parte ab alia effugia in protelationem decisionis adducta solide refutans, et candide profitens, se non modo iurisiurandi (de tuenda pia doctrina iterato emissi) religione obstrictum, sed et expositis rationibus plane convictum, exemplo etiam ceterorum Hispaniae Praelatorum suas preces pro impetranda dogmatica definitione proponere. (*Mon.* 961. p. 91.)

Eppus *Urgellensis* a. 1849 uti Seguntinus. (*Mon.* 962. p. 106.)

Eppus *Malacitanus* a. 1849 asserit: sententiam piam hodie adeo certam esse, ut a nemine in dubium prudenter revocari possit; pietatem erga hoc mysterium adeo esse eximiam, ut eius festum maiori supra cetera BV. festa gaudio pompa et magnificentia celebretur; *in dioecesi Malacitana adversus impugnatores mysterii constanter stetisse et strenue dimicasse clerum populumque fidelem; a. 1654 et Capitulum et Senatum Civitatis coram Cardinali Eppo „Ildephonso de la Cueva" iuramento nuncupato semet obstrinxisse ad pie credendam, et, si opus sit, sangvine quoque ac vita tuendam immac. conc. Deigenitricis; a. 1663 constitutum fuisse, ut Verbi Dei praedicatores ante concionis initium dicerent:* „Benedicatur semper et laudetur SS. Altaris Sacramentum, et imm. conceptio BVM. Dominae nostrae, conceptae sine peccato originali in primo suae animationis instanti;" *Capitulum a Cle-*

mente XI a. 1714, et Clemente XII a. 1732 definitionem huius veritatis petiisse; in Civitate Foronda *ab a. 1572 florere Ordinem equestrem, a professione mysterii huius celebrem, et eius definitionem continuo sollicitantem; inter oppida 106 dioeceseos nullum existere, in quo magis vel minus pro ratione circumstantiarum extraordinaria devotionis erga mysterium signa non resplendeant.* Suam dein sententiam profert amplissimus Praesul, in eo consistentem, ut tamquam articulus fidei definiatur immac. conceptio; non obstare ei, quod definitio in Concilio Generali fieri nequeat; quod pia sententia, S. Sedi iterato proposita, numquam fuerit decreta: quod SS. Thomas et Bernardus contrariam sententiam foverint; quod Scriptura S. universalibus sententiis omnes homines in Adam peccavisse doceat; imo planum ac indubitatum esse, S. Scripturam piae favere sententiae, cum, quotquot Ecclesiae Doctores de his BVirginis magnalibus scripsere, testimoniis biblicis illa firmaverint, item et officium proprium Hispaniae ex indulto Apostolico concessum, et officium Romanum pro usu universae Ecclesiae deserviens insignia exhibeant biblica testimonia; porro *certitudinem de mysterio conceptionis eandem esse cum certitudine mysterii Nativitatis et Assumtionis BV. et quidem in eo gradu, quo maior, praeter illum fidei definitae, concipi nequit;* praestare certitudinem hanc fama, existimatione, credibilitate, ex multiplicibus miraculis apud fide dignos historicos consignatis etc. (*Mon.* 963. p. 109.)

Vicarius Apost. *Gibraltariae* a. 1850 uti Urgellensis. (*Mon.* 964. p. 122.)

Eppus *Gerundensis* a. 1850 luculenta argumenta, quibus pietatis officia erga BVirginem et eius imm. conceptus mysterium evincuntur, non solum huius vel illius gentis terminis concludi, sed generali populorum orbis catholici, cumprimis Hispaniae assensu ac fide roborari affirmat; de Hispaniae cultu Marianae immunitatis plura refert, et *in Civitate Gerundensi iam Sec. XIII Capituli et Municipii iuncta opera festum imm. conc. solemniter celebratum fuisse* insinuat; nihilque amplius praeter definitionem requiri censet, quam etiam exorat. (*Mon.* 965. p. 123.)

Eppus *Giennensis* a. 1850 maiorum suorum, praecipue

Cardinalis Pacheco, in S. Synodo Tridentina pro immac. conceptu Deiparae verba facientis, et *S. Petri Paschasii* Eppi ac Martyris vestigiis insistens, et veritatem mysterii confitetur, et illud in dogma elevari petit. (*Mon.* 966. p. 126.)

Eppus *Tirasonensis* a. 1850 prout Vic. Gibraltariae. (*Mon.* 967. p. 128.)

Eppus *Barbastrensis* a. 1850 iam sub Gregorio XVI depromtum votum pro definitione iterat; nec intermittit orare Summum Pontificem, ut non deterreat ipsum iniquorum impietas ac furor, qui cum Dei Filium oderint semper, sanctissimae quoque illius Matri bellum inferre in reprobo suo sensu non dubitarant. (*Mon.* 968. p. 129.)

AEppus *Caesaraugustanus* a. 1850 inserit suis ad Papam literis *pastoralem* epistolam ad dioecesim dimissam, in qua fidem de immac. conceptione Mariae illimitatam, solidissimoque fundamento innixam profitetur, probando: *oracula divina loqui de muliere perfecta, in qua Divinae Maiestati suam placuit ostendere potentiam, et ab Archangelo illa ipsa confirmari tempore suae missionis;* Patres Ecclesiae nobis reliquisse traditiones hac de re venerandas; Concilia, decisiones Pontificias, Academias doctissimas, monumenta historica, leges irrefragabiles rationis et criticae, omnia demonstrare unanimiter uti veritatem inconcussam, quod Maria in primo vitae suae instanti sanctificata fuerit. In fine literarum ponit observationem circa definitionis textum, eo spectantem, *ut definitio diserte exprimat, quo momento credamus Mariam originali labe numquam foedatam fuisse, siquidem physiologi certent de eo, quandonam anima corpori infundatur?* tenendum proinde esse, *Mariam in primo instanti suae vitae, seu dum anima corpori infusa fuit, exemtam fuisse ab omni contagione peccati: hincque cavendum, ne definitio dogmatica locutionem aut terminos adhibeat, e quibus audax et impia Critices hodiernae severitas ostium obiectioni patens reperiat.* (*Mon.* 969. p. 130.)

Eppus *Gadicensis* a. 1850 *in dioecesi sua piam opinionem inter primas glorias reputari, festum Conceptionis ab Apostolicis inde temporibus solemniter celebrari,* Eppos praedecessores suos pro veritatis huius declaratione se maxime exposuisse, *Francisco Guerra* Eppo sub Rege Philippo IV

Legati et Promotoris munere apud S. Sedem in hoc negotio fungente, commemorat. Laudat insuper opus eruditum tam antelati Praesulis *Francisci Guerra* sub titulo *Maiestas gratiarum BVMariae,* tum opus alterius civis ac filii Gadicensis *Didaci Granado* e S. I. (*Mon.* 970. p. 136.)

AEppi *Toletani* a. 1850 concinnata repraesentatio plura complectitur pro historia notatu digna, quae in epistola Capituli ad AEppum memorantur. Nimirum *a. 1653 iuramentum fuisse nuncupatum ad devotionem constantem et antiquissimam augusto mysterio contestandam;* cuius quidem *mysterii celebratio iam mille ante annis in Synodis Toletanis sub imperio Regum Gothorum invaluit; in Tabulario AEppatus Toletani asservari petitiones 18 Epporum et 28 Capitulorum ad Clementem XI directas pro definitione mysterii, ex iisque praecipuas esse eruditi Eppi Carthaginiensis Lud. Ant. de Belluga et Moncada.* Uberius excurrit AEppus ad recensendam historiam festi et officii immac. conc. in Ecclesia Hispanica, quam ad Sec. VII collocat; Regum plurium Marianorum, signanter Philipporum et Caroli III memoriam iniicit; proponit argumenta ex ratione, ad credendum et confitendum conc. immac. mysterium necessario ducente; ex S. Scriptura; ex Conciliis et Constitutionibus Pontificiis; ex eruditis de hac Virginis praerogativa tractationibus, validissima rationum momenta in se continentibus, quarum loco unam profert celebris Iesuitae *Benedicti Plazza* (e Sec. 18.), et concludit: *perspicuam, luceque meridiana clariorem esse huius veritatis certitudinem,* nullumque superesse amplius ambigendi locum, siquidem in ea disserenda ac enucleanda sociatis viribus incubuerint conspiraverintque Scriptura S. et veneranda Traditio, Concilia, Patres, Pontifices, tot praeclari Scriptores, celebres Universitates, Praesules, Regulares etc. nec deesse, nisi desideratam iamdiu definitionem. (*Mon.* 971. p. 137.)

Eppus *Segobricensis* a. 1850 id singulare de sua dioecesi adfert, quod illic admodum pauca reperiantur vestigia cuiuspiam contradictionis tunc manifestatae, dum de mysterio imm. conc. controversia ferveret; ceterum absolutam petit definitionem. (*Mon.* 972. p. 149.)

Eppus *Ebusiensis* a. 1850 uti praecedens. (*Mon.* 973. p. 151.)

AEppus *Granatensis* a. 1850 memorat: *a. 1618 per Senatum Civitatis Granatensis erectam fuisse columnam marmoream cum imagine BV. immaculate conceptae in titulum sui interni assensus de originali Deiparae puritate, in signum et perennem memoriam publici iuramenti de tuenda hac veritate simul cum Capitulo nuncupati, in nobile trophaeum victoriae de illis doctoribus obtentae, qui tunc temporis hanc Mariae praerogativam evertere conabantur, denique in demonstrationem gratitudinis erga BVirginem sine peccato conceptam, cuius auxilio Reges Catholici urbem Granatensem ab obsidione hostium liberarunt.* Laudat porro venerabilem suum praedecessorem *Petrum de Castro et Quinnones,* qui sub initium *Seculi XVII,* dum nonnulli theologi pium cultum convellere niterentur, ad ferendam efficacem malo medelam *a S. Sede definitionem mysterii postulabat,* nullis parcens curis ac laboribus. Refert breviter seriem harum curarum et Legationis Romam eo scopo missae, quae omnia in Monumentis Seculi XVII uberius exposuimus. (*Mon.* 974. p. 152.)

Eppus *Conchensis* a. 1850 eruditam lucubrationem exhibuit instar responsi ad Encyclicam Pontificiam. In ea primum summo cum gaudio recognoscit, *post homines natos nil unquam simile sive ad excitandam hilaritatem Epporum, sive ad efficiendam populi fidelis iubilationem contigisse, quam per Encyclicam antelatam.* Dein confitetur, suos dioecesanos ‚pristinorum Patriarcharum expectatione expectare ineffabile definitionis momentum.' Accedit subin ad suam convictionem exprimendam, hocve scopo ait *se innumeris et inenarrabilibus SS. Patrum testimoniis circumamictum, ex horto concluso, quem satan numquam vidit, et quo Deus tantum perambulavit, ramos duntaxat colligere, quos Boanerges* (Iacobus) *in Hispania plantavit.* De *Traditione* circa hanc quaestionem incunctanter pronunciat: *esse non solum ecclesiasticam, sed et apostolicam imo divinam traditionem,* quod BVirgo Deipara, tota pulchra oculis Altissimi, sine macula et ruga peccati Adae concepta fuerit. Inde a Sec. I—XVI producit 158 Patres et Scriptores Ecclesiae pro immac. conc. verbis non productis, sed locis operum indicatis. Ex Seculis postremis inde a XVII ad praesens silentio premit imm. conceptus propugnatores,

quum illos enumerare idem foret ‚ac cum Archimede velle Oceani littorum arenas numerare.‘ De *Thoma Aquinate* distincte tractat, et ostendit: *Doctorem Angelicum ut alterum Phoebum fugatis nebulis, quae in eius operibus per manus scelestas et execratione dignas sparsae fuere, clariorem elucere, et similiter Matrem Dei apparere in gravissimo negotio suae immac. conceptionis circumamictam Sole Scholarum.* De traditione *Hispana* ait: eius fontem ex ipso Hispaniarum Patrono, *B. Iacobo Maiore Apostolo*, manasse. Eam fuso sermone et eleganter recenset, designatis etiam praecipuis Scriptoribus. Tandem ad suos dioecesanos conversus, deque eorum fide ac voto testimonium daturus, asserit: (insigniter aptatis divinorum oraculorum de BVirgine eloquiis) *in pauperum tabernis sicut in turribus magnatorum, in pagis illiteratis ut in civitatibus studio et arte cultis, per omnes et absque discrimine sexus et varietate conditionis B. Deiparam sumi pro terra quam benedixit Dominus, pro mundo quem valde bonum et mundum Deus Christo creavit, pro arca Noë, pro rubo Moysis, pro virga Aaron, pro throno quem divinus Salomon sibi fecit de ebore, pro nubecula Eliae, pro terra Gessen, pro columna nubis deserti, pro vapore* (Lib. Sap.), *pro speculo sine macula, pro columba perfecta et immaculata, pro luce, pro horto concluso, pro fonte signato, pro urbe sancta, pro templo Divi Salomonis, pro thymiamate odoriferante, pro manna, pro domo aurea, pro amica Dei, pro secunda Eva, pro Esthere sponsa, pro Iudith, pro Iahele, pro muliere* (Apocal.) Addit: etiam nunc tanto in vigore esse et adeo adhaerere Hispanorum praecordiis devotionem erga imm. conc. BV. ut infantuli non indigeant illo Scripturae consilio: interroga patres tuos et dicent tibi. Postremo solemniter enunciat: *Deiparam Virginem fuisse primo almae suae conceptionis instanti intemeratam, illibatam, et immunem ob omni prorsus etiam levissimo originalis peccati halitu, esse sententiam doctrinam et amplam ac profundam convictionem Eppi Conchensis, desiderioque desiderari ab ipso infallibilem Summi Pontificis definitionem.* (*Mon.* 975. p. 160.)

---

b) *pro definitione conditionata.*

Quatuor numerantur inter Eppos Hispaniae, qui duntaxat conditionatam definitionem postulabant, i. e. sic temperatam, ut reflexio habeatur magnorum virorum, qui contrariam fovebant sententiam. Eppus *Lucensis* a. 1849 existimavit, non esse sufficienter in Scriptura et Traditione expressum mysterium, proin non convenire, ut velut articulus fidei declaretur; si tamen definiretur, in definitione eiusmodi temperamentum esse adhibendum, *ut magnus Ecclesiae Doctor S. Thomas Aquinas locum suum honorificum porro quoque retineat. (Mon.* 976. p. 175.)

Eppus *Zamorensis* a. 1849 definitionem sic concinnandam proponit, *ut nulla inuratur nota contrarii placiti patronis, qui floruerunt ante et post C. Tridentinum.* (*Mon.* 977. p. 177.)

AEppus *Tarraconensis* a. 1849 tam suo quam Eppi *Ibirensis* nomine pro definitione exprimit votum, sed de opportunitate directae vel indirectae definitionis dubitans, rem totam iudicio Summi Pontificis relinquit. (*Mon.* 978. p. 178.)

Eppus *Maioricensis* a. 1849 in prima parte responsi ex historia dioecesis suae commonstrat singularem fervorem ac devotionem erga immac. conceptionem Virginis Sanctissimae; enarrando, *qualiter a. 1451 Magistratus Civiles lata lege caverint, ne quidquam in publicis concionibus aut privatis colloquiis proferretur, quod piae sententiae detrahere posset; qualiter a. 1629 solemni iuramento sese obstrinxerint ad propugnandam hanc Mariae praerogativam; qualiter Raymundus Lull O. S. Fr. et Alphonsus Rodriguez S. I. devotionem ac pietatem erga isthoc mysterium ore et scriptis promoverint.* Inde concludit, nulli locum esse dubio, a cunctis dioecesanis suis definitionem mysterii libentissime fore excipiendam. In altera parte responsi accedit et ipse huic voto ac desiderio, sed solum eo ex obtutu, quod censeat magni faciendum esse in rebus ad fidem pertinentibus criterium illud, quod haud incongrue *instinctus pietatis afflante Divino Numine cordibus fidelium inditus* nominatur, seu unanimis pastorum ac fidelium, proin universae Ecclesiae consensus. Nam alio ex obtutu, si quippe *fontes revelationis, S. Scriptura et Traditio, expendantur, non*

posse certo dignosci sententiam ait, *neque satis constare, quid fuerit ab initio Ecclesiae traditum;* imo videri, quasi Patres ac Doctores tunc tantum, dum concionando aut precando vel alias hymnis ac laudibus Mariam celebrando affectum cordis erga benignissimam Matrem proderent, de privilegio immunitatis scripserint, e contra dum tamquam doctores ac theologi e Verbo Dei de doctrina fidei dissererent, de memorato privilegio minime verba fecerint. His tamen non obstantibus Eppus Maioricensis rem totam iudicio committit Pontificio, et declarat, se illi promte pariturum. (*Mon.* 979. p. 179.)

H. Responsa ex Portugallia.

a) *pro definitione absoluta.*

Eppus titularis *Capoverdensis* seu *Viridis Capitis* a. 1849 in epistola ad Internuntium Apostolicum directa, de perpetua fide dioecesanorum, etiam per iuramentum firmata, testimonium perhibens, definitionem expetit, *sangvineque* etiam *suo mysterium imm. conc. se propugnare paratum esse* confitetur. (*Mon.* 980. p. 185.)

Eppus electus *Capoverdensis* a. 1849 *de fide inconcussa totius Regni inde cumprimis a Ioannis IV Regis aetate conspicua* refert, simul iuramenti pro tuenda pia doctrina per *Universitatem Conimbricensem* nuncupati mentionem iniiciens. (*Mon.* 981. p. 186.)

Vicarius Cap. *Pacensis* a. 1849 uti Capoverdensis. Idem Vicarius a. 1850 petiit a. S. Sede indulgeri, ut die 7 Dec. *Vigilia festi Conceptionis* cum Missa propria celebrari possit. (*Mon.* 982. p. 187.)

Vicarius Gen. *Pinelensis* a. 1849 prout antecedens. (*Mon.* 983. p. 188.)

Eppus *Elvensis* a. 1849 mysterii veritatem satis evolutam asserit, tum ex argumento necessariae consecutionis e S. Literis, tum e dignitate Maternitatis Dei, tum ex integro SS. Patrum coetu, qui in asserendo dogmate simul omnes conspirantes tamquam divinae traditionis depositarii plenam faciunt fidem. (*Mon.* 984. p. 189.)

Eppus *Angrensis* a. 1849 absque ulla haesitatione confitetur, Scripturae loca, venerandae traditionis monumenta, Patrum testimonia, Conciliorum suffragia veritatem mysterii, ipso iam Praedicatorum Ordine assentiente, indubiam reddere, posseque quamprimum per Sedem Apost. sanciri. (*Mon.* 985. p. 191.)

Eppus *Algarbiensis* a. 1849 in duas partes tribuit suum responsum fuso sermone concinnatum: in *prima* exhibet: *tam ecclesiasticos quam seculares fideles mysterio huic, haereditaria a maioribus devotione accepta, addictissimos esse; nulla unquam dubitatione exorta, inde ab immemoriali tempore vigere cultum purissimi mysterii; Reginam Elisabeth a. 1320 aedificato sacello immac. conc. celebrationem festi multum promovisse; perantiquum esse desiderium Lusitanorum circa definitionem huius doctrinae; in solemnibus regni comitiis a. 1646 magnam Matrem sub titulo immac. conc. in Patronam electam, et tres Status regni iureiurando se obstrinxisse ad defendendum usque ad ultimum discrimen vitae mysterium.* In *altera* parte proponit suam sententiam ac convictionem: nempe BVirginem in passiva sua conceptione ab originali peccato per privilegium specialissimum fuisse praeservatam, hancve veritatem proxime definibilem esse; in S. Scriptura esse textus, e quibus immac. conceptio necessario nexu deducitur, in plurimis aliis implexe vel subobscure continetur; traditionem ab incunabulis Ecclesiae, Doctores, sensum Ecclesiae et Sedis Apostolicae, consensum fidelium, et synodales decisiones pro ea pugnare, *nec traditionem, nec aliquem antiquorum Patrum, nec ullum Bibliorum textum proferri posse, quibus veritas haec expresse impugnetur.* Quoad Scripturam S. praecipuum oraculum divinum, e quo veritas pia clare deducitur, esse Gen. 3, 14. 15; privilegium praeservationis e verbis Cantic. 4: tota pulchra es, expresse ac triumphanter deduci; in Novo etiam Testamento solida ad fulciendam piam sententiam suppeditari argumenta uberius demonstrat; quoad Traditionem plura profert Patrum testimonia, commemorat *magnam et mirabilem esse seriem Doctorum ac Scriptorum, qui piam sententiam a Patribus acceptam in cathedra et scriptis edocuerunt, ac illustrarunt; a Sec. XII, quo controversia initium sumsit,*

usque Sec. XV multos defensores extitisse piae doctrinae, dum pro contraria sententia et pauci et potissimum obscuri nominis pugnarent; a Seculo XV ad nostram aetatem omnes insignes theologos piam sententiam amplexos esse; Regulares, cumprimis Societatem Iesu, Universitates, Pontifices, Eppos, Reges, et populum uno mirabilique consensu piam doctrinam fovisse, hunc vero unanimem consensum, Dei opus, etiamsi sacri textus deficerent, sufficere ad canonisandam piam doctrinam; *Augustinum, Bernardum, et Thomam nullum adversariis praebere asylum;* tandem congruentiae et necessitatis rationes haud leve suppeditare eidem piae sententiae praesidium: haec autem omnia nil aliud significare, quam veritatem tot irrefragabilibus fundamentis innixam, et tamquam definibilem ab Ecclesia iamdudum habitam reipsa definiri posse, nec ullum adesse periculum, ut dissensiones novae excitentur. (*Mon*. 986. p. 192.)

Eppus *Portucalensis* a. 1849 uti Capoverdensis. (*Mon*. 987. p, 210.)

Eppus *Funchalensis* una Vic. Cap. *Brigantiensis* a. 1849 epistola ad Internuntium Apost. argumenta congruentiae proponit, et votum suum ita exprimit, uti Portucalensis. (*Mon*. 988. p. 211.)

Idem Praesul a. 1850 nomine dioecesis *Caliobrigensis* idem depromsit votum literis ad Summum Pontificem directis. (*Mon*. 989. p. 213.)

Eppus *Conimbricensis* a. 1849 uti Portucalensis. (*Mon*. 990. p. 213.)

Eppus *Macaurensis* a. 1849 prout praecedens, affirmare non dubitans, *piissimam de immac. conc. sententiam velut praecipuam radicem ac fundamentum omnium Deigenitricis praerogativarum videri fidelium cordi ingenitam ac divinitus infusam.* (*Mon*. 991. p. 215.)

AEppus *Mitylinensis* a. 1849 *Lusitanos omnes fere ab incunabulis hoc gloriosae Virginis privilegium firmiter credere, ac si esset iam a. S. Sede definitum,* item doctrinam hanc reapse tam validis argumentis confirmatam, tam claris rationibus demonstratam esse ait, ut sibi persvadere nequeat, esse hodie catholicum, qui id non crederet; existimat proinde

neminem intercessurum definitioni, quam optat edi. (*Mon.* 992. p. 215.)

Vicarius Apost. *Aegitaniensis* a. 1850 uti Portucalensis. (*Mon.* 993. p. 217.)

AEppus *Eborensis* a. 1850 notoriam esse affirmat fidelium totius regni tribus iam abhinc seculis devotionem erga immaculate conceptam Deigenitricem, nullamque novitatem adlaturam decisionem, quae iam secus etiam in Academia Conimbricensi palam propugnatur; se ipsum exoptare hanc definitionem, qui saepe in publicis concionibus doctrinam istam propugnare non dubitaverit. (*Mon.* 994. p. 217.)

Vicarius Gen. *Conimbricensis* (Eppo superius memorato exulante, dioecesim gubernans) a. 1850 uberius excurrit historice in proponenda pia fide dioecesanorum. Iuxta hanc enarrationem *a. 1320 sub Eppo Raymundo, urgente Regina S. Elisabetha, festum Conceptionis summa cum solemnitate celebrari coepit; a. 1484 Eppus Georgius Almeida celebritatem assignata stabili dote auxit; a. 1639 in Synodo dioecesana defensio mysterii imm. conc. iuramento firmari decreta est; a. 1646 in Universitate Conimbricensi iuramentum hoc acceptatum, et omnibus ad gradus et Cathedras promovendis iniunctum fuit, erecto in memoriam eventus lapide cum inscriptione, quae historiam rei totius exprimeret, pro concione autem dicente docto Iesuita Sebastiano Novaës,* qui orationem conclusit precibus ad Pontificem M. pro definitione dogmatica mysterii directis; tandem *a. 1767 per pium Carmelitam Emanuelem Ign. Coutinho vulgatum esse opus novum pro defensione eiusdem mysterii.* (*Mon.* 995. p. 219.)

Eppus *Visensis* a. 1850 diserte deducit: piam sententiam a maxima parte fidelium tamquam dogmaticam coli, ab omnibus pene Academiis iureiurando firmari, in canonicis ad beneficia institutionibus pariter iuramentum desuper nuncupari; in sacris Libris luminosa inveniri fundamenta, quae definitionem sustinerent; in omnibus Ecclesiae aetatibus inveniri hanc fidem non interrupta traditione, quae ab ipsis Apostolis haud temere inchoari possit, siquidem ipsa Patribus seculi II novitatem nullam attulerit. *In regno Lusitano inde ab incunabulis semper data fuisse purae ac inconcussae*

fidei erga mysterium immac. conceptus documenta, historiamque Ecclesiae Lusitanae factis prodigiosis abundare, potenti subsidio Reginae Angelorum immaculate conceptae patratis; Regem Ioannem IV in Comitiis totum regnum protectioni SS. Virginis immaculate conceptae devovisse, una imperando, ut cuncti una secum filioque suo iurarent defensionem perpetuam huius mysterii; Petrum II religiosis Conceptionis Ordinibus amplissimas donationes constituisse; Ioannem V a Benedicto XIII P. M. definitionem dogmatis petiisse, per successorem Iosephum I iterata huiusmodi prece etc. (*Mon.* 996. p. 223.)

Eppus *Leriensis* a. 1850 asserit, se SS. Patrum vestigia sequendo, perantiquae traditionis ductum testimonio, omniumque piorum credulitate motum libentissime amplecti piam doctrinam eiusque optare decisionem; Lusitanam gentem Cathedrae Petri firmiter sociatam et addictam, in religioso obsequio Virgini praestando facile omnes antecellere, meritoque operiri libenter dogmaticam definitionem. (*Mon.* 997. p. 226.)

Vicarius Gen. *Albicastrensis* a. 1850 prout Aegitaniensis. (*Mon.* 998. p. 228.)

---

b) *pro conditionata definitione.*

AEppus *Braccarensis* a. 1849 non dubitat quidem intimam suam convictionem enunciare, sed de eo, an expediat definitionem edere difficillimis his temporibus, iudicium suum depromere non audet, cum definitio eiusmodi a Concilio Tridentino quoque et pluribus Pontificibus declinata fuerit. Ceterum subdit: *in Ecclesia Braccarensi, imo totius Regni Ecclesiis nil detrimenti ex definitione fore timendum, cum pia doctrina quasi iam de fide esset credenda, teneatur,* et ideo iudicium dogmaticum pronissimis animis excipiendum confici possit. (*Mon.* 999. p. 228.)

Card. Patriarcha *Olyssiponensis* a. 1850 praemisso, quod venerandum hoc mysterium *constanti Lusitanae Ecclesiae traditione* firmetur, quodque iam *Gregorio XVI P. M. Regina Maria II supplicem pro definitione dogmatica libellum porrigi fecerit,* diserte declarat: nullis in contrarium testimoniis argumentisque productis, imo nulli dubio subiacente eo, quod una

sit omnium Lusitanorum fides, unumque pientissimum desiderium, se tam suo quam universi Cleri ac populi, imo et Reginae, distinctis literis suam firmissimam fidem erga imm. conc. SS. Virginis solemniter profitentis, nomine piam doctrinam constanter credere confiteri, et optare, ut ea solemni iudicio decernatur; interim quaestionem, num huic definitioni opportunum tempus iam advenerit, nec amplius timenda sint, quae Patribus Tridentinis Summisque Pontificibus usque nunc impedimento fuere, iudicio Summi Pontificis relinqui. (*Mon.* 1000. p. 230.)

Eppus *Lamacensis* a. 1850 uti Card. Olyssiponensis. (*Mon.* 1001. p. 233.)

I. Responsa ex Hibernia.

Praesules Hiberniae duplicem praestiterunt de quaestione immac. conceptionis per Pontificiam Encyclicam proposita declarationem: alteram per singularia responsa, quam tamen pauci fecerunt; alteram omnes e *Synodo plenaria Thurlesensi* collective. E prioris generis responsis occurrit *unum contra definitionem*, et *unum pro conditionata decisione*: sed responsa haec, siquidem per collectivam Synodalem enunciationem retractata sint, sub uno sistimus, cum retractatis duobus istis responsis, omnes Hiberniae Eppi pro absoluta definitione votum suum expresserint.

AEppus *Casseliensis* a. 1849 pro immac. conceptu BV. *antiquam* extare *Ecclesiae traditionem* asserit, ex biblicis argumentis, Patrum Scriptorumque testimoniis, liturgiis, anthologiis, celebratione festi Conceptionis, argumentis theologicis magni ponderis, decretis Summorum Pontificum, et communi sensu ac pietate Ecclesiae colligi queuntem: haecque omnia in favorem dogmatis sic dictam *accumulativam evidentiam* praebere, ut revera Canoni Vincentii Lirinensis conformiter dici possit, id teneri, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hanc esse fidem de imm. conceptu tam suam quam cleri populique dioecesani, omniumque desiderium, ut res dogmatice definiatur, in Synodo Dioecesana declaratum haberi refert AEppus. (*Mon.* 1002. p. 233.)

Eppus *Alladensis* a. 1849 de convictione duntaxat sua et cleri ac fidelium se enunciat, quod quippe omnes firmissime teneant piam hanc doctrinam, sed de eo, an exoptent rem definiri, altum silet. (*Mon.* 1003. p. 235.)

Eppus *Corcagiensis* a. 1849 de suis dioecesanis affirmat, fere omnes apprime scientes, quod haeresis numquam cessabit mentiri, (reflexe ad timidos ob haereticos) vehementer optare doctrinam piam inter dogmata fidei habendam solemniter declarari; de se ipso autem dicit: *auctoritate et testimoniis Patrum ac Doctorum in seculis praeteritis doctrinam piam tam lucide declarantium, item studio tam insigni et palam manifestato totius pene catholici mundi* in diebus nostris *se incunctanter impelli, addere suum suffragium precibus fidelium*, ut haec pia veritas, in hac lacrimarum valle peregrinantibus consolationis adeo plena, hactenus ab Ecclesia implicite credita, nunc omnibus explicite credenda formaliter declaretur. (*Mon.* 1004. p. 236.)

Eppus *Elphinensis* a. 1849 *omnes abhorrere* ait *a sententia, quae quidquam indigni ac foedi in Regina hominum et Angelorum adstrueret*, et omnes una secum firmiter credere imm. Deigenitricis conceptum, optareque, ut quo prius inter fidei dogmata referatur pia haec doctrina. (*Mon.* 1005. p. 236.)

Eppus *Midensis* a. 1850 prout Elphinensis, addendo: solidas ac sufficientes reperiri rationes ad singularem Mariae praerogativam dogmatice definiendam, sin minus in S. Scripturis, saltem in Patribus, in universali consvetudine Ecclesiae et communi sensu fidelium innumeris indiciis ac documentis palam prodito ac manifestato. (*Mon.* 1006. p. 237.)

AEppus *Armachanus* (hodie Dublinensis Card. Cullen) a. 1850 veritatem de imm. conc. pluribus S. Scripturae locis iuxta interpretationem SS. Patrum contineri, a traditione proclamari, ab ipso Tridentino Concilio agnosci vel ex eo clarum fieri asserit, quod praeter exemtionem B. Virginis in decreto de peccato originali „immaculatam" eam vocet in eodem decreto, in quo ex professo agit de peccato originali. (*Mon.* 1007. p. 238.)

AEppus *Dublinensis* a. 1849 literis ad Praefectum S. Congr. de Prop. fide directis proponit, *esse magnum pondus*

sacerdotum in sua dioecesi, piorum alias B Virginis cultorum et doctrina praestantium virorum, qui existimant, non expedire, ut pia doctrina, quamtumvis vera, tamquam fide divina credenda proponatur, tum quod decisio similis in re, de qua nulla est actu disceptatio, praxi Ecclesiae contraria foret, tum quod in praesenti quaestionem de novo articulo fidei agitare periculosum sit, tum quod nulla utilitas ex definitione speranda, imo metuendum videatur, ne Protestantium conversio impediatur. Huic sententiae se quoque adstipulari ait APraesul, et non audet svadere definitionem: declarat tamen, decisioni S. Sedis, quaecunque ea fuerit, se cum summa docilitate pariturum. (*Mon.* 1008. p. 239.)

Eppus *Clonfertensis* a. 1850 mentem Ecclesiae adeo manifestam esse quoad quaestionem piam ait, ut locus amplius non sit haesitandi seu circa ius seu circa opportunitatem edendi solemne decretum, iamdiu ab omnibus postulatum decretum nihilominus sic fore efformandum, ut, dum in tuto ponit veritatem, *nulla nota iniuriosa inuratur praeteritis erroribus, in quos pii et docti homines prolapsi sunt;* atque opportunissimam esse *indirectam definitionem*, nimirum Ecclesiam non falli, dum iuxta piam, veram, et ab omnibus tenendam sententiam BVirginis immunitatem ab omni labe in primo conceptionis eius momento celebrandam proponit. (*Mon.* 1009. p. 241.)

Eppi Hiberniae omnes, nullo excepto, in *Synodo plenaria Thurlesii* a. 1850 congregati, iisdem verbis, quibus *AEppus Armachanus* supra laudatus in suo responso ad Encyclicam Pontificiam utebatur, proposuerunt suum piissimum votum, *ut Beatissimus Pater omni controversiae de immac. conceptione BMV. solemni iudicio edito finem imponat.* Sicque et illi Praesules, nominatim *Dublinensis* et *Clonfertensis,* qui a postulanda absoluta definitione tantillo adhuc metu detinebantur, ad preces Synodales accedendo, sententiam Epporum Hiberniae unanimem reddiderunt. (*Mon.* 1010. p. 244.)

Eppus *Rosensis* post Synodum electus, a. 1853 non tantum eandem cum antelata Synodo sententiam est professus, verum eandem admodum pia, eruditaque epistola Summo Pontifici perscripsit. In ea praemisso eleganti exordio, enun-

ciat: *posse imo expedire spectata consueta Dei erga Ecclesiam suam providentia, et plane superni esse consilii, ut haec divina veritas solemni decreto fidelibus credenda proponatur.* Divinam esse veritatem probat e sacris Paginis, e prophetica visione, ex Ecclesiae, tamquam fidelis nullo non tempore custodis veritatis, sensu. E S. Scripturis potissimum expendit singulas sententias primi divini oraculi Gen. 3.; tum analogiam veteris novique Foederis; de Ecclesiae sensu autem verba faciens, ostendit, veritatem hanc, in prophetia et typicis umbris designatam, ab ipso Domino per Apostolos Ecclesiae traditam esse, per decursum seculorum iugiter praedicatam, et demum eo deductam, ut ei praeter definitionem nil desit. (*Mon.* 1011. p. 245.)

K. Responsa ex Anglia, Scotia, Svecia.

Ante restitutam in Anglia Hierarchiam, *Vicarius Apost. Distr. Orientalis* a. 1849 *absolutam* exorat *decisionem, non obstante paucorum timiditate, ex nimio in praeiudicia protestantica obsequio orta,* quae magis consortio inter haereticos necessario, quam malitiae aut fidei inconstanti tribuenda sit. (*Mon.* 1012. p. 249.)

Vicarius Apost. *Distr. Centralis* a. 1850 conformiter responsis a Clero tam seculari quam regulari, nec Praedicatoribus exceptis, ad Encyclicam redditis orat mysterii definitionem, quod *tamquam fidei proximum a se iam praedicari* significat. (*Mon.* 1013. p. 250.)

Vic. Apost. *Walliae* a. 1850 fusius adornat responsum: in eoque primum quoad *fidem Angliae* circa mysterium historice refert: *festum Conceptionis, iam Sec. XI sub Anselmo Cantuariensi non sine singulari Divini Numinis testificatione in Angliam inductum, ex eo tempore sancte semper studioseque celebratum; dein vehementius propugnatum fuisse, quum in Gallia tempore D. Bernardi controversia erumperet; ex Angliae Universitate Oxoniensi in aciem prodiisse celebrem Ioannem Duns Scotum, proque Mariano privilegio feliciter decertasse; demum in Conciliis Anglicanis piam sententiam fotam promotamque fuisse.* Suam sententiam de edenda definitione munit

argumentis tum negativis, praecipue e *Conc. Tridentino,* cuius *exceptionem de BVirgine* dicit esse veluti *munitissimum clypeum, quo omnia in privilegium Virgineum intorqueri queuntia tela retundantur;* tum positivis in Scriptura et Traditione occurrentibus, quibus invicte probari censet, virginalem immaculatum conceptum inter veritates divinitus revelatas habendum esse, non ita solum, ut legitima argumentatione ex immediate revelatis derivetur, sed ut *proxime ac immediate in Verbo Dei scripto et tradito contineatur.* Post uberius deducta argumenta e Scriptura ac Traditione concludit, immaculatum conceptum habere ea solidissima fundamenta, quae illum proxime definibilem constituunt, utpote in deposito divinae revelationis contentum; nec posse definitioni obstare metum ullum ex obtutu illorum, qui a fide nostra alieni sunt. (*Mon.* 1014. p. 251.)

Vic. Apost. *Sveciae et Norwegiae* a. 1850 pro absoluta definitione. (*Mon.* 1015. p. 256.)

Post restitutam in Anglia Hierarchiam Card. AEppus *Westmonasteriensis* a. 1850 praemisso, quod tamquam Vicarius Ap. Londinensis siluerit, et responsum ad illud tempus, quo restitutio Hierarchiae, iam decreta, in effectum deducta erit, distulerit, qua primus Metropolita Ecclesiae in Anglia inconcussam suam suorumve *fidem de immac. conc. BVirginis velut doctrina in ipsius Christi fundatoris Ecclesiae revelatione contenta, et ab Anglis fidelibus per plura devotionis ac orationum exercitia honorata,* una cum desiderio manifestat, ut ipsa dogmatice definiatur. (*Mon.* 1016. p. 256.)

Eppus *Suthwarcensis* aeque post restitutam Hierarchiam a. 1851 cum Cardinale AEppo suo concordem sententiam fovens, clare confitetur, *de nulla quaestionum dogmaticarum inveniri tam plenam consensionem, quam super immac. conceptione BV.* et ex hac unanimi fidelium voluntate colligi absque erroris formidine veritatem. (*Mon.* 1017. p. 258.)

Vicarii Apostolici *Scotiae* a. 1849 in epistola collective missa declarant: nemini catholice sentienti licere affirmare vel opinari, SS. Dei Matrem vel aliquo tempore cuiusquam peccati labe fuisse maculatam; imo quemlibet credere debere, ipsam etiam a peccato originali ab ipso temporis articulo,

quo persona humana coepit esse, exemtam, sive sanctam et immaculatam fuisse; sique haec veritas solemni decreto definiretur, definitionem certe gaudium allaturam. Interim subiungunt una: *dissimulandum haud esse, haereticos et infideles novam exhinc occasionem nacturos, blasphemias in B Virginem et Ecclesiam Cath. proferendi.* (*Mon.* 1018. p. 260.)

Dubium omne, quod ex hac declaratione circa opportunitatem definitionis suscitari poterat, plene sustulit altera litera, quam a. 1854 Vicarius Apost. *Edinburgensis* in Scotia suo et sociorum Vicariorum nomine Romam transmisit: in ea enim *absque ulla restrictione pro definitione dogmatica* preces proposuit. (*Mon.* 1019. p. 262.)

L. Responsa ex Germania.

a) *pro definitione absoluta.*

Eppus *Passaviensis in Bavaria* a. 1849 tam suo quam cleri fideliumque suorum nomine intimam convictionem de veritate immac. conc. BMV. desideriumque definitionis exprimit. (*Mon.* 1020. p. 264.)

Eppus *Rottenburgensis in Würtembergia* a. 1849 postquam praemiserat, *cultum Marianum in regionibus his aliquo tempore iacuisse; sed paulo post afflante Spiritus S. gratia, frigescentes animos superno calore accensos, et catholicos dioeceseos, quod antea intermiserant, duplicato studio compensare adnisos esse;* siquidem et celeberrimae *Archiconfraternitati Parisinae de SS. et immaculato corde Mariae plurimi inscripti* sint, et *mense Mariano devotioni erga intemeratam Matrem ferventi zelo vacare* soleant: non dubitat indicare, praeparatos esse animos ad excipiendam fideli mente expressam definitionem imm. conceptionis; se quoque ex illorum esse numero profitetur, qui dignum, aequum et iustum esse censent, claris et expressis verbis enunciari hoc mysterium: cum *doctrina haec sit vere catholica,* de qua omnes de religione bene meriti auctores hodie consentiunt, pene unanimi consensu Patrum certa, nostris temporibus etiam miraculis confirmata. (*Mon.* 1021. p. 265.)

Eppus *Warmiensis in Borussia* a. 1849 *ex Clero multos esse significat, ac inter eos etiam Capitulum suum, qui existiment, his turbulentis et rei etiam ecclesiasticae iniquis temporibus ad praecavendas haereses et evitanda schismata non expedire quidquam novi statui de immac. conceptione,* sed intra terminos a Concilio Tridentino positos quaestionem relinqui subdit tamen, magno esse adhuc numero eos de Clero, qui immac. conceptionem palam profitentur, et desiderant, ut haec fides Apostolica auctoritate decernatur et confirmetur; *in populo fidem immac. conceptionis universaliter vigere; se demum* tot SS. Patrum doctrina sua divinitus accepta Ecclesiam illustrantium, sententiam sequendo, *et firmiter credere immac. conceptionem, et gavisurum in Domino, si decreto S. Sedis novum accesserit pondus gloriae SS. Virginis, decretumque istud in sua dioecesi plenissima fide ac obedientia exceptum iri* spondet. (*Mon.* 1022. p. 267.)

Eppus *Fuldensis in Provincia Sup. Rheni* a. 1849 tam Clerum quam populum credere mysterium immac. conc. et posteriorem quidem sic credere asserit, ac si iam per Ecclesiam foret definitum; *esse* nihilominus *in Clero, qui non optent definitionem* ex causis, quas proxime praecedens Praesul com memorat; *verum se opinioni huic nequaquam assentiri* declarat, *cum censeat eo magis venerandam et laudibus extollendam eam, quae universas haereses interemit, quo insolentius Ecclesia per potestates tenebrarum concutitur;* ideoque supplicite petere, ut hoc potissimum tempore, quo Ecclesiae navis tantis iactatur fluctibus, *S. Sedes depositum fidei quoad hanc quaestionem iudicio suo infallibili declarare velit, ab se instar regulae fidei amplectendo.* (*Mon.* 1023. p. 269.)

Eppus *Spirensis in Bavaria* a. 1849 non obstante nonnullorum metu, ne e definitione detrimentum quodpiam resul tet, hanc ardenter exoptat, et suam de pia doctrina convictionem pluribus munit argumentis, horum fortissimum in dignitate Maternitatis Dei reponens, in qua quippe nititur fidelium fides, et ex qua exortum est ardentissimum d esodi nisinite - derium. (*Mon.* 1024. p. 271.)

Eppus *Herbipolensis in Bavaria* a. 1849 *apud Clerum doctrinam de immac. conceptione BV. velut certissimam catho-*

licam veritatem haberi, a populo uti dogma fidei credi, nec ullum ex parte dioecesis suae inveniri obstaculum, quominus veritas haec inter dogmata fidei referatur, affirmat, hancve definitionem sua etiam ex parte exorat. (*Mon.* 1025. p. 274.)

Eppus *Limburgensis in Prov. Sup. Rheni* a. 1850 preces quidem per Summum Pontificem depostas hactenus ab se indictas haud fuisse refert, quod adversariis ansam deridendi ac cavillandi tantum mysterium praebere noluerit: de fide tamen suorum dioecesanorum et sua quoad imm. conc. item de summo desiderio, ut definiatur, testimonium perhibet. (*Mon.* 1026. p. 275.)

Eppus *Ratisbonensis in Bavaria* a. 1850 pleno cum candore et disertissimis verbis suam proponit sententiam pro absoluta definitione dogmatis. Primum exponit: e relationibus sibi constare, populum mysterio huic tantopere esse addictum, ut frequentius utatur ea precandi formula: *Laudetur et superexaltetur SS. Altaris Sacramentum, atque immaculata B V. conceptio*; a parochis nonnullos metu teneri, ne novum decretum his temporibus adversariis ansa sit, Ecclesiam vel inconstantiae vel erroris insimulandi; cuiusmodi formidinem Eppus mox retundit observando, *nova vocabula ab Ecclesia saepe fuisse inducta, non ut dogmata nova conderentur, sed ut antiqua contra novos hostes explicarentur et confirmarentur*; porro exponit, *partem Cleri saniorem una secum neglecto omni vani timoris spectro nil optare avidius quam ut irreformabili iudicio Summi Pontificis quaestio decidatur*. Argumentis pro hac sententia breviter recensitis iterat preces suas, ut, quod iam Gregorius XVI in votis habuit, Pius IX oraculo in perpetuum valituro pronunciet, omnibus fidelibus ad credendum proponat, et sententiam contrariam tamquam haereticam et impiam proscribat. (*Mon.* 1027. p. 277.)

Nuntius Apostolicus Monacensis in Bavaria a. 1850 transposuit Card. Praefecto S. Cong. de Prop. fide literas duorum suae iurisdictioni spirituali subiectorum Parochorum, *Anhalt-Dessaviensis*, et *Anhalt-Cöthensis* de sensu suorum fidelium circa quaestionem imm. conc. Prior Parochus perhibet: singulari cultu venerari mysterium immac. conc. ipsumve festum Conceptionis in eo sensu celebrari, quod BVirgo

sit immaculate concepta; posterior exponit, nec ab omnibus suorum fidelium credi immac. conceptionem, nec desiderium adesse definitionis; se tamen grato accepisse animo Officium solvendi Immaculatae Conc. Clero concessum. (*Mon.* 1028—1030. p. 279.)

Eppus *Monasteriensis in Borussia* a. 1852 non dissimulat, metu moveri nonnullos, quominus optent decisionem dogmaticam, in adiunctis Germaniae, quae Ecclesiae Catholicae minus favent; affirmat nihilominus *gravissimas adesse rationes, quae definitionem edi postulant, iam per seculorum seriem quasi praeparatam*, ipsamque Ecclesiam, ad honores Deiparae decernendos semper pronam, quodammodo praestolari tempus emittendae sententiae de mysterio immac. conc. opportunum: quale si iam advenit, Summum Pontificem ad definitionem tuto posse procedere. (*Mon.* 1031. p. 281.)

Eppus *Trevirensis in Borussia* a. 1852 re maturius perpensa omnem ab se deponi dubitationem affirmat, an definitio sit opportuna futura, confidereque se ait, quod ipsa multum collatura sit ad confundendos adversarios fidei. (*Mon.* 1032. p. 282.)

Card. AEppus *Coloniensis in Borussia* a. 1853 *triplicem distingvit Cleri Coloniensis statum*: primo *scholam veterem*, quippe Universitatem Coloniensem ab olim praeclaram tum propter doctrinae puritatem, tum ob magistrorum probitatem; secundo *scholam liberioris disciplinae et novarum rerum cupidam*, inde ab a. 1825—1840 magna in parte Hermesianismo addictam, et pia Ecclesiae ac SS. Patrum sensa relinquentem; tertio *scholam recentiorem*, quae post receptam damnationem Hermesianismi a Gregorio XVI enunciatam, sensim ad priora ac meliora sensa regressa est. *Capituli Metropolitani et Collegiati sententiam in plures ab invicem divergentes abire partes* exponit, aliis pro definitione, aliis contra eam se enunciantibus; *Clerum Curatum etiam in duas scindi partes*, licet potissimum piae adhaereat opinioni; *populum fidelem piae sententiae firmiter ac devote insistere.* Ex historia antiquiore AEppatus memorat Cardinalis APraesul *statuta Universitatis Coloniensis in favorem piae doctrinae, etiam cum iuramento tuendae*, edita. De se ipso denique affirmat: *se SS. Ambrosii et Augu-*

stini verbis adhaerere, ac confiteri: B Virginem ab omni integram fuisse labe peccati, et de ea nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi posse propter honorem Domini quaestionem; valdeque exoptare se, ut doctrina pia a summa Ecclesiae auctoritate stabiliatur. (*Mon.* 1033. p. 283.)

---

b) *pro definitione conditionata.*

AEppus *Monaco-Frisingensis in Bavaria* a. 1849 opinatur *posse definiri piam doctrinam ut dogma,* cum non sit novum dogma, sed agniti ab omnibus dogmatis necessaria sequela, nec per doctrinam piam infringatur dogma de propagato in omnes Adae posteros peccato originali, imo magis manifestetur, quia ad ipsam Dei Matrem de naturae debito pertinuisset, nisi per speciale privilegium exclusa foret. *Dubitat tamen de opportunitate definitionis,* cum non sine aliqua veri specie dici possit, eiusmodi definitionem in regionibus, ubi catholici cum haereticis permixti vivunt, novas dissensiones provocaturam. (*Mon.* 1034. p. 286.)

Eppus *Paderbornensis in Borussia* a. 1850 affirmat, numquam se dubitasse de veritate immac. conceptus BV. posseque illam tamquam declarationem dogmaticam a S. Sede constitui ac manifestari; sed quoad quaestionem, an tempus nostrum pro hac declaratione sit opportunum et accomodatum, dubium se haerere, viderique sibi, *Ecclesiae utilitati et Mariae laudi magis expedire, si definitio tamdiu differatur, donec Germaniae tempora magis quieta et tranquilla reddita fuerint,* psaque Ecclesia suam libertatem, quam a Principibus concessam habet, firmiorem ac solidiorem fecerit. Non reticet tamen, se promte excepturum, quidquid S. Sedes decreverit. (*Mon.* 1035. p. 288.)

---

c) *contra definitionem.*

AEppus *Bambergensis in Bavaria* a. 1849 *et Clerum suum in maiori parte id sibi persvasum habere, quod non sit huius temporis decidere rem tamdiu indecisam relictam; et se adhaerere huic sententiae* ennunciat, petitque *decisionem Con-*

cilio Generali reservari; declarando simul, se decisioni Summi Pontificis, qualiscunque ea fuerit, morem gesturum. *(Mon.* 1036. p. 290.)

Eppus *Vratislaviensis in Borussia* a. 1849 literis ad Nuntium Apost. Vindobonensem exaratis plures proponit obtutus ex situ praesente aevi nostri deductos *contra dogmaticam definitionem:* cuiusmodi literas Nuntius iis cum observationibus transposuit Cardinali a Secretis Status, quod reipsa sint plurimi, qui ita sentiant, prout Eppus Vratislaviensis, nimirum ex definitione immac. conceptionis incredulos et protestantes occasionem sumturos novarum adversus Ecclesiam hostilitatum, et maioris ab ea aversionis. Porro *significat Nuntius, a se denuo provocatos fuisse Monarchiae Austriacae Praesules, ut sensa sua quoad Encyclicam Pontificiam depromant, quos ex observato ab iis silentio minus pronos esse existimat ad proponendam dogmaticam definitionem imm. conceptus Deiparae. (Mon.* 1037. 1038. p. 292. 294.)

Eppus *Hildesiensis in Hannovera* a. 1851 *decretum dogmaticum nec esse necessarium nec exoptabile in istis regionibus e sententia maioris partis Cleri* asserit: sibi quidem praerogativam imm. conc. a dignitate Matris Dei inseparabilem, et propter Ecclesiae consensum certam videri: sed dogmaticam definitionem ob rationes non omnino spernendas haud exoptare. *(Mon.* 1039. p. 295.)

M. Responsa ex Helvetia.

a) *pro definitione.*

Eppus *Basileensis* a. 1849 suo et dioecesis nomine declarat firmam adhaesionem decreto Tridentino circa immac. conceptum BV., ulteriorem decisionem S. Sedi relinquit, hancque debito cum obsequio amplectendam promittit. *(Mon.* 1040. p. 296.)

Eppus *Curiensis* a. 1849 praemissis succincte argumentis e S. Literis, Traditione etc. quae *prorsus invicta, et privilegium Marianum evincentia* esse affirmat, *velut certissimam*

amplectitur *piam sententiam*, et *dogmaticae definitioni maturam*. (*Mon.* 1041. p. 296.)

Eppus *Sedunensis* a. 1849 eximia ac fusa oratione concinnavit suum responsum. In eo perhibet primo testimonium *de inconcussa fide huius piae doctrinae apud clerum et populum*; tum suam proponit sententiam, quatuor punctis uberius evolutis comprehensam: 1. *an sit definibilis* haec *pia sententia?* responsionem *affirmativam* e revelatione illustrando; praesertim e SS. Patrum testimoniis, e quibus, prout et consensu praxique Ecclesiae haec duo potissimum pertractat: *perantiquam indeque constantem Ecclesiae consvetudinem*, item *antiquissimam eamque pacificam fidelium persvasionem et consensionem* esse *duo vehicula divinae traditionis*, quae ad quaestionem praesentem insigniter applicat. 2. *An immac. conceptio remote solum vel proxime sit definibilis?* respondet *proxime* esse definibilem. 3. *An sit opportunum dogmatice definire imm. conc.?* Et *negativam et positivam* tuetur *opportunitatem*; priorem ex eo, quod nec vigens adhuc contraria sententia, nec indifferentia, nec temporum malitia, nec seculi invalescens impietas ac incredulitas tamquam motiva definitionem dissvadentia ullam mereantur considerationem; posteriorem ex eo, quod adsint motiva ad definitionem impellentia: praesentes Ecclesiae calamitates et persecutiones, repente reviviscens Antistitum, Religiosorum etc. aemulatio ac instantia pro definitione, ipsius Matris Dei voluntas non obscure palam facta. 4. *Quis modus edendae definitionis?* Multis ex obtutibus pro *directa* sive *absoluta* pugnat *definitione*. (*Mon.* 1042. p. 299.)

Eppus et Abbas *Agaunensis* a. 1850 pro absoluta definitione. (*Mon.* 1043. p. 313.)

Eppus *Lausannensis et Genevensis* a. 1854 et *definibilem omni ex obtutu* censet *piam sententiam*, et, non obstantibus angoribus per quosdam manifestatis, ex intimo corde optat eam sententiam dogmatice definiri. (*Mon.* 1044. p. 314.)

---

b) *contra decisionem.*

Eppus *Sangallensis* a. 1850 *B Virginem immaculate conceptam ab omnibus firmiter credi* asserit, eam tamen *dogmatica definitione augeri non posse*, imo huiusmodi *definitionem pro*

tempore superfluam esse iudicat, et ad aliud tempus, Religioni ac obedientiae erga Vicarium Christi magis favens differendam: simul declarans, *se, si definitio edita fuerit, nec momento haesitaturum, eidem velut a Spiritu S. infusae, semet subiicere.* (*Mon.* 1045. p. 316.)

N. Responsa ex Imperio Austriaco.

a) *pro definitione absoluta.*

Ad seriem Epporum Imperii Austriaci collocamus etiam Praesules Regni *Lombardo-Veneti*, quod quippe eo tempore adhuc Imperio Austriaco parebat. Ordinem, ut alias, hic quoque chronologicum sequimur.

Eppus *Veronensis* a. 1849 pro absoluta definitione. (*Mon.* 1046. p. 318.)

AEppus *Utinensis* a. 1849 uti Veronensis, plena devotionis erga SS. Matrem Dei oratione votum suum enuncians. (*Mon.* 1047. p. 319.)

Eppus *Feltriae et Belluni* a. 1849 propositis succincto sermone praecipuis convenientiae et SS. Patrum argumentis, erat ad dogmatis dignitatem evehi, quod iam laete canitur in Ecclesiis, quodve omnes populi devoto animo sunt amplexuri. (*Mon.* 1048. p. 322.)

Eppus *Spalatensis et Macarensis* a. 1849 e peculiari Divini Spiritus collustratione consilium cepisse ait Summum Pontificem, ut e Cathedra Petri decernatur immac. conceptio Deiparae, ceu veritas in Ecclesia continuo credita, quam etsi Concilia et Summi Pontifices hactenus definire haesitaverint, voluntatem tamen id faciendi numquam in iis defuisse certum it; *anathema dicit ei, qui Summo Pontifici negaret ius, eo in rebus fidei decernendi, quae dubia sunt, non nova quasi dogmata conflando, sed quae in intimiori Ecclesiae sensu manebant, enucleando ac illustrando.* (*Mon.* 1049. p. 324.)

Eppus *Linciensis* a. 1849 erudite pro more suo evolvit congruentiam et veritatem piae doctrinae: praeter alia, cumprimis patristica argumenta, inde quoque eandem confirmans,

quod cum BVirgo ab initio statim Ecclesiae in orationibus Angelis omnibus praeponeretur, in Angelis autem nulla labes sit, credendum utique sit, nec in selectissima Virgine, vase divinae dilectionis, labem esse potuisse; praeterea solemnitas Nativitatis Deigenitricis per Ecclesiam celebrata sponte sua quemvis inducat ad credendum, Deiparam singularis privilegii ortum habuisse, ab omni noxa immunem. Concludit, *nullum dubium amplius esse posse sincero catholico homini, doctrinam de immac. conc. BV. omni ex parte esse sanam, et usque adeo fundatam, ut tamquam Ecclesiae Cath. doctrina a S. Sede iam nunc declaretur.* (*Mon.* 1050. p. 326.)

Eppus *Tarvisinus* (Sebast. Soldati) a. 1849 sententiam suam fusiore calamo exposuit instar docti opusculi, concinnati sub titulo: *Votum Dioecesis Tarvisinae ab Eppo substratum pro illustratione et defensione specialissimi privilegii immac. conceptus, Excelsae Nostrae Dominae concessi.* Absque haesitatione profitetur, *totum mundum christianum, quacunque protenditur, nil ardentius optare, quam videre auroram nunciam diei faustissimae, qua aperto oris Apostolici oraculo proferatur decretum de privilegio immac. conceptus BV. velut de doctrina fidei catholicae, quam qui aut negaret aut in dubium vocaret, separetur a grege christiano.* Pro hac veritate pugnare affirmat invincibilia argumenta theologica, clara Patrum et Doctorum testimonia, rem adeo illustrantia, ut nullum supersit dubium, item universalem, constantem ac perpetuum Ecclesiae consensum in tuendo hoc Mariae privilegio. Triplex hoc genus argumentorum uberrime proponit, et simul ostendit, *doctrinae piae competere tres illos characteres, quos Vincentius Lirinensis declaravit constanter reperiri in tractatibus ad institutionem christianam pertinentibus,* nimirum ‚ubique, ab omnibus, sine ulla varietate'; quia licet S. Sedes longissimo XIX seculorum tractu non censuerit maturum esse tempus pro definitione mysterii, semper tamen praedicaverit BVirginem ut immaculatam, et ut talis ab omnibus teneatur, commendaverit et probaverit. Concludit: *privilegium Mariae sic esse probatum e fontibus theologicis, ut nulli dubio sit locus, id defendi perpetuis elogiis per omnia secula a Patribus et Doctoribus Ecclesiae, item firmari tacito constantique Ecclesiae con-*

sensu, adeo, ut sola desit exterior definitio, a. Pio IX P. M. expectata. (*Mon.* 1051. p. 330.)

Eppus *Patavinus* a. 1849 uti Veronensis. (*Mon.* 1052. p. 347.)

Eppus *Clodiensis* a. 1849 uti Patavinus. (*Mon.* 1053. p. 348.)

Eppus *Cenetensis* a. 1849 pariter ut proxime praecedentes, affirmare non dubitat, uno ab omnibus ore postulari, ut quod hucusque de tanto mysterio pie creditur, imposterum per dogmaticam definitionem firmiter ab omnibus teneatur (*Mon.* 1054. p. 349.)

Eppus *Sibenicensis* a. 1849 ut praecedentes. (*Mon.* 1055. p. 349.)

Card. Patriarcha *Venetus* (Monico) a. 1850 *neminem esse Venetiis* asserit, *qui communi voto de definiendo immac. conceptu BV. non adstipularetur; in urbe Venetiarum singularem erga Deiparam immaculate conceptam devotionem adeo antiquam esse, ut dici possit, eam uno eodemque tempore cum ipsa urbe initium habuisse;* populum clerumque Venetum ardentissimo teneri desiderio huius definitionis inde quoque patere, quod ubi facultas addendi encomium ‚immaculatae' in Litaniis advenisset, encomium illud ab universa multitudine altiore voce repeti consueverit; et se ipsum, et universum Venetiarum clerum ac populum, ferventes fundere preces, ut S. Sedes suprema auctoritate inter doctrinas Ecclesiae Cath. immaculatum BV. conceptum referat. (*Mon.* 1056. p. 350.)

Eppus *Brixiensis* (Brescia) a. 1851 e consideratione multorum et gravissimorum argumentorum, quibus viri docti traditionem de immac. conc. BV. confirmant, ita sibi statuendum esse in Domino videri ait, quod de hoc mysterio divinitus revelato sic constet, ut ad id dogmatice definiendum tuto procedi valeat. (*Mon.* 1057. p. 354.)

AEppus *Iadrensis* a. 1851 pronunciat: fidem in Deiparam immaculate conceptam tot argumentis ex S. Scriptura et Traditione depromtis firmari, ut tum hinc tum e summa diligentia Praesulum definitionem dogmaticam sollicitantium, et favoribus Summorum Pontificum piae doctrinae praestitis, prout et multiplicibus mediis ab Ecclesia ad inducendos in

hanc pietatem fideles adhibitis asseri possit, *ipsam infallibilem Ecclesiam talem immaculatae conceptae Deiparae cultum populis svasisse, ut confitendae conceptionis immaculatae sensum totus mundus acceperit.* Tam suo quam dioecesis nomine definitionem postulat. (*Mon.* 1058. p. 355.)

Eppus *Mantuanus* a. 1853 pro absoluta definitione. (*Mon.* 1059. p. 357.)

Eppus *Bergomensis* a. 1854 *privilegium Marianae immunitatis* tuetur *tamquam eiusmodi attributum, quod perfecta sanctimonia commendat, gratiarum plenitudo deposcit, plenissimus de inferno triumphus exigit, quod integerrimae ac supremae virginitati congruit, divinamque maternitatem maxime decet*, pro quo adest nubes testium traditionis, favor Ecclesiae constans ac perpetuus etc. Supplicat itaque illud tamquam fidei dogma proclamari. (*Mon.* 1060. p. 358.)

AEppus et Abbas *Mechitaristarum Vindobonensium* a. 1854 in erudito responso ad Encyclicam Pontificiam *argumentis biblicis* rem pertractat, et illustrat cumprimis argumentum inde formatum, quod *Gabriel Archangelus* in sua ad BVirginem salutatione dixerit: *non esse impossibile apud Deum omne verbum*; e quibus verbis ita suum instruit APraesul argumentum: Deo qua enti supremo attribuenda est omnimoda perfectio, quae non sit obnoxia contradictioni; pariter supernaturali Incarnationi Verbi Divini omnis perfectio competit, quae in se non contineat contradictionem: iam vero dubitari non potest, magnam esse perfectionem SS. Incarnationis Divini Verbi, nasci in ventre Virginis sine labe originali conceptae, igitur confitendum est, Verbum carnem factum esse in utero Mariae V. sine labe conceptae. Propositionem maiorem ait esse evidentissimam, et, si ita loqui licet, plus quam de fide, cum Deo nulla desit perfectio, et mysterium Incarnationis sit sublimissimum, ad quod omnia Dei decreta semet referunt; minorem propositionem pariter videri explicite revelatam in sacris oraculis. Traditionem aeque esse claram pro hoc mysterio, cum et Angelici Doctoris sententia, rite examinata, magis faveat piae doctrinae, quam opponatur, nec quidquam ad communem Ecclesiae consensum iam desideretur, ac ipsa definitio. (*Mon.* 1061. p. 359.)

Eppus *Tarvisinus* (neoelectus) a. 1854 pro definitione. (*Mon.* 1062. p. 368.)

---

b) *pro conditionata defin.*

AEppus *Mediolanensis* cum suis Suffraganeis a. 1849 in Conferentiis super quaestione pia celebratis testimonium quidem incunctanter perhibuerunt de tenera sinceraque cleri et fidelium veneratione erga Deiparam immaculate conceptam: verum ob adiuncta temporis difficilia, et *ob quietam ac pacificam possessionem devotionis ac fidei piae nec interrogandos eatenus fideles, nec suam sententiam depromendam censebant, totum negotium supremae decisioni S. Sedis relinquentes.* (*Mon.* 1063. p. 369.)

E subscriptis Suffraganeis tam *Mantuanum*, quam *Bergomensem* distinctis literis, post memoratam consultationem exaratis, pro definitione absoluta semet enunciasse superius retulimus. Ipse etiam AEppus, datis novis a. 1854 literis, a priore sententia recessit, et tam suo quam Suffraganeorum nomine definitionem mysterii postulavit. In his literis, quibus Eppus *Laudensis* suum nomen adiecit, commemorat APraesul, se paulo post transmissam a. 1849 epistolam, aliam expedivisse literam ad S. Sedem pro petenda definitione immac. conceptionis, fato quopiam deperditam. (*Mon.* 1064. p. 371.)

Eppus *Tergestinus et Iustinopolitanus* a. 1849 commemorando, quod nonnulli de clero non vi propriae persvasionis, sed magis ex obedientia de contraria opinione silentium teneant, confitetur: summopere desiderandum esse, ut *intentio S. Concilii Tridentini clarius exponatur, et doctrina catholica de immac. conc. BV. verbis haud ambiguis definiatur;* perpensis tamen adiunctis, *directa definitio differatur, et duntaxat sanctitas ecclesiastici ritus, cuius in colendo BMV. conceptu fit usus, decernatur.* (*Mon.* 1065. p. 373.)

---

c) *contra definitionem.*

Eppus *Goritiensis* a. 1849 totus contra definitionem fuit: *agricolas et classium inferiorum populum piae opinionis in fidei articulum elevationem non exoptare; a cultioribus definitioni directae contrarios sensus foveri; PP. Franciscanos*

nullum manifestare definitionis desiderium, imo potius timere decisionis malos effectus quoad heterodoxos et tepidos catholicos; clerum secularem eiusdem esse sententiae, referens. Suam vero propriam opinionem in eo exprimit, *quod attento Germaniae universae statu, et Provinciarum Austriacarum conditione, propositio de decidenda quaestione scholastica circa immac. conc. relate ad Protestantes, et sic dictos Germano-Catholicos, item langvidos catholicos, in actuali libertatis politicae statu sit res plena periculi, et quaestio omnis in eo situ relinquenda, in quo hactenus perstitit.* (*Mon.* 1066. p. 374.)

Card. AEppus *Salisburgensis* (Princeps Schwarzenberg) a. 1849 existimat: *in sapientissima C. Tridentini constitutione omnes acquiescere, ita, ut novum Apost. Sedis decretum hac in re minime desideretur;* spectatis temporum adiunctis non censeri ab se opportunum consilium, piam fidem instar dogmatis declarandi, imo declarationem similem plenam esse periculi. In fine epistolae declarat: se iudicio et auctoritati Ecclesiae devotissime obsecuturum. (*Mon.* 1067. p. 376.)

Eppus *Adriensis* a. 1849 suam sententiam in his concentrat: *periculosum esse in Ecclesia Dei novas invehere veritates, quae neque in Scripturis, neque in traditione Patrum inveniuntur,* prout in praesenti casu se res habet; timendum, ne huiusmodi noviter propositum mysterium occasionem praebeat excitandi perantiquas haereticorum calumnias, perditorumque hominum blasphemias; cavendum, ne occasio detur inimicis, Ecclesiam novis armis perstringendi, si ipsa post tot secula novum proponat credendum mysterium, de quo nullum in Scriptura vel SS. Patribus certum testimonium; *satis fore, si de mandato S. Sedis omnes per orbem Ecclesiae amplecterentur novum de B V. conceptione officium Romanum, et in Praefatione Missae adderetur ‚immaculata.‘* Interim, quidquid a S. Sede definitum fuerit, reverenter se recepturum pollicetur. (*Mon.* 1068. p. 378.)

Eppi *Bohemiae* a. 1849 collective repraesentant: piam fidem ceu doctrinam Ecclesiae ex antiquissima traditione haberi, sed quum nulla novissimis temporibus tractata sit controversia, et haereticae doctrinae ei adversantes decisionem dogmaticam non videantur urgere, *adiunctis modernis non com-*

mendari, ut fides haec licet antiquissima tamquam doctrina Ecclesiae solemni decernatur iudicio. (*Mon.* 1069. p. 380.)

Eppi *Moraviae* a. 1850 pariter collective enunciant: non modo apud fideles infucatam vigere pietatem colendi BVirginem a peccato originali praeservatam, sed Clerum quoque et se ipsos de veritate mysterii huius intime esse convictos, huiusque fidei piae germen ac semina et in Bibliis et primitiva Traditione contineri, filo eiusdem numquam intercisο, imo per liturgias, festi institutionem, conciones pastorum, ac devotum fidelium sensum, longius in dies producto. Nihilominus *non posse se in eam abire sententiam, ut iam nunc pia doctrina decreto pontificio inter dogmata constituatur; et quidem ex regionum harum difficillimis circumstantiis: in quibus impune grassatur haeresis; consiliumque suum eo tendere, ut res, donec circumstantiae mutentur, in statu suo permaneat.* (*Mon.* 1070. p. 382.)

O. Responsa ex Hungaria.

a) *pro absoluta definitione.*

Ex Regno nostro Mariano, quod a. 1849 dioeceses 26, (potissimum Sede plena) numerabat, *quatuor* duntaxat Praesulum responsa occurrunt inserta officiosae collectioni Romanae, e qua Responsa Eppatus orbis catholici desumimus, quippe *Epporum Quinqueecclesiensis, Sabariensis, Colocensis,* et *Vicarii Capitularis Agriensis* (nostrae indignitatis). Praeter haec successit nobis obtinere duorum Praesulum, *Szathmariensis,* et *Vicarii Capitularis Scepusiensis,* responsa, memoratae Collectioni haud illata, quia Romam fato quopiam non pertigerunt. Subin a. 1854 erga provocationem Card. AEppi Strigoniensis reliqui etiam Praesules vota sua deprompserunt, ante ipsam dogmaticam definitionem Romam perlata, et Collectioni Romanae officiosae instar Appendicis inserta.

Eppus *Quinqueecclesiensis* a. 1849 provocando ad suas preces a. 1848 interpositas, quarum ope encomium ‚Immaculatae' publicis in officiis divinis addendi facultatem petiit, confirmat suam iam tunc propositam convictionem de immac. conceptu BV. hunccque definiri orat, *ut dehinc Mater Dei non*

pietatis impulsu solum sed et supremi Ecclesiae Pastoris oraculo fide indubitata absque labe originali concepta coli possit. (*Mon.* 1071. p. 387.)

Eppus *Sabariensis* a. 1849 praemisso, *quod populus fidelis Ecclesiae Hungaricae singulari semper in Deiparam pietate eminuerit,* devotionemque hanc potissimum Clerus Curatus promoverit, non dubitat affirmare, tam se, mysterio immac. conceptionis intime addictum, quam Clerum ac populum pia cum veneratione excepturos solemne S. Sedis iudicium de hoc mysterio. (*Mon.* 1072. p. 388.)

AEppus *Colocensis* a. 1850 praemittit: se nullas S. Sedis literas de immac. conc. BV. sonantes percepisse, ,probabilius ob turbulentissimas procellas et armorum strepitum, illamque seditiosae seu usurpatoriae potestatis dispositionem, qua literas omnes in ipso Postae officio occupari et sibi submitti voluit'; intellecto tamen ex publicis foliis tenore Encyclicae Pontificiae, se cum solatio desideratum reddere responsum. In eo primum memorat *Clerum et populum suae dioeceseos et in genere Mariano cultui ab olim esse addictissimum, et speciatim BVirginis Conceptionem absque macula originali pie credere:* hocque posterius patere ex eo, quod BVirginem lingva vernacula ab immemoriali *immaculatam* vocet, in libris precatoriis hoc ipsum pivilegium ei tribuatur, *festum Conceptionis* sub ritu *duplici I classis cum Octava* celebret, et omni *Sabbato,* non impedito, *officium immac. Conc. recitet,* sed et *Parisinae Confraternitati de SS. et immac. Corde Mariae* magno numero sit aggregatus; tuto proinde affirmari posse, pium esse desiderium, ut BVirgini summus hic honor solemni decernatur indicio. Dein ad edicendam suam sententiam descendens, ait: *se innixum SS. Patrum expressis placitis, piorum virorum doctissimis elucubrationibus, tacitae fidei Ecclesiae, audito etiam Sacri Senatus sui voto, desiderare ac petere, ut SS. V. Mariae ex solemni Ecclesiae et Summi Pontificis iudicio summus decernatur honor, eiusdem Conceptionem immaculatam fuisse, et ab omni originalis culpae labe immunem.* (*Mon.* 1073. p. 390.)

Vicarius Cap. *Agriensis* (nostra indignitas) a. 1850 tam de cultu singulari BVirginis, quam *de pia fide imm.*

conceptionis quoad dioecesim hanc testimonium perhibet, asserendo, *fidem hanc tam alte infixam esse in corde fidelium, ut vel dubium eatenus sine gravissima offensione audire non possit, festumque Conceptionis in celebrationem immac. conceptus institutum teneant;* concludique posse, fidei huic conformiter omnem fere Clerum et populum nil magis exoptare, quam ut pia eius fides oraculo S. Sedis uti doctrina Eccl. Cath. decernatur. *(Mon.* 1074. p. 393.*)*

---

b) *pro conditionata definitione.*

Vicarius Cap. *Scepusiensis* a. 1850 ex relationibus Curatorum animarum compertum haberi significat, *tam Curatum Clerum quam fideles in contestanda erga Deiparam summa devotione se invicem aemulari, eandemque omnes in pia hac quaestione de immac. conceptu Deiparae tenere sententiam, communi orbis catholici sensui, effatisque SS. Patrum et S. Sedis Ap. conformem.* Prolatis pluribus biblicis argumentis, piae doctrinae maxime suffragari id censet, quod doctrina haec inde ab antiquissimis temporibus per piissimos Deiparae cultores palam tradita, et non obstantibus contrariae opinionis acerrimis defensoribus, numquam reprobata, imo in Ecclesiis non contradicente Sede Apostolica publico cultu firmata fuerit, haecve omnia declarationi Tridentinae iuncta, prout et communes orbis catholici postulationes definitivae sententiae enunciationem urgeant. Hanc fuisse mentem a. 1845 Eppi Scepusiensis, dum de petenda adiectione encomii ‚immaculatae' in divino officio ageretur, hanc eandem esse nunc quoque Capituli Scepusiensis sententiam. Verum *de ipsa definitione divergere refert opiniones, aliis directam absolutamque aliis tantum indirectam seu negativam proponentibus, remque totam iudicio S. Sedis deferentibus.* *) (*Mon.* 1075. p. 394)

*) In Romana collectione ‚Pareri dell Episcopato Cattolico. P. I. vol. 3. Roma. 1851. p. 84' per errorem legitur titulus Eppi Scepusiensis, votum depromentis, cum votum illud non ab hoc (quippe sede vacante) sed ab Eppo *Secusino* in Pedemontio (Susa) depromtum sit.

---

c) *contra definitionem.*

Eppus *Szathmariensis* (Ioannes Hám) a. 1849 primum exquisivit consilium *Eppi S. Hippolyti,* subin Vicarii Apost. Castrensis, *Ioannis Mich. Leonhard,* sibi amicitia iuncti, duo proponens *dubia,* circa Encyclicam Pontificiam oborta: 1. *An sit rescribendum,* 2. *qualiter sit rescribendum?* Prius dubium nde oriri, quod ab edita Encyclica iam longius tempus effluxerit: posterius vero inde, quod, licet de veritate imm. conceptus BV. intime sit convictus, eiusque cultum omnimode auctum ac promotum cupiat, definitionem tamen dogmatis e metu, ne vel controversiae resuscitentur, vel Protestantes ansam calumniandi nanciscantur, vel ipsi pii catholici, veritatem hactenus firmiter credentes, ad publicationem novi dogmatis attoniti reddantur, exoptare aut svadere non audeat. Quidnam consultus Praesul Eppo quaerenti responderit, eruere non potuimus: Eppus tamen Szathmariensis rescripsit Summo Pontifici 15 Dec. 1849: *se, collatis cum Capitulo Cathedrali consiliis comperisse, quod Clerus populusque dioecesanus doctrinae de immac. conc. BV. pia et indubitata fide adhaereat, nilque desideret ardentius, quam ut cultus immaculatae Matris amplius propagetur; simul tamen anxie metuat, ne ex dogmatica enunciatione ob impietatem haereticorum et schismaticorum calumnias malis his temporibus pericula dissidiorum et impedimenta conversionum enascantur: in horum nexu se quoque,* licet immaculate conceptae Virginis cultui firma fide addictum, *existimare, quod tacita populi de imm. conc. eiusdem Virginis fides magis per cultus ipsius propagationem et exercitia pietatis hoc fine instituta promoveatur, quam per solemnem dogmaticam declarationem,* inimicorum Ecclesiae attentionem et lites internas provocare queuntem.*) (*Mon.* 1076. 1077. p. 397.)

---

*) Responsum Eppi, ut iam praenotavimus, in collectione Romana desideratur.

Subiungimus his responsis ea, quae Praesules Hungariae a. 1854 per Card. AEppum Strigoniensem, ut diximus, provocati, reddiderunt.

Card. AEppi *Strigoniensis* provocatio ad Eppos a. 1854 in procinctu itineris Romam suscipiendi facta fuit. (*Mon.* 1078. p. 401.)

a) *pro absoluta definitione.*

AEppus *Agriensis* non modo e propria convictione, sed etiam expensis iis, quae hactenus acta sunt, censet ad definitionem dogmaticam procedendum esse. Commemorat insuper, *se iam a. 1850, dum Praesules Hungarici Strigonii pro Conferentiis congregati fuissent, propositionem fecisse, ut Eppi simul praesentes sensa sua Summo Pontifici perferant,* sed propositioni huic ea occasione delatum haud esse. (*Mon.* 1079. p. 401.)

Eppus *Quinque-Ecclesiensis* enunciat: nil obstare, quominus veritas pia ductu S. Scripturae ac Traditionis per solemnem definitionem ad credendum proponatur ac in fidei dogma elevetur. (*Mon.* 1080. p. 402.)

Eppus *Neosoliensis* declarat: affirmativam dogmatis decisionem, novum Matri Salvatoris honorem additaram, a se et a clero populoque dioecesano cum gaudio excipiendam fore. (*Mon.* 1081. p. 403.)

Eppus *Csanadiensis* ait: Divinam Sapientiam poscere immunitatem Matris Filii Dei a corruptione primi Adae, in ipso conceptu Omnipotentia Dei effectam; hancque fidem SS. Patrum in Concilio quoque Tridentino negative assertam haberi; se firmiter tenere, quod Verbo Dei scripto ac tradito consentienter credendum sit, Deiparam a labe originali immunem fuisse; *fidem populi implicitam iam nunc existere, cum in universali, quae genti Hungarae plane priva et nationalis est, pietate et cultu erga Deiparam comprehendatur.* (*Mon.* 1082. p. 404.)

Eppus *Transilvaniensis* pro definitione dogmatica nomine Ecclesiae Transilvanicae interpellat Card. AEppum Strigoniensem. (*Mon.* 1083. p. 405.)

Eppus *Cassoviensis* uti praecedens, in argumentum adferendo etiam recursum suum S. Sedi haud pridem porrectum pro consequenda facultate, BVirginem in divinis officiis palam et publice ‚Immaculatam' salutandi. (*Mon.* 1084. 1085. p. 405. s.)

AEppus G. C. *Fogarasiensis in Transilvania* tam Card. Primati quam Nuntio Apostolico rescribens, intimam suam convictionem significat de veritate mysterii imm. conceptus Deiparae, succincte enumeratis argumentis; propositis insuper *de Graeco-Catholicae Ecclesiae doctrina* notitiis, iuxta quas *Ecclesia haec inde a primis temporibus de BVirgine haud aliter quam de immaculate concepta senserit; testantibus id precibus et canticis, oratione Completorii, officiis Assumtionis et Annuntiationis BV. praeterea dedicationibus templorum in honorem BVirginis,* quae licet stricte in honorem Conceptionis immaculatae non inveniantur, id tamen non ex defectu fidei in hoc dogma, sed ideo non evenisse hactenus, quia definitio dogmatica desideratur; demum insinuat APraesul suum suique Cleri ac populi votum esse, ut dogma definiatur. (*Mon.* 1086. 1087. p. 407. s.)

Eppus *Eperiesiensis* G. C. in epistola ad Nuntium Apostolicum indubitanter profitetur, suam semper fuisse et esse fidem eandem, quam Ecclesia Orientalis in suis Euchologiis et SS. Patribus constanter expressit, nempe Deigenitricem in sua conceptione fuisse immaculatam. (*Mon.* 1088. p. 410.)

Eppus *Weszprimiensis* uti praecedentes, pro definitione. *Mon.* 1089. p. 411.)

Eppus *Vaciensis* (nostra indignitas) eodem fere tenore, quo iam a. 1850 qua Vicarius Capit. Agriensis, sententiam suam expressit. (*Mon.* 1090. p. 411.)

Eppus *Iaurinensis* adnexo *Professorum Lycei testimonio super avita inter sacerdotes et universum fidelem populum fide circa immac. conceptum BV.* non dubitat asseverare: *eandem hanc fidem, quam et Irenaeus, Ambrosius, Bernardus etc. tenuerint, ab se ita profiteri, ut impium fore censeat aliter de BV. sentire, quam una cum clero omnis sentit fidelium coetus; atque hinc de fide esse, credere, Verbum incarnatum ex Virgine ab originali labe immuni, natum esse; contrariam autem doctri-*

nam nec honorificam fore sponsae Spiritus S. nec cum pietate erga Deiparam conciliari posse, proin catholicam nullatenus haberi posse. (*Mon.* 1091. p. 412.)

---

b) *pro definitione conditionata.*

AEppus *Colocensis et Bacsiensis* suam facit declarationem Antecessoris sui de a. 1850 supra relatam: *verendum* tamen esse ait, *ne solemni decisione huius quaestionis et publicatione ceu insolita quadam novitate fides populi conturbetur.* Interim sapienti iudicio S. Sedis determinandum relinquit, quid expediat, quidve respectu Ecclesiae universalis adiuncta svadeant. (*Mon.* 1092. p. 414.)

Eppus *Scepusiensis* uberius describit mentem sacerdotum suae dioecesis: sacerdotes quippe non solere se ad dogmaticam pertractationem rei immittere, contentos praedicare, quod BVirgo sit gratia plena, cui nulla gratia, qua Dei Matre digna fieret, defuerit, adeoque Virgo sine omni labe; nonnullos immaculatum conceptum asseruisse in sacris sermonibus et e rationibus congruentiae item Patrum testimoniis probasse etiam; sed, quum in Catechismo regnotenus praescripto de hoc Mariae privilegio id solum traderetur, quod haec sit pia fides, plerosque imo plurimos in propugnando mysterio ulterius progressos haud fuisse, sed tantum praedicasse BVirginem ceu sanctissimam, intemeratam, nulla peccati labe inquinatam. Se ipsum ait Praesul piae semper adhaesisse sententiae, et sive in catecheticis sive aliis sermonibus sacris rem sic proposuisse, ut facile pateret, piam sententiam propugnari: ceterum *ex obtutu gravium Doctorum, cumprimis Thomae Aquinatis, contrariae opinioni faventium se nonnulla anxietate teneri, ne assertio dogmatica ea forma locum habeat, ut tenerae conscientiae homines hactenus aliter sentientes obsequium eidem magis ex auctoritate quam intima persvasione praestare videantur; atque ideo opportunum fore, si id duntaxat enuncietur: bonum et pium esse credere, BVirginem sine labe peccati originalis esse conceptam.* Ceterum subiicit se Eppus deciso Summi Pontificis. (*Mon.* 1093. p. 415.)

---

c) *contra definitionem.*

Eppus *Albaregalensis* suam, cleri et fidelis populi convictionem non esse diversam a communi Ecclesiae Hungaricae fide ac doctrina de immaculato conceptu BVirginis declarat, sed simul addit: *et Clerum e definitione dogmatica admirationis ansam sumturum, quod quaestio scholae ad publicitatem Ecclesiae translata sit, et populum attonitum reddendum, quasi pia fides sua in dubium vocetur.* (*Mon.* 1094. p. 419.)

Eppus *Sabariensis* non dubitat de veritate immac. conceptus BMV. cum e celebratione festi conceptionis manifeste sequatur, Ecclesiam hoc suo facto una fidem suam de qualitate Conceptionis edixisse, conceptioque immaculata obiectum cultus publici constituat. Interim subdit, *sub quaestione esse, num fides haec pia nostris temporibus instar dogmatis pronunciari opportune valeat, siquidem oeconomia Ecclesiae semper ea fuerit, ut nonnisi controversa doctrinae capita definirentur.* (*Mon.* 1095. p. 419.)

Eppus *Rosnaviensis* suam persvasionem exprimit super eo, quod pia opinio de Maria sine labe concepta cuncta dogmaticae veritatis requisita habeat: sed *anceps haeret, an id, quod Ecclesia tantorum seculorum intervallo indecisum reliquit, nunc praeter omnem, quae id imperiose postularet, ansam fide dogmatica credendum enunciare expediat? veretur quoque, ne serotina idmodi enunciatione populus fidelis perturbetur, hostibus Ecclesiae autem nova auctoritatem eiusdem sugillandi occasio praebeatur.* Ceterum addit: orbem catholicum cum reverentia suscepturum, quidquid catenus oraculo divinitus constituto definitum fuerit. (*Mon.* 1096. p. 420.)

Card. AEppus *Strigoniensis* receptis relationibus Praesulum, eas in comitiva literarum suarum S. Sedi substravit, in excusationem quidem Epporum, vota sua adeo tarde depromentium id proferens, quod 16 Eppatus Hungariae primum post annum 1850 completi fuerint*); quoad divergentes

*) Anno 1849, quo Encyclica Pontificia emanavit, e XXVI dioecesibus Hungariae et partium adnexarum septem Sedes erant vacantes,

autem nonnullorum Epporum opiniones adnotans, nullum esse, qui pro veritate mysterii sententiam non diceret, et casum in eum, si definitio ederetur, suum obsequium non promitteret. (*Mon.* 1097. p. 421.)

P. Responsa ex Graecia.

Eppus *Chiensis* a. 1849 *propriae vitae sacrificium lubens offert pro defensione immac. conceptus BV.* et petit indulgeri ut Orationi *Libera*, quae in Missa post *Pater noster* dicitur verbis: ‚semper Virgine' inseratur: ‚immaculata.' (*Mon.* 1098. p. 422.)

Eppus *Sanctorinensis* a. 1849 resultatum Conferentiae suae cum Capitulo et Clero institutae referens, observat, *fuisse unum de Clero, qui contra decisionem quaestionis perorabat ex eo, quod unice argumentis congruentiae veritas pia probari, decisio insuper impedimento esse possit unioni Graecorum schismaticorum.* Argumenta haec *refutat Eppus*, et pro absoluta definitione suum votum manifestat: *de Graecis affirmans, ipsos credere ab olim immac. conceptionem;* de argumentis *S. Scripturae* autem asserens, *eloquia divina illic contenta tam esse clara et evidentia, ut quemlibet stringere debeant ad confessionem immac. conceptus.* (*Mon.* 1099. p. 423.)

Eppus *Syrensis* a. 1849 provocat ad opinionem suam et preces apud Gregorium XVI P. M. interpositas pro obtinendo indultu addendi in Praefatione et Litaniis encomii BVirginis ‚immaculatae'; et de singulari devotione ac fide pia in hanc Mariae praerogativam apud fideles suos vigente referens, et suo et Coadiutoris sui nomine petit definitionem. (*Mon.* 1100. p. 425.)

---

tres autem impeditae ob motus civiles in Regno grassantes: aderant itaque XVI Eppi, e quibus duntaxat quinque, et unus Vicarius Capitularis sua ad Encyclicam dedere responsa, reliquis tacentibus. Anno 1850 plures e vacantibus Sedibus completae fuere. Haec non ad conflandam invidiam, quod omnino absit, sed ideo solum adducta sunto, ut pateat, quis fuerit eo tempore, quo Encyclica Pontificia emanavit, Hierarchiae Hung. status.

Eppus *Tenensis* a. 1849 pro absoluta definitione. (*Mon.* 1101. p. 426.)

AEppus Coadiutor AEppi *Corcyrensis* a. 1849 memorat, *se auctore et hortatore multos Italiae, Germaniae, Angliae et Hiberniae Eppos recurrisse ad S. Sedem pro indulto, addendi vocem* ‚immaculata' *in Praef. Missae et Litaniis;* porro in AEppatu Corcyrensi ex Apostolica concessione Civitatem et dioecesim sub protectionem BMV. absque labe conceptae positam esse; *Clerum* quidem *nonnihil anxie se enunciasse ob praesentia temporis adiuncta;* se tamen iis firmiter insistere, quae iam a. 1848 pro impetranda definitione proposuit, et eadem argumenta nunc quoque succincte repetit. (*Mon.* 1102. p. 426.)

Idem Coadiutor alia epistola pro ipso AEppo aegre decumbente idem exprimit votum. (*Mon.* 1103. p. 432.)

Eppus *Zacynthiensis et Cephaloniensis* a. 1849 uti Tenensis. (*Mon.* 1104. p. 432.)

AEppus *Naxiopariensis* (Ord. Praed.) a. 1849 ex privilegio divino exemtam fuisse BVirginem a communi hominum sorte ob praevisa merita Filii Dei agnoscit, et hoc ipsum definiri petit. (*Mon.* 1105. p. 433.)

Q. Responsa ex Turcia Europaea.

a) *pro definitione absoluta.*

Eppus *Alexiensis* simul Administrator *Scodrensis*, a. 1849 ad definitionem tuto procedi posse existimat tum ex subobscuris seu implicitis indiciis veritatis in Scriptura contentis, tum et praecipue ex validis extrinsecis monumentis, e SS. Patribus, Constitutionibus Pontificum etc. depromtis. (*Mon.* 1106. p. 434.)

Administrator *Antibarensis* a. 1849 tum suo tum AEppi nomine pro definitione. (*Mon.* 1107. p. 435.)

Vicarius Apost. *Sophiae in Bulgaria* a. 1849 suo et Missionariorum nomine uti praecedens; una addit, a fidelibus BVirginem tamquam immaculate conceptam devotissime coli. (*Mon.* 1108. p. 436.)

AEppus *Dyrrachiensis* a. 1849 prout praecedens. (*Mon.* 1109. p. 437.)

Administrator AEppatus *Scopiensis in Servia* a. 1849 et suo et Missionariorum nomine uti praecedens. (*Mon.* 1110. p. 437.)

AEppus et Primas *Armenus CPnus* a. 1849 enunciat: in Ecclesia Armena compertum ac exploratum esse omnibus hoc Mariae privilegium; ad obtinendam tamen maiorem certitudinem convocatis ad se suis sacerdotibus rem denuo in trutinam revocatam, et rursus compertum fuisse, *in Ecclesia Armena de illibato SS. Virginis conceptu nullum unquam exortum fuisse dubium, gentemque Armenam ita de hac veritate esse persvasam, ut adversam opinionem semper respuerit omnique conatu abhorruerit; in Patrum gentis Armenae sententiis inde a primaevis Ecclesiae seculis, prout et in Hymnariis Ecclesiae Deiparam praedicari ut in ventre matris benedictam, ab omni labe immunem, sobolem Adami indamnatam etc. exoptari itaque ardenter definitionem.* (*Mon.* 1111. p. 438.)

Eppus *Sappatensis* a. 1849 prout Dyrrachiensis. (*Mon.* 1112. p. 440.)

Eppus *Scodrensis* (e dioecesi exulans) datis a. 1849 ad Card. Praefectum S. Congr. de Prop. fide literis, intimam convictionem de immac. conc. BV. et desiderium definitionis expressit, sicque prorsus consonum dedit responsum Administratoris Eppatus sui (supra memorati) responso. (*Mon.* 1113. p. 440.)

Provicarius Apost. *Bosniae Ottomanicae* a. 1850 literis ad Card. Praef. de Prop. fide uti Sappatensis. (*Mon.* 1114. p. 441.)

---

b) *contra definitionem.*

Vicarius Apost. *Patriarch. CPni,* a. 1849 de fidelium devotione erga mysterium imm. conc. referens, suam propriam depromturus sententiam, ait: *non obstante dissertationum recentiorum pondere, silentium S. Scripturae, haesitationem SS. Patrum, dilationem Ecclesiae in definitione, modernorum temporum adiuncta deposcere, ut quaestio maneat indecisa, et ut in ipso actu,*

sui Ecclesia doctrinam de Maria sine macula concepta superstrueret, non imponatur obligatio credendi tamquam dogma fidei. Declarat simul, se iam nunc adhaerere iis, quae S. Sedes decidenda iudicaverit. (*Mon.* 1115. p. 442.)

R. Responsa ex regnis Asiae.

a) *pro definitione absoluta.*

AEppus *Smyrnensis in Turcia Asiatica* a. 1849 omnium unum esse significat consensum, unam fidem, generalem pietatem circa mysterium, idem desiderium definitionis. (*Mon.* 1116. p. 444.)

Delegatus Apostolicus Libani in Turcia Asiatica a. 1849 prout praecedens, duo historica data memorans: primum, *quod a. 1820 ad refutandas obiectiones schismaticorum elucubraverit dissertationem, in qua pure e Patribus Graecis comprobavit mysterium immac. Conceptionis, eandemque dissertationem ipsi schismatici Praesules veritate niti, et authentiam citatorum testimoniorum in dubium vocari haud posse agnoverint*; alterum, *quod a. 1840 occasione visitationis apostolicae cum Patriarcha et Eppis Chaldaeorum unanimiter deciderit festum imm. conc. in tota natione chaldaea de praecepto celebrandum esse.* (*Mon.* 1117. p. 445.)

Patriarcha Antiochenus Maronitarum in Libano a. 1849 in epistola, reverentiae ac subiectionis erga Cathedram S. Petri plenissima, *inconcussam Maronitarum fidem de imm. conc. BV.* et desiderium definitionis manifestat, diserte enunncians, *nationem Maroniticam ab antiquo credere immac. conceptum Deiparae, testantibus factis et libris ecclesiasticis.* (*Mon.* 1118. p. 446.)

Vicarius Apost. *Huquangensis in Sinis* a. 1849 ut Smyrnensis, de constanti Vicariatus sui fide et doctrina quoad immac. conc. testificans. (*Mon.* 1119. p. 449.)

Vicarius Apost. *Malabariae in Indiis* a. 1849 tam suo quam duorum Praesulum in part. infid. nomine, uti praecedens. (*Mon.* 1120. p. 450.)

Vicarius Apost. *Patnensis in Indiis* a. 1849 uti praecedens, simul obiectionem inde positam, quasi *doctrina pia* in Verbo Dei non contineretur, refutans, et ostendens, *eam in Verbo Dei tam scripto quam tradito realiter licet obscure contineri; siquidem et figurae textusque SS. Literarum de BVirgine sonantes literaliter et in tota sua extensione sumti omnem in BVirgine maculam excludant, et SS. Patres Deiparam ipsis sublimissimis spiritibus quoad puritatem praetulerint, eoque ipso pariter omnem ab ea maculam excluserint.* (*Mon.* 1121. p. 451.)

Patriarcha Graecorum Melchitarum Cath. a. 1849 prout Antiochenus Maronitarum, non dissimulans, *esse aliquot Eppos, qui censeant e respectu haereticorum definitionem non videri opportunam;* addens tamen, *omnes revereri summam auctoritatem S. Sedis et iustitiam decisionum eius.* (*Mon.* 1122. p. 452.)

Vicarius Apost. *Coadiutor Calcuttensis in Indiis* a. 1849 petit illorum Antistitum seriei adnumerari, qui definitionem exorant, siquidem eidem fidedigne constet, longe maiorem numerum Epporum per orbem dispersorum hoc ipsum petere. (*Mon.* 1123. p. 452.)

Vicarius Apost. *Bombaiensis in Indiis* a. 1849 uti Malabariensis, *antiquissimam esse in insula sua fidem de imm. conc.* perhibens. (*Mon.* 1124. p. 453.)

Vicarius Apost. *Madurensis in Indiis* a. 1849 uti praecedens, pro fide inconcussa fidelium adducens, *quod in Ecclesiis quotidie publica fiat deprecatio ad BVirginem sine labe originali conceptam.* (*Mon.* 1125. p. 453.)

Coadiutor Mongolensis in Sinis a. 1849 suo et Missionariorum nomine pro ‚immaculatissima' VMaria. (*Mon.* 1126. p. 454.)

Patriarcha Antiochenus Syrorum a. 1849 prout Patr. Maronitarum. (*Mon.* 1127. p. 455.)

Vicarius Apost. *Malacensis in Sinis* a. 1849 uti Bombaiensis, non dubitans, *Deum, omnia svaviter disponentem, velle his temporibus per hanc piam doctrinam, in toto catholico orbe tam firmam redditam, pietati fidelium nova praebere incitamenta.* (*Mon.* 1128. p. 455.)

Administrator Apost. *Nankinensis in Sinis* a. 1850 suo, suorumve Missionariorum et fidelium, omnium piae doctrinae ex corde addictorum, nomine orat definitionem. (*Mon.* 1129. p. 456.)

Ex-Vicarius Apost. *Avae et Pegu in Indiis*, Taurini commorans, a. 1850 pro immac. conc. BV. maxime pugnare ait *sensum communem ac universalem fidelium*, eumque *sensui Ecclesiae iunctum veritatem piam de imm. conc. non solum efficere theologice certissimam, sed etiam divinitus revelatam*, quia in Verbo Dei tradito firmatam, posseque hoc ipso declarari ut verum fidei dogma. (*Mon.* 1130. p. 457.)

Vicarius Apost. *Avae et Pegu*, priori succedens, a. 1850 prout Nankinensis. (*Mon.* 1131. p. 458.)

Vicarii Apost. *Columbi in Indiis* a. 1850 exhibent S. Sedi *literam pastoralem de mysterio imm. conc.* editam, tamquam *indubium ac solemne testimonium* propriae convictionis, et *ferventis devotionis fidelium ab immemorabili tempore in insula remotissima vigentis*. (*Mon.* 1132. p. 458.)

Vicarius Apost. *de Kiangsi in Sinis* a. 1850 pro definitione veritatis, quam cum *B. Ligorio* pro tali habere se confitetur, quae *luce meridiana* sit *clarior*, et *cui* teste Benedicto XIV *nil praeter definitionem deest*. (*Mon.* 1133. p. 459.)

Vicarius Apost. *in Xensi in Sinis* a. 1850 prout Avensis et Peguensis. (*Mon.* 1134. p. 459.)

Vicarius Apost. *Tongkinensis Occidentalis in Sinis* a. 1850 preces iam Gregorio XVI Papae propositas iterat. (*Mon.* 1135. p. 460.)

Vicarius Apost. *Xansensis in Sinis* a. 1850 uti Avensis et Peguensis item Xensensis. (*Mon.* 1136. p. 461.)

Vicarius Apost. *Yun-Nanensis in Sinis* a. 1850 uti praecedens. (*Mon.* 1137. p. 461.)

Vicarius Apost. *Tunkinensis Centralis in Sinis* a. 1850 quoad populum fidelem refert, non expedire, ut de fide suâ quoad immac. conc. interrogetur, ne ob ignorantiam ac imbecillitatem suam magis scandalisetur quam aedificetur. De se non dubitat asserere, fidem suam semper fuisse pro immac. conceptu BV. sed necessariis subsidiis librorum destitutum uberius de quaestione hac, prout et de opportunitate definitio-

his enunciare se haud posse, recepturum incunctanter et praedicaturum fideliter, quod S. Sedes definiverit. (*Mon.* 1138. p. 462.)

Eppus *Patarensis in Missionibus Sinicis* a. 1850 Card. Praefecto S. Congr. de Prop. et convictionem suam de imm. conceptu Deiparae et votum pro definitione absque cunctatione ulla manifestat, probare paratus hoc ipsum argumentis, si id a se desideraretur. (*Mon.* 1139. p. 463.)

Patriarcha Babyloniae Chaldaeorum a. 1850 affirmat, *nationis suae sensum in merito piae fidei non divergere a doctrina ac fide reliquorum catholicorum;* provocat ad testimonium doctoris chaldaei *Georgii Uard,* immac. conceptum Mariae in pluribus Canticorum ac Hymnorum suorum locis diserte docentis; imo eandem fidem vigere ait etiam apud *infideles*, e quorum numero citat Musulmannum *Nuai*. Desiderat itaque cum suis Eppis et tota natione definitionem. (*Mon.* 1140. p. 464.)

Vicarius Apost. *Sutchuensis in Sinis* a. 1850 repetit preces pro decisione piae sententiae a. 1845 propositas. (*Mon.* 1141. p. 468.)

Vicarius Apost. *Kouai-Txeou in Sinis* a. 1850 eodem tenore, quo Vic. Huquangensis. (*Mon.* 1142. p. 468.)

Eppus *Hispahanensis in Persia* a. 1850 pro decisione. *Mon.* 1143. p. 469.)

Vicarius Apost. *Tunkini Orientalis in Sinis* a. 1850 etiamsi argumenta e S. Scriptura deessent, sufficere censet communem in Ecclesia sensum et pietatem; ipsos Ordinis Praedicatorum sacerdotes idem sentire, ut quippe tantus honor Deiparae decernatur. Subiungit idem votum sui Coadiutoris Eppi Paphensis. (*Mon.* 1144. p. 469.)

Vicarius Apost. *Cochinchinae Occidentalis in Sinis*, a 1850 suo et Coadiutoris sui Eppi Dansarensis nomine uti antecedens. (*Mon.* 1145. p. 471.)

Vicarius Apost. *Agrensis in Indiis* a. 1850 uti praecedentes. (*Mon.* 1146. p. 471.)

Vicarius Apost. *Japponicus in Sinis* a. 1850 uti Agrensis. *Mon.* 1147. p. 47 2.)

Vicarius Apost. *Xantumensis in Sinis* a. 1850 prout Huquangensis. (*Mon.* 1148. p. 472.)

Vicarius Apost. *Cochinchinae Orientalis in Sinis* a. 1851 uti Cochinchinae Occid. Vicarius. (*Mon.* 1149. p. 472.)

Vicarius Apost. *Fokiensis in Sinis* a. 1851 uti antecedens. (*Mon.* 1150. p. 473.)

---

b) *contra definitionem.*

Duo in Indiis Vicarii Apostolici negativum dederunt relate ad quaestionem de definitione imm. conc. responsum.

Vicarius Apost. *Mayssurii in Indiis* a. 1851 significat primo: *e quindecim Missionariis Vicariatus unum non respondisse, unum piam sententiam ceu probabiliorem admittere, tredecim autem firmiter credere piam veritatem*, eiusque dogmaticam optare definitionem. Dein suam explicat sententiam: ‚nec fidei nec rationi repugnare, ut BVirgo mirabiliter exemta fuerit a communi lege peccati originalis, imo se credere naturaliter, Deum simile privilegium BVirgini concessisse; sed *fide divina id a se credi nequire, quod nec Scriptura nec Traditio antiqua privilegium illud clare probent; prae metu autem, ne Protestantes et Philosophi definitionem catholico axiomati:* ‚quod semper, quod ubique, quod ab omnibus' *contrariam obiiciant, et certissima etiam reiiciant dogmata, insuper opinionem per 18 secula liberam sub poena damnationis imponi credendam nolendo, non posse definitionem desiderare.*' (*Mon.* 1151. p. 474.)

Vicarius Apost. *Coimbatorii in Indiis* a. 1851 fusius proponit suos obtutus. Primo asserit, epistolam Pontificiam esse adeo solemne momentum in favorem piae opinionis, ut illam in perpetuum confirmaverit, securimque ad radicem usque infigendo, controversiae vetustae finem absolute dederit. Tum evolvit, doctores, qui contrariam sectabantur opinionem, ex eo principio fuisse egressos, quod piam doctrinam non sat conformem existimaverint doctrinae S. Sedis, mentem suam olim clare non exprimentis. Tertio, indubitanter pronunciat, se una cum Missionariis firmiter credere mysterium immac. conceptus, et desiderare, ut haec opinio solemni S.

Sedis iudicio usque ad fidei articulum erigatur. Verum addit quarto, *ex definitione plura sequi posse infausta, ob quae suos angores reticeri non posse existimat; timendum nempe esse, ne definitio quamdam novitatis speciem praeseferat, et vim traditionis imminuat, damnaque Ecclesiae inferat; opus difficile esse, probare constantem traditionem quoad hoc mysterium,* a catholicis vero id tantum indubitanter credi, quod ubique, semper, ab omnibus creditum est; non obstantibus piis conatibus ac studiis theologorum, demonstrationes eorumdem nondum eas esse, quae conceptui fidelium faciles et plene sint convincentes; *opportunum* itaque *fore, si veritas de immac. conc. Mariae porro quoque inter veritates pie creditas remanserit.* Ceterum sicut Vicarius proxime praecedens, ita ista etiam declarat, se iudicio Summae Sedis submittere. (*Mon.* 1152. p. 475.)

S. Responsa ex Africa.

Eppus *Algeriensis* in Africa Gallica a. 1849 piam suam convictionem ac votum pro definitione pie pariter ac clare depromserat. Ait: *in littoribus Africae Christianae a seculis auditam fuisse piam doctrinam, aevo florentis Christianismi, saevientis barbariei, et redivivae fidei Mariam immaculatam semper resonante;* antecessorem suum in Sede Eppali obtinuisse indultum praedicandi publice in divinis officiis Mariam Immaculatam; et fideles suos et clerum, et se ipsum, velut fidei huic continuo insistentem, serio expensa quaestione censere, posse definiri imm. conceptum BMV. tamquam doctrinam, cui iam fere unanimis faveat doctorum concordia, plaudat universorum pietas; et ipsa precetur Ecclesia, tot procellis impetita ac iactata, nova exorans subsidia ex alto. (*Mon.* 1153. p. 479.)

Vicarius Apost. *Tunitanus* a. 1849 *piam fidem in regione Tunitana constanter semet sustentasse* referens, definitionem petit. (*Mon.* 1154. p. 481.)

Vicarius Apost. *Abyssiniae* a. 1849 significat, *inter Aethiopes Christianos, non obstantibus schismaticorum ac hae-*

reticorum moliminibus, vigere fidem de immac. conc. BV. sibi autem firmiter esse persvasum, elogium, quod Angelus tribuit Mariae, ‚gratia plena', ad omnia singularis huius creaturae existentiae momenta, ne primo quidem suae sacrae conceptionis tempore excepto, plenissime pertinere. (*Mon.* 1155. p. 481.)

Eppus *Portus Ludovici in insula Mauritia* a. 1849 ad Card. Praef. Propag. scribens, insinuat, se ex publicis ephemeridibus intellecto Encyclicae Pontificiae tenore noluisse praetermittere, quin suum quoque votum pro definitione mysterii enunciet. (*Mon.* 1156. p. 482.)

Praefectus et Parochus Apost. *Tripolitanus in Barbaria* a. 1850 ad Card. Praef. Congr. Propag. suas literas dirigit, et de fidelibus quidem asseverat, eorum fidem piam de immac. conceptu et antiquam et tam firmam esse, ut, dum preces per Encyclicam depostae persolverentur, mirari non cessaverint, doctrinam hanc nondum esse definitam; de se autem profitetur, vitam et sangvinem pro defensione huius veritatis se lubenter profusurum. (*Mon.* 1157. p. 483.)

Subiicimus duorum Praesulum *in part. infid.* vota pro definitione.

Eppus *Hesebonensis* a. 1849 orat absolute definitionem. (*Mon.* 1158. p. 485.)

Patriarcha Lat. Alexandrinus a. 1854 exhibet eruditam lucubrationem sub titulo: *De immaculato B. Deiparae Virginis conceptu votum.* In literis, quibus hanc lucubrationem comitatur, provocat ad *S. Dionysium Alexandrinum*, velut eximium orbis catholici lumen et decus, puritatisque Marianae vindicem. In lucubratione autem ostendit: ad piam sententiam tenendam his gravissimis se moveri argumentis: 1. *In ipsis divinis paginis perfacile posse hanc veritatem inveniri*: cum e *protoevangelio* (Gen. 3.) rite explicato manifeste appareat, adeo mulierem innocentissimam adamatam a Deo fuisse, ut, dum hoc protoevangelium et prima revelationis fundamenta poneret, reparationemque humani generis polliceretur, filiae suae maternitatem, virginitatem, virtutem in hostes, et absolutissimam innocentiam ab omni labe signi-

ficatam confirmatamque voluerit; porro figurae, quibus Deiparae virtus in S. Scriptura adumbratur, idem evincant; demum S. Literae privilegia singularissima Mariae collata memorent, quae eam omnibus creaturis superiorem faciunt. 2. *Patrum Doctorumque plerosque et antiquiores piae doctrinae favisse;* eos autem, qui contrariam opinionem amplexi videntur, aut melius aliis in locis suam mentem aperuisse, Mariaeque immunitatem profiteri, aut ita esse intelligendos, ut de alia prorsus re ipsos disputasse liqueat, aut tandem sententiam suam iudicio Sedis Ap. supposuisse. Profert antiquissima PP. testimonia. 3. *Ecclesiae factum et sensum tum ex Liturgiis utriusque Ecclesiae, tum e Conciliis, et Romanorum Pontificum decretis ita patescere, ut dici possit, unice piam sententiam ab Ecclesia provectam fuisse,* reiecta contraria. 4. *Mirabilem fidelium omnium consensionem* ita mentem animumque percellere, ut nonnisi audacissimus inficietur, hebetissimus ignoret. 5. *Preces, officia, dies festos, scripta, praeconia, numismata, lapides, pias tabellas, vota, prodigia, sermonem familiarem, studium vehementissimum, ut optata prodeat definitio,* testari: nil aliud fideles sentire, quam privilegium Matris purissimae agnoscere, venerari, et ab omnibus coli et agnosci exoptare. Argumentis his perquam egregie evolutis, refutat adhuc obiectiones illorum, qui vel de re nova et haud necessaria agi dictitant, vel timent, ne gravius onus fidelibus in fide debilibus imponatur, aut haereticis et incredulis occasio praebeatur, Ecclesiam acrius carpendi ac dilacerandi. *Novam rem non esse* respondet, quam ab omnibus iam ut doctrinam teneri videmus; *in Ecclesia non tantum necessitatis sed et opportunitatis utilitatisque habendam esse rationem;* neque enim Ecclesiam iudicem tantum esse litium, verum docentem una ac magistram, quae fidelium intellectus et corda veritatibus suavissimis in luce positis depascat et reficiat; in capiendis consiliis non id tantum spectandum esse, ut omne utrinque absit periculum et iactura; sed omnibus aeque perpensis id, *quod melius et utilius,* eligatur; *haereticorum calumnias,* sive loquatur, sive taceat Ecclesia, sive iudicium proferat, sive suspendat, *numquam defuturas;* in debilibus denique non ex dogmatum numero fidem minui vel augeri, sed iuxta animi

docilitatem, qua facilius aut durius Ecclesiae iudicio adhaerent, eiusve definitiones amplectuntur; *Ecclesiae convenire, ut Deum imitetur vindicem, qui insidiatorem perculit ac contrivit, mulierem sanctissimam victricem de hoste ostendens; quod Deus tunc egit, futuri tenebras revelans, et obscuriori ac mystica locutione mysterium involvens, id nunc in temporis plenitudine per Vicarium suum perspicue, luculenter et sine ambagibus declarandum venire,* ut tanta luce diffusa confundatur hominum superbia, et dolus a satana contextus disrumpatur; non absque causa tam flagrans desiderium in cordibus fidelium Deum indidisse, ut videlicet triumphus paretur Ecclesiae amplissimus, Virginis sanctissimae auspiciis in tanta orbis commotione, et tanta temporum difficultate relatus. (*Mon.* 1159. 1160. p. 485. s.)

T. Responsa ex America.

a) *pro definitione.*

Vota et desideria Praesulum Americae tam Septemtrionalis quam Meridionalis conformia sunt praeclaris enunciationibus reliquorum orbis catholici Antistitum. Ea, ut hactenus, ordine chronologico exhibemus, initium faciendo a declaratione Epporum Americae Septemtrionalis in Concilio Provinciali Baltimorensi VII congregatorum.

Eppi Amer. Septr. XXV in *Syn. Prov. Baltimorensi VII* a. 1849 congregati duobus decretis instar responsi ad Encyclicam Pontificiam declararunt (uno tantum dissentiente, Eppo *Richmondensi,* omnes): *clerum populumque fidelem magna flagrare erga immaculatam Virginem devotione,* et *Antistitibus gratum fore, si imm. B V. conceptus tamquam doctrina Ecclesiae definitus fuerit,* si id sapientissimo Summi Pontificis iudicio opportunum videatur.. (*Mon.* 1161. p. 495.)

Eppus de *Buenos-Ayres* in *Amer. Merid.* a. 1849 *universalem esse fidem* de hoc mysterio, *in ea educari iuventutem a teneris annis,* in ea vivere ac permanere constanter, significat. (*Mon.* 1162. p. 496.)

Eppus de *Portorico* in *Amer. Merid.* a. 1849 immac. conc. ita credi ab omnibus ait, ut *heterodoxus censeretur, qui contrariam auderet sustinere sententiam,* votum proinde esse omnium, ut res definiatur. (*Mon.* 1163. p. 497.)

Eppus *Linariensis* in *Amer. Sept.* a. 1849 uti praecedens, *biblica argumenta* uberius evolvens. (*Mon.* 1164. p. 498.)

Eppus *Olindensis in Brasilia* a. 1849 potissimum ex *institutione festi, in Lusitania et Brasilia summa cum solemnitate celebrari soliti,* item e praestantia Mariae super omnes creaturas desumit argumentum, et petit definitionem. (*Mon.* 1165. p. 500.)

Eppus *Paraënsis in Brasilia* a. 1849 uti Olindensis. Adiungit suae literae etiam *Capituli Cathedralis* declarationem super eo, quod *doctrina de imm. conceptu, in argumentis irrefragabilibus e propriis Theologiae fontibus depromtis fundata,* tali gaudeat certitudine, qualem fundamentum fidei habere potest, haecque sit totius dioecesis convictio. Epistolae Capitulari ad Eppum directae adiacet *votum Commissionis Capitularis;* in quo ex argumentis theologicis, SS. Patrum testimoniis, Conciliorum et Pontificum decretis, et ex S. Scriptura quaestio erudite pertractatur, et simul quoad fidem ac devotionem dioeceseos enunciatur: *cultum Matris Dei in immaculata eius conceptione esse tam generalem, tamque solide stabilitum, ut non tantopere sit nunc opus id demonstrare, quam potius cultum, apud multos fere cultui Divinitatis aequiparatum, intra iustos limites conservare.* (*Mon.* 1166. 1167. p. 503.)

Eppus *Sonorae* in *Amer. Sept.* a. 1849 affirmat, *quaestionem hanc populorum devotione et pietate iam esse definitam; nullumve* esse Epporum, qui non propendeat in votum Summi Pontificis circa dogmaticam definitionem, quam unicam defuisse ait Tridentinorum Patrum declarationi; dici posse, *quod pietas fidelium erga Matrem immaculatam mentes et doctrinam dissidentium supergressa sit,* atque ad se conversos sapientes edocuerit illam, quam antea abnuebant, fidem. (*Mon.* 1168. p. 510.)

Vicarius Apost. *Reipublicae Uruguanensis* a. 1849 tam ipse erudite in sua epistola quaestionem pertractat, quam per

Clerum suum magna cum doctrina elucubratam exhibet disquisitionem. In priore deducit fidem in mysterium immac. conc. ex auctoritate, Conciliis, et Patribus, quorum testimonia et permulta et notiora esse ait, quam ut debeant inculcari; ipsum Angelicum Doctorem, Thomistas, Scholasticos pro impeccabilitate B.Virginis stare defendit. In posteriore, sive declaratione Cleri quaestio pertractanda sequentibus concepta est terminis: *Sufficitne valor fundamentorum, quibus pia fides de imm. conc. B V. innititur, ad hoc, ut fides haec per S. Sedem tamquam doctrina universae Ecclesiae et consequenter tamquam articulus fidei decerni possit?* Affirmativum ad quaestionem responsum inde probat declaratio Cleri, quod *pia fides ut dogma fidei stabilitum* cernatur *in Revelatione divina,* quae se manifestat per libros sacros ab Ecclesia explicitos, per traditionem invariabilem, a primis seculis ad nos usque conservatam, et a Patribus Ecclesiae, Conciliis, ac S. Sede Apost. authentice explicatam ac designatam. Fusius disquisitis S. Scripturae textibus, SS. Patrum et Doctorum testimoniis, Ecclesiae sensu aliisque argumentis, concludit Clerus in sua declaratione: *doctrinam de immac. conceptione Mariae in divina Scriptura et Traditione omnium seculorum fundatam, decisioneque S. Concilii Tridentini et multorum Summorum Pontificum confirmatam, a SS. Patribus et Doctoribus Ecclesiae stabilitam, instructam esse omnibus characteribus dogmatis fidei, nec aliud ei ad hanc dignitatem deesse, quam sanctionem solemnem eius, qui exercet potestatem S. Petri, et cuius sublime officium est, pascere gregem Christi et confirmare fratres suos.* (*Mon.* 1169. 1170. p. 511. 515.)

Eppus *Neo-Pampilonensis* in *Amer. Merid.* a. 1849 insistit petitioni pro definitione tam apud Gregorium XVI quam apud hodiernum P. M. iam sollicitatae. (*Mon.* 1171. p. 529.)

Eppus *Halifaxiensis in Nova Scotia* a. 1849 uti antecedens. (*Mon.* 1172. p. 530.)

Eppus *Jucatanensis* in *Amer. Sept.* a. 1849 provocat ad communem fidem de mysterio, citat epistolam Eppi Vicensis ad Alexandrum VII PP. a. 1656 directam, (inter Mon Sec. 17 a nobis relatam) et adnectit epistolae suae *declarationes XXII Corporationum suae dioecesis* pro favore myste-

rii et eius dogmatica decisione. (*Mon.* 1173—1196. p. 530—562.)

AEppus *S. Dominici* in *Amer. Centrali* a. 1849 commemorat plura data historica, notatu digna. *Primam Ecclesiam post erectam a. 1511 Sedem Eppalem immaculatae Conceptioni dicatam fuisse*; apud fideles in more positum esse, in sexu praesertim femineo *cognatos et amicos titulo et nomine Conceptionis insigniendi*, et salutatione nationali utendi *Ave Maria purissima, absque labe originali concepta*; *has consuetudines esse nova patrimonium quodpiam, ab ipsis Principis Apostolorum discipulis Secundo, Torquato etc. transmissum*, et inde inter omnes Americae incolas distributum. (*Mon.* 1197. p. 564.)

AEppus *Bahiensis in Brasilia* a. 1849 longiori oratione, lectu dignissima, sequentia insinuat momenta ad statum quaestionis propius pertinentia: *vix ullam doctrinam apertius exhibuisse notissimae illius fidei regulae* ‚quod semper quod ubique quod ab omnibus etc.' *characteres, quam piam de imm. conc. doctrinam*; iam inde a primis Ecclesiae seculis constantem traditionem ostendere, hanc fidem semper viguisse: *postremis his temporibus, quae in tanta critices luce et philosophiae progressu nullatenus seu ignorantiae seu superstitionis insimulari possunt, facile numerari 400 et amplius auctores, et inter eos magni nominis Praesules, qui pro immac. conc. scripserunt*; nullum tempus designari posse, quo non floruerit apud catholicos pia opinio; eam universali consensione niti; quae semper habita fuit velut una ex tutioribus veritatis tesseris; *nec schisma potuisse a placitis Ecclesiae Romanae in hac doctrina discedere; in imperio Brasiliano piam sententiam ceu pretiosam haereditatem a maioribus transmissam intactam retineri ac fideliter custodiri*, indeque ab a. 1646 BVirginem immaculate conceptam ut Patronam Portugalliae et Brasiliae coli; unum proin superesse, ut Roma loquatur et causa finiatur. (*Mon.* 1198. p. 566.)

Eppus *Cuyabaënsis in Brasilia* a. 1849 pro definitione. (*Mon.* 1199. p. 571.)

Eppus *Popaianensis* in *Amer. Merid.* a. 1849 uti praecedens, addendo, ‚se iam a. 1844 a Gregorio XVI PP. defini-

tionem petiisse piae sententiae, cuius dulcedine patresfamilias suorum corda filiorum delectare assvescunt, et per omnes vitae gradus tenerrimo illam affectu prosequentes ad senectam usque perveniunt, ad quodlibet opus ineundum praeclara mysterii confessione se accingentes, et pariter nonnisi illa manum operi admovere desinentes.' (*Mon.* 1200. p. 572.)

Eppus de *Panama* in *Amer. Merid.* a. 1849 ut praecedentes, illius moris in sua dioecesi usitati mentionem iniiciens, iuxta quem *in media nocte 8 Dec. primum instans Conceptionis Marianae generali sono campanarum una hora durante honorari solet.* (*Mon.* 1201. p. 574.)

Eppus *Montis Regalis in Canada* a. 1849 prout Cuyabaensis. (*Mon.* 1202. p. 575.)

Vicarius Apost. *Portus Hispanici in Insula SS. Trin.* a. 1849 uti praecedens, addendo, *in suo Vicariatu tantum esse devotionis Marianae fervorem ac amorem, ut vix ulla deprehendatur femina catholica, quae nomine Mariae non compellaretur.* (*Mon.* 1203. p. 575.)

Eppus de *Antequera Neogranatensis Reip.* a. 1849 uti praecedentes. (*Mon.* 1204. p. 576.)

AEppus *S. Fidei de Bogota Reip. Neogranat.* a. 1849 Dei providentia factum esse ait, ut pia sententia ab aliquibus olim in dubium revocaretur, ut nimirum veritas melius patesceret, et ipsi impugnatores, e generali peccati originalis lege egressi, per strenuos privilegii Mariani defensores in silentium redacti, et subin de veritate convicti ad piam sententiam amplectendam moverentur. Sententiam piam a Patribus quoque, nec Thoma Aquinate ac Bernardo exceptis, admissam, ab Academiis propugnatam, per Synodum Tridentinam quadantenus definitam haberi censet, siquidem Mariam diserte Immaculatam vocaverit. Eandem *sententiam non tantum esse definibilem, siquidem Ecclesia falsum cultum praecipere haud possit, verum etiam tempus pro definitione opportunum iam advenisse* non dubitat, et refert, *novissime clerum suum una secum vovisse, solemne festum quotannis celebrandi eo die, quo definitio edita fuerit, et in pervigilio festi Conceptionis ieiunandi.* (*Mon.* 1205. p. 578.)

Eppus *Auxiliaris AEppi Bogotensis* a. 1849 uti AEppus. (*Mon.* 1206. p. 581.)

Administrator Apost. AEppatus *Quebecensis in Canada* a. 1849 uti praecedens, addendo, *Ecclesiam Canadensem in ipsis suis primordiis tutelae BMV. sine macula conceptae sese addixisse.* (*Mon.* 1207. p. 583.)

Eppus *S. Caroli de Ancud in Rep. Chilensi* a. 1849 absque ulla haesitatione et erroris formidine asseverari posse ennunciat, *piam sententiam in ditione Chilensi, sicut et tota America, cum religione Iesu Christi originem duxisse et cum ipsa aequo gradu consolidatam fuisse;* Eppatum Americanum, Theologos, Universitatesque et Congregationes literarias omnes pro stricta observantia sanxisse, in publicis privatisque palaestris docere, tueri ac praedicare hoc mysterium: *flagrantia vota Hispanorum esse toti Americae communia;* piissimae sententiae traditionem sacram, licet praeteritis temporibus aliquantisper obnubilatam, nostris diebus tam claram et praefulgentem se ostendere, ut dubitari non possit, tempus e coelo iam datum esse, quo suprema Principis Apost. cathedra veritatem hanc inter inviolabilia dogmata definiat. (*Mon.* 1208. p. 584.)

Eppus *Guayaquilensis in Rep. Aequatoris* a. 1849 repetit postulatum a. 1848 iam propositum: nimirum *ab eo tempore, quo Ecclesia Romana cultum B Virginis immaculate conceptae per recitationem officii proprii et celebrationem Missae praecepit aut indulsit, nullum dubium posse moveri super veritate piae doctrinae,* et S. Scripturae et Traditionis testimoniis innixae, tempusque adesse, ut veritas solemniter definiatur. (*Mon.* 1209. p. 585.)

Eppus *S. Marthae* in *Amer. Merid.* a. 1849 reiterat preces pro definitione a. 1843 propositas, asserens *nullam post fidei dogmata veritatem christianam magis certam esse, quam piam opinionem de immac. conc. Deiparae.* (*Mon.* 1210. p. 586.)

Eppus *Antiochensis* in *Amer. Merid.* a. 1849 iterat postulatum a. 1844 pro definitione ad Gregorium XVI transmissum: affirmat, *non dubitari, in tota Ecclesia ab initio usque huc doceri piam sententiam:* testimonio universali omni aetate

unanimiter praestito, argumentis item ex Maternitate Dei et excellentia super omnes alias creaturas ita firmari piam doctrinam, ut ad definitionem tuto devenire liceat. (*Mon.* 1211. p. 587.)

Vicarius Cap. *Mexicanus* a. 1849 de universali in ditione Mexicana fide ac devotione erga mysterium imm. conceptus testimonium perhibet, adeo, ut *vix inveniri posse affirmet populum, qui in ea pietate Mexicano vel adaequari valeat* (*Mon.* 1212. p. 589.)

Vicarius Cap. *Monteregiensis in Confoed. Mexicana* a. 1849 uti praecedens, mentionem faciendo antiquae traditionis, secundum quam *solemnitas Conceptionis Marianae ab ipsis Apostolis, signanter Ierosolymis a Iacobo, Alexandriae a Marco, Caesaraugustae a Iacobo maiore celebrata fuerit.* (*Mon.* 1213. p. 590.)

Eppus *Goyasensis in Brasilia* a. 1849 *mysterium imm conc. B V. etsi adusque solum instar piae fidei habitum, negligi sin horrore nequire* ait, *quum sit certitudini infallibili orthodoxae fidei proximum,* ac proin definiendum. (*Mon.* 1214. p. 592.)

Eppus *Guadalaxarensis in Rep. Mexicana* a. 1850 de *singulari regionis Mexicanae erga mysterium imm. conc. pietate ac fide* disserit, argumenta breviter recenset, et suam inconcussam convictionem manifestat cum voto edendae quo prius definitionis. (*Mon.* 1215. p. 594.)

Eppus *Cochabambensis* in *Amer. Merid.* a. 1850 prout praecedens. (*Mon.* 1216. p. 595.)

Eppus *Durangensis in Rep. Mexicana* a. 1850 cruditam concinnavit instar responsi lucubrationem, summa erga B. Matrem eiusque imm. conceptum pietate distinctam. Primum commemorat, *non modo in sua dioecesi, sed in tota Mexicana ditione piam fidem ita semper viguisse, actuque vigere, ut nulla unquam dissensio, vel minima contentio sed semper universalis et placita persvasio extiterit.* Transit dein ad depromendum et argumentis muniendum suum votum, quod ita exprimit: *antiquam suam persvasionem de immac. conceptu B Virginis, ad sangvinis effusionem usque sustinendam nunc quoque in suo haerere animo,* et cum pio illo desiderio, ut Deiparae privilegium oraculo Ecclesiae definitioneque fulciatur, quadamtenus

contendere, seseque invicem aemulando, disceptando succolare. Profert argumenta ex sensu et praxi Ecclesiae, qualiter nimirum pia sententia sensim eo devenerit, ut incolumitati SS. Virginis adversa opinio pene oblivioni traderetur; *Ecclesiam quippe primo indirecte contrariae sententiae angustissimos praestituisse limites; dein piam sententiam eiusque cultores amplissimis cumulasse favoribus, publicum cultum eiusdem indulgentiarum concessionibus locupletasse, plurima SS. Literarum eloquia immaculatae Virgini applicuisse; tandem pene obsoleta reddita contraria opinione animos fidelium ita praeparavisse, ut, dum Vaticanum pro pia doctrina intonuerit oraculum, uno omnes ore, quod pie crediderunt, velut catholicum dogma profiteantur.* Missis porro SS. Patrum testimoniis, iam saepius recensitis, nonnulla S. Scripturae eloquia uberius exponit, et ostendit, *in SS. Literis clare et distincte expressam haberi originalem Mariae innocentiam*, tum in iis, quae ipsae S. Scripturae V. et N. T. de ea praedicant, tum in iis, quae BVirgo in celeberrimo Cantico de se ipsa annunciat. Tandem concludit: nihil superesse, quam ut definitio dogmatica ocyus subsequatur. (*Mon.* 1217. p. 596.)

Eppus *Emeritensis* in *Amer. Merid.* a. 1850 *verbis Alexandri VII Papae confitetur mysterium imm. conc.* et per omnia assentitur iis, quae iam alii Hispaniae et Americae Meridionalis Eppi proposuere. (*Mon.* 1218. p. 608.)

Eppus *Vancouveriensis* in *Amer. Sept.* a. 1850 suo et *AEppi Oregonis* item *Eppi Wallavallae* nomine pro definitione. (*Mon.* 1219. p. 610.)

Eppus *Mariannensis in Brasilia* a. 1850 prout alii huius Imperii Eppi. (*Mon.* 1220. p. 612.)

Eppus *Guaianensis* in *Amer. Merid.* a. 1850 *veritatem conc. immac. adeo validis fulciri argumentis theologicis, biblicis et traditis censet, ut iam hactenus eam ceu revelatam crediderit una cum fidelibus.* (*Mon.* 1221. p. 612.)

AEppus *Sydneiensis* in *Amer. Merid.* a. 1850 provocat ad votum suum pro definitione a. 1847 expressum. (*Mon.* 1222. p. 613.)

Vicarius Apost. *Guadalupensis in Ima Tellure* a. 1850 pro definitione. (*Mon.* 1223. p. 614.)

Eppus Coadiutor *Regiopolitanus in Canada* a. 1850 uti praecedens. (*Mon.* 1224. p. 614.)

Vicarius Apost. *Giamaicae* a. 1850 uti praecedens. (*Mon.* 1225. p. 615.)

AEppus *Limanus* in *Amer. Merid.* a. 1850 prout non dubitat *piam sententiam iam nunc pro catholica declarare*, ita orat Pontificem Max. ut quo ocyus definitionem edere velit. Refert, *in regione Limana iam sub Paulo V Papa contextam et approbatam fuisse Litaniam ad B Virginem immaculate conceptam;* fidelibus ab olim pergratam esse hanc ad BVirginem deprecationem: *Per immac. conceptionem tuam libera nos; ante duo secula opusculum typis vulgatum fuisse de eo, quod Romanae Sedis sit, hanc veritatem inter fidei dogmata referre;* fideles in annuis suis supplicationibus de BVirgine immaculate concepta sic precari SS. Trinitatem: *Cum fletu et lacrymis ex praecordiis nostris humiliter exoramus, ut conceptio sine labe originali B. Mariae de fide proponatur et definiatur.* Adnectit simul APraesul suae literae opusculum sub titulo: *Brevis theologica dissertatio de definibilitate mysterii a quodam sacerdote Minorum de Obs. Collegii de Ocopa alumno concinnata.* (*Mon.* 1226. p. 615.)

Eppus *S. Crucis de Sierra* in *Amer. Merid.* a. 1850 commemorato, quod iam antea, et sub Gregorio XVI P. M. definitionem petierit, summatim proponit praecipua argumenta sui postulati, et concludit: *esse necessitatem quamdam iubentem, ut Ecclesia summum tribuat B. Virgini honorem.* (*Mon.* 1227. p. 618.)

Eppus *Cuzquensis in prov. Peruana* a. 1850 vel 1851 fusam elucubravit dissertationem pro definibilitate mysterii. Praemittit: post Constitutionem Alexandri VII de a. 1661 cessavisse acriores Scholasticorum contentiones, piamve opinionem progredi coepisse, ita, ut paulo post ad communem assensum, universaeque Ecclesiae deveniret fidem; reipsa hodie communem esse Theologorum sententiam, quod, quamvis mysterium praeservationis Marianae a labe originali non sit formaliter definitum, sit tamen proxime definibile, et possit Summus Pontifex absque ulteriori examine illud definire. Tum proponit fundamenta praeservationis, hodie iam univer-

sae Ecclesiae fidem facientis. Et asserit 1. *Scripturam S. nullibi praeservationi Mariae contrariam inveniri*, numquam dicere, Mariam non fuisse praeservatam. 2. *Multum esse, quod Patres afferunt pro praeservatione*, inprimis *S. Augustinus*, licet non omnes Patrum locutiones firmum suppeditent argumentum; *ex ipso Thoma*, quasi praeservationi adversante, *multas posse deduci pro mysterio consequentias*. 3. *Inde a Sixto IV omnes fere Pontifices Romanos edidisse aliquod diploma pro Conceptione B V.* hancque circumstantiam, sive quamdam quasi conspirationem in favorem praeservationis Marianae magni esse momenti. 4. *Iuxta Petavium dari quamdam speciem revelationis pro praeservatione B. Virginis a peccato originali, eamque consistere in communi iudicio omnium fidelium*. 5. *In persvasione interiori fidelium erga originalem Mariae puritatem non leve cerni pro veritate eiusdem momentum:* mirabile enim esse, quod sine praecepto, absque lege, sine authentica decisione, sine definiente decreto Ecclesia ingrediatur in mysterium, illudque recipiat suffragiis suorum membrorum concordibus, et hinc sequatur pia propensio, quam nonnisi inconcussa veritas adipiscitur. Allatis adhuc aliis argumentis, commemorat *Revelationes privatas*; refutat obiectionem e redemtione Christi propositam, ostendendo, Mariam quoque redemtam fuisse redemtione praeservativa, ne quippe incideret in captivitatem daemonis; et concludit: *praeservationem Deigenitricis iuste ac merito esse hodie fidem universae Ecclesiae, mererique suam formalem definitionem. (Mon.* 1228. p. 622.)

Praefectus Apost. *Missionum Guyanae Gallicae* in *Amer. Merid.* a. 1851 pro definitione. (*Mon.* 1229. p. 639.)

Eppus *S. Salvatoris* in *Amer. Centrali* a. 1851 uti praecedens. (*Mon.* 1230. p. 640.)

Eppus *Paraquariensis* in *Amer. Merid.* a. 1851 uti S. Salvatoris. (*Mon.* 1231. p. 641.)

Delegatus Apost. et Admin. *Portus Hispaniae* in *Amer. Merid.* et Coadiutor *Iamaicensis* in *Amer. Sept.* a. 1854 *de Maria* affirmant: *Dominum ipsum signasse super fideles hoc lumen vultus sui, et hanc piam fidem esse ut signaculum super omnium corda*, nec superesse aliud, quam ut fides haec dogma-

tica sententia firmetur. Ex silentio S. Scripturae nihil adversus privilegium Mariae argui posse aiunt, quum ea, quae de Maria Ecclesia sentit ac tenet, ex traditione a Patribus accepta credenda proponantur. (*Mon.* 1232. p. 641.)

---

b) *contra definitionem.*

Eppus *Chiapensis in Prov. Mexicana* a. 1852 nec in S. Scriptura clarum pro privilegio Mariae de immac. conc. testimonium inveniri, nec in Traditione sufficienter probari existimat piam sententiam, allegando pro hac sua opinione *Suarezii* et *Petavii*, item *Thomae Aquinatis* opinionem: proin pro declaratione dictae veritatis tamquam fidei dogmatis suffragium se ferre non audere significat, censetque *relinquendam hanc veritatem ea cum certitudine, qua Assumtio in coelum cum corpore simul et anima creditur.* Addit tamen, ad casum definitionis se promte obsecuturum, et veritatem pro viribus defensurum. (*Mon.* 1233. p. 644.)

AEppus *Guatimalensis* in *Amer. Centrali* a. 1853 non negat, imo firmiter amplectitur piam doctrinam, tenetque Marianae Conceptionis puritatem tamquam praerogativam consequentem beneficium incarnationis, quasi complementum redemtionis humani generis, Mariam ad culmen celsitudinis efferens, ita, ut ipsa per gratiam hoc ipsum fuisse videatur, quod a natura Iesus Christus D. N. Declarationem tamen dogmaticam petere expavescit: eam, si prolata fuerit, toto corde amplexurus. (*Mon.* 1234. p. 647.)

U. Responsa ex Oceania, Australia.

Eppus *Aucklandiae in Oceania* a. 1849 pro definitione (*Mon.* 1235. p. 648.)

Eppus *Nominis Iesu* (Cebu) *in Oceania* a. 1849 uti Aucklandus, pluribus rationum momentis adductis suam firmans sententiam. (*Mon.* 1236. p. 648.)

AEppus *Manilae in Insulis Philippinis* a. 1849 populi clerique sui eadem esse sensa ac vota indicat, quae natio

Hispanica proponit; se autem insistere iis, quae iam suus Antecessor pro definitione a. 1844 proposuit. (*Mon.* 1237. p. 651.)

Eppus *Adelaidensis in Australia* a. 1849 pro mysterio. (*Mon.* 1238. p. 652.)

Vicarius Apost. *Insularum Sandwich in Oceania* a. 1850 pro definitione. (*Mon.* 1239. p. 653.)

Vicarius Apost. *Insularum Marchesarum in Oceania* a. 1850 uti praecedens. (*Mon.* 1240. p. 654.)

Appendix I.

Postulata Capitulorum, Cleri, fidelium, Ordinum Religiosorum

pro definitione immac. Conc. BMV.

Praeter Sacrorum Antistites, qui ad provocationem Summi Pontificis sua reddiderant responsa, plurimae aliae Corporationes ecclesiasticae, seculares, literariae, item singulares personae, et Ordines Religiosi prout prioribus seculis, ita nunc quoque mittebant ad S. Sedem postulata pro impetranda dogmatica definitione immac. conceptus BMV. Ex his postulatis seligimus nonnulla, maiori attentione digna, e quibus tam fervor ac pietas erga Matrem immaculate conceptam quam eruditio et doctrina in propugnando hoc mysterio luculenter intelligitur.

Capitulum Venafranum in Sicilia a. 1849 memorat in sua litera, *Venafri morem esse, ut festo solemni Conceptionis BV. Magistratus ad altare publica deferat vota*: refert item de universali fide et pio desiderio quo ocyus edendae definitionis. (*Mon.* 1241. p. 655.)

Capitulum Aeserniense in Sicilia a. 1849 prout praecedens, argumenta pro pia sententia summarie adducens. (*Mon.* 1242. p. 657.)

Capitulum Luccanum in Italia a. 1849 ostendit, longe a vero recessisse eos, qui dicunt, Scripturae S. et Traditioni contrarium esse docere, Mariam ab haereditaria culpa praeservatam fuisse. (*Mon.* 1243. p. 658.)

Abbas Guadalupensis cum suo Capitulo Collegiato in prov. Mexicana a. 1849 exhibet elaboratum Canonici *Francisci Alonzo Ruiz de Conejares* pro privilegio Mariano, in quo argumentis ex congruentia, S. Literis, populi sensu etc. breviter et docte propositis probatur privilegium, et eius definibilitas. (*Mon.* 1244. p. 661.)

Capitulum Massiliense in Gallia a. 1849 affirmat, *in Ecclesia Massiliensi a multis seculis summo studio et pietate maxima coli immac. conceptum B. V.* (*Mon.* 1245. p. 667.)

Clerus et populus Calliensis in ditione Pontificia a. 1849 ad Eppum suum scribens, per modum eruditae dissertationis probat mysterii pii veritatem ac definibilitatem, cumprimis e S. Literis et Traditione, Patrum testimonia positiva proferendo, et simul obiectiones ex quorumdam Patrum locutionibus depromtas refutando. (*Mon.* 1246. p. 668.)

Capitulum Vaticanum a. 1850 sententiam de immac. conceptu BV. cui Epporum, Patrum, Conciliorum, Doctorum, Theologorum, Ordinum Religiosorum, Universitatum iamdiu suffragatur opinio, communis populorum favet consensus, et ipsamet S. Sedes indubia adiecit favoris argumenta, in eo esse stadio existimat, ut tuto definiri possit. (*Mon.* 1247. p. 674.)

Clerus populusque Turritanus in Sardinia a. 1850 pro *universali Sardiniae obsequio*, votis quoque saepius confirmato, erga immac. conceptum Deiparae, preces suas iungit reliquorum orbis populorum Clerique supplicationibus pro definitione. (*Mon.* 1248. p. 675.)

Capitulum La-Plata in Amer. Merid. a. 1850 literis ad AEppum directis indicat suum accessum ad universale definitionis desiderium; non absimiliter *Decani Doctorum Collegii Reip. Bolivianae* per epistolam Capitulo inscriptam. (*Mon.* 1249. 1250. p. 677.)

Sodalitas sacerdotum imm. conceptionis Neapolitana a. 1850 cum subscriptione multorum membrorum literas dirigit ad Summum Pontificem pro definitione. (*Mon.* 1251. p. 679.)

Capitulum Lateranense Romanum a. 1854 prout Vaticanum, argumenta contra traditionem Patrum adferri solita perstringens. (*Mon.* 1252. p. 680.)

Capucini Aesernienses in Sicilia a. 1849 succincte explicant argumenta pro mysterio immac. conc. adducta, et extollunt *Religionem Franciscanam, privilegio Mariano inde ab origine addictissimam.* (*Mon.* 1253. p. 682.)

Concionator ex familia Capucinorum Genuensi doctum exaravit libellum sub titulo: *Pio IX P. M. pro BVMaria absque ullo originalis culpae inquinamento concepta quaestiuncula: ex illo Sap. 1, 4: Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Ex hoc libri Sapientiae oraculo pulchre et erudite educi mysterium immac. conceptionis, utens ductore *Ioanne Antonio Velasquez* Abulensi S. I. Scriptore (*Mon.* 1254. p. 685.)

Commissarius Apôst. Minorum de Observantia pro Peninsula Hispaniae a. 1849 Religionis Seraphicae singularem in medium adfert pietatem erga immac. conceptum V. et speciatim de *familia Religionis Hispanicae memorat, ei inde ab antiquissimis temporibus solemne, sacrumque fuisse, tribus consvetis votis quartum addere, de propugnanda usque ad sangvinis effusionem immac. conceptione Mariae.* (*Mon.* 1255. p. 690.)

Minores de Observantia Aesernienses in Sicilia a. 1849 extollunt triumphos multiplices, quos Seraphicus Ordo contra hostes Marianae immunitatis reportavit. (*Mon.* 1256. p. 691.)

Trappistae in dioecesi Valentinensi Galliae a. 1849 de perpetuo sui claustri silentio vocem extollentes, optant ocyus illucescere diem, quo veneranda traditio in articulum irrefragabilem fidei convertatur (*Mon.* 1257. p. 692.)

Trappistae antiquioris reformationis in Gallia a. 1849 tamquam alumni D. Bernardi petunt definitionem, addentes, *ipsum Doctorem mellifluum, licet aliter scripserit, nunc si viveret, idem facturum, quod prope universa iam facit Ecclesia.* (*Mon.* 1258. p. 693.)

Benedictini Einsidlenses in Helvetia a. 1849 plura commemorant de suo Monasterio, alias gratioso loco, notatu digna relate ad quaestionem praesentem, signanter a. *1676 incoepisse actuque perseverare morem, in Salutatione Angelica post verba:* S. Maria Mater Dei *addendi sequens encomium:* sine macula concepta; *a. 1688 Confraternitatem immac. conc. BVi*

introductam fuisse sub titulo: Hora Aurea, cuius sodalibus incumbit die festo Conceptionis per 24 horas a media nocte ingruentis festi usque mediam noctem sequentem turmatim orare et laudes Deo Matrique eius persolvere, benedicendo horam conceptionis purissimae BV.; item numisma miraculosum Parisiense in Monasterio Einsidlensi maxime propagatum fuisse. (*Mon.* 1259. p. 693.)

Societas Iesu in Montevideo prope Romam a. 1849 declarat: *tuto procedi posse ad dogmaticam privilegii Mariani definitionem,* siquidem pia sententia et in S. Scriptura insinuetur, et in Patrum scriptis digne testata inveniatur, et in universali Ecclesiae consvetudine fundetur, et in publico fidelium sensu recepta sit, et in permultis Pontificiis diplomatibus suggeratur, et ab Eppis, Religiosis, Academiis propugnetur, definirique expetatur. (*Mon.* 1260. p. 695.)

Congregatio Oblatorum SS. V. sine labe conceptae in Gallia a. 1850 pro historia notandam fecit repraesentationem, siquidem commemorat *originem* suae *institutionis sub Pontificatu Leonis XII* a. 1826: *qui indulsit, ut Congregatio titulo immaculatae seu sine labe conceptae Virginis SS. decoretur*; eadem repraesentatio recitat quoque nonnullos Brevis Apostolici passus, ad singularem cultum et devotionem erga BVirginem excitantes. (*Mon.* 1261. p. 696.)

Congregatio Oblatorum BMV. Taurinensis in Sardinia a. 1850 centena ait *argumenta* svadere accelerationem definitionis dogmaticae, ex eorum numero haec *quatuor* proferens 1. *quod agatur de definitione certissima ex parte veritatis definiendae*; 2. *quod agatur de definitione gloriosissima et acceptissima ex parte BVirginis*; 3. *quod agatur de definitione exoptatissima ex parte fidelium illam praestolantium*; 4. *quod agatur de definitione fructuosissima ex parte utilitatis spiritualis in Ecclesiam universam derivandae.* (*Mon.* 1262. p. 698.)

Abbas et Procurator generalis Ord. Cisterciensium (Theobaldus Caesari) a. 1852 doctum concinnavit libellum Summo Pontifici oblatum sub titulo: *Ordinis Cisterciensis suffragia pro dogmatica ferenda sententia super mysterio immac. concept. BVM.* Scopum libelli sic proponit auctor: Patriarchae Ordinis, *S. Bernardi,* sensus clare exponere ac cohonestare,

ceterorum Ordinis Scriptorum in favorem mysterii testimonia adducere, et suos proprios conatus pro dogmatica definitione proponere. In decursu disquisitionis haec velut plurimum notanda proponit et uberius evolvit: 1. *Ordinem Cisterciensem ab olim summa pietate et devotione prosequi Deiparam Virginem,* semperque recitare eiusdem Officium, et ipsam tamquam Reginam Advocatam suam quotidie post Antiphonam ‚Salve Regina' salutare ac venerari. 2. *Specialis erga mysterium immac. conc. devotionis originem esse antiquissimam; Ordinem Sanctimonialium in honorem immac. conc. in instituto Cisterciensi sumsisse exordium;* officium proprium de festo imm. conc. per Ordinem ab antiquo persolvi; in vigilia festi ieiunium observari etc. 3. *D. Bernardum dubitative de illibato D. Virginis conceptu loquutum esse tunc, dum epistolam scriberet Canonicis Lugdunensibus:* hanc tamen epistolam prout nil obstitisse, quominus multis in Ecclesiis festum Conceptionis retineretur, ita nec efficere potuisse, quin pietas et devotio Cisterciensium erga BVirginem immaculate conceptam maiora caperet in dies incrementa. *Verba Bernardi de Conceptionis festivitate prolata:* ‚quam ritus ecclesiasticus nescit, ratio non probat, non commendat antiqua traditio' *ex amore veritatis ab eo prolata fuisse, quod videret inconsulta S. Sede inductam festivitatem,* inde nititur probare auctor: quod ritus celebrandi festivitatem Conceptionis aetate Bernardi revera ignotus fuerit, primum tardius auctoritate Sixti IV PP. introductus; quod ratio non suppeditet argumentum pro Conceptione immaculata, siquidem mysteria ratione probari non possint, et manifestum sit ex toto contextu verborum Divi Doctoris, ipsum de activa loqui conceptione; *quod antiqua traditio Divo Doctori nondum clara videretur, vetustis Patribus de mysterio Conceptionis raro scribentibus.* Si tardius vel plane nostro aevo vixisset, a dubitativa sententia tanto certius eum recessurum fuisse dici debere, quod inter Doctores Ecclesiae non sit inventus similis illi, qui maiori cum reverentia teneriorique affectu cordis Deiparam veneraretur. Imo *talia in operibus ipsius inveniri, e quibus concludere licet, eum piae favisse sententiae.* 4. Profert plura argumenta auctor pro veritate imm. conc. et *plures ex Ord. Cisterciensi recenset Scriptores, tam-*

quam piae doctrinae propugnatores: et observat, quod sicut per opinionem D. Bernardi controversiae inter theologos exortae sunt, ita per Abbatis Cist. *Hilarionis Rancati* doctrinam eae penitus prohibitae ac eliminatae fuerint; neque sententia contraria D. Bernardi ipsi sanctitati conceptionis BV. quidquam possit officere, aut Ecclesiam impedire, quominus dogmaticam edat in favorem mysterii definitionem. 5. *Cistercienses in ea esse sententia, quod multiplices et praesentissimae adsint rationes, quibus tandem a S. Sede decernatur imm. conceptio. Adducit ad similitudinem D. Bernardi 12 praerogativas Mariae e muliere apocalyptica totidem stellis coronata evolventis, XII rationes pro acceleranda definitione:* ad firmandum honorandumque primum redemtionis nostrae pignus; in grati animi argumentum erga BVirginem; ad ulteriora vitanda divinae iracundiae flagella; ad maiorem Dei gloriam laudem et honorem; in maiorem BV. laudem et excellentiam; in Catholicae Religionis triumphum; pro solidanda Ecclesiae pace; ad solidiorem veritatis illibatae conceptionis firmitatem; ad obstruendum os loquentium iniqua; ad satisfaciendum votis et sollicitudini Ecclesiae Pastorum; in fidelium iucunditatem et incrementum devotionis erga BVMariam; demum ad obsecundandum divinae voluntatis decretis. (*Mon.* 1263. p. 701.)

Congregatio SS. Redemtoris a. 1853 praeter alia argumenta insinuat: *fundatorem Congregationis S. Alphonsum Ligorium et ipsum docte pieque propugnasse suis in libris hoc mysterium, et in Capitulo Generali a. 1764 constituisse, ut omnes clerici post absoluta studia votum pro tuenda immac. concept. BV. emitterent;* tandem BVirginem immaculate conceptam in *primariam Patronam* Congregationis elegisse (*Mon.* 1264. p. 719.)

Congregatio Clericorum Regularium a. 1854 significat, *se privilegium Marianae immunitatis ex instituti sui ratione inde a temporibus Patriarchae Cajetani non modo excolere sed ubique gentium laudibus exornare ac palam facere debere;* provisam se insuper esse facultate benedicendi et imponendi fidelibus *sacrum caeruleum scapulare in honorem Immaculatae Virginis.* (1265. p. 721.)

Ordo Carthusiensis a. 1854 provocat ad sententiam sui fundatoris *S. Brunonis*, qui Mariam ab omni contagione peccati liberam asseruit; et exponit, *non deesse ex Scriptoribus Ordinis, qui recensent plura ab antiquo monumenta, seu totidem argumenta constantis Carthusianorum fidei erga hoc mysterium.* (*Mon.* 1266. p. 722.)

Ordo Canonicorum Regul. Lateran. SS. Salvatoris a. 1854 confitetur, inde a *D. Augustino*, legislatore magistroque suo Ordinem pro pia doctrina constanter stetisse; provocat ad praecipuos ex Ordine mysterii istius propugnatores: *Ildephonsum Toletanum*; *Hugonem*, *Richardum*, et *Adamum*, *omnes Victorinos*; *Idiotam*, sive *Raymundum Iordanum*; *Gerhohum Reicherspergensem*; *Thomam a Kempis*, *Laurentium Iustinianum*, *Martinum Navarrum* etc, quos omnes vel purissimum prae omnibus creaturis Mariae conceptum aperte diserteque docuisse; vel typos, adiuncta, dotes, eamque sanctitatis celsitudinem, quae cum polluta infectaque origine componi minime possit, Deiparae tribuisse, opera eorum ostendunt. (*Mon.* 1267. p. 724.)

Appendix II.

Documenta nonnulla pro immac. conc. BMV. ex Epocha 2. Seculi XIX.

Praeter Responsa Praesulum ad Encyclicam Pontificiam, notanda veniunt ex altera epocha Seculi istius aliquot documenta pro mysterio immac. Conceptionis. Nimirum I. Anno 1850 *S. Congregatio Rituum* ad propositum dubium de officio immac. conc. Romae denuo impresso, et in versiculo ad ‚Tertiam' quoad vocem *fecit* (in tabernaculo suo habitare fecit eam) a Communi Virginum et Officiis BV. in Sabbato divergente (ubi quippe legitur: *facit*), congruum dedit responsum: nempe standum esse Responsorio de Virginibus, et editioni Romanae Officii proprii imm. conc. conformandas esse editiones extra urbem factas. (*Mon.* 1268. p. 728.)

2. In honorem Imm. Conc. BMV. erecta Romae a. 1852 Societas, cui *Aurea Corona* nomen, decreto Summi Pontificis

a. 1853 in perpetuum confirmata et Indulgentiis ditata fuit. Membris Societatis, in quantum sacerdotes sunt, incumbit celebrare Sacra in honorem Deiparae Immaculatae, et ad intentionem Summi Pontificis, ceteris autem fidelibus persolvere speciales preces, sub nomine *sacrarum oblationum pretiosissimi Sangvinis D. N. I. C.* praescriptas. (*Mon.* 1269. 1270. p. 729. ss.)

3. *Synodus dioec. Philadelphiensis IV* a. 1853 statuit: diebus Domini et Festis de praecepto ante Missam cantandas Litanias Lauretanas cum encomio: ‚Regina sine labe originali concepta'; ubi vero Litaniae cantari non possent, recitandas V decades Rosarii cum Litaniis Lauretanis. (*Mon.* 1271. p. 732.)

4. *Card. AEppus Mechliniensis* paucis ante definitionem diebus impetravit a Summo Pontifice Indulgentias pro piis ab se concinnatis precibus, quibus a Summo Numine per intercessionem BMV. sine labe conceptae zelus exstirpandi peccata petitur. (*Mon.* 1272. p. 733.)

Continuatio Monumentorum Marianorum Epochae II Seculi XIX: a 2 Febr. 1849 usque 8 Dec. 1854.

918—927.

Responsa Praesulum Belgii ad Encyclicam Pontificiam anni 1849 de Immaculata BMV. Conceptione a. 1849—1854.

918. **Eppus Gandavensis.** — Eppus Gandavensis testatur, *hanc esse unanimem, indubitatam, et quasi innatam tum Cleri tum populi fidelis persvasionem, BVMariam speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius filii, humani generis Redemtoris, absque labe originali fuisse conceptam:* in cuius quidem indubitatae et quasi haereditariae persvasionis testimonium festum Conc. BVM. licet abrogatum per indultum Apostolicum 9 Apr. 1802, in dioecesi maiori longe prae aliis BV. per idem indultum suppressis festivitatibus devotione, concursu fidelium ac Sacramentorum frequentatione tum a Clero Religiosisque utriusque sexus Communitatibus, tum a populo fideli pergit celebrari. Quam quidem commissi sibi gregis devotionem considerans, vehementissimeque fovere ac augere cupiens Eppus pro singulari sua, qua a teneris annis in BVMariam sine labe conceptam flagravit, pietate a fel. rec. Gregorio XVI efflagitavit ac die 20 Nov. 1840 obtinuit, ut in sacra liturgia, ac praesertim in Praefatione Missae de Conc. vocem illam ‚Immaculata' palam publiceque enunciare et addere liceret, utque Dom. II Adv. solemnitas Conc. BV. ritu duplici 1 Cl. celebraretur. Nec dici potest,

qua mentis aviditate, qua spiritus exultatione, quo animarum fructu soleant fideles sacros audire concionatores, quoties de singulari Virginis sine labe conceptae privilegio sermonem habent; *nec dubium esse potest, quin magna foret omnium secundum Deum aedificatio, novumque devotioni erga BV. quae maxima in dioecesi Gandavensi semper extitit, magisque in dies augetur, incrementum accederet, si, quod communis indubitatusque tenet fidelium sensus, solemni Ap. Sedis decreto definiretur.* Quapropter *vehementissime desiderat,* iamque a multis annis ardentissime exoptavit *Eppus, ut tandem aliquando — solemni Ecclesiae et Sedis Ap. iudicio atque auctoritate definiatur id, quod populo fideli indubitatum est, quod Sedes Ap. tot decretis privilegiisque illustravit, quod Deus O. M. nostris hisce diebus tot signis confirmare non cessat, quodque viri ingenio virtute pietate doctrina praestantes doctis ac laboriosis scriptis magno argumentorum e locis theologicis depromtorum pondere probarunt, ab Ecclesia tamquam fidei cath. dogma definiri posse.* — Gandavi in Synodo dioecesana 14 April. 1849. *Ludovicus Iosephus.*

---

919. **Eiusdem Eppi pastoralis litera.** SSmus Dominus noster Papa, in medio tempestatum, quae illum Roma excedere coëgerunt, ea perfruitur tranquillitate, qua Dominus suos electos donare svevit. Divexatus a subditis, quos beneficiis cumulavit, — fugere adactus ab ingratis, quos ab exilio revocatos suis familiis restituit, — illusus in ipso suo asylo a filiis, quibus tam saepe e toto corde benedixit, et porro benedicere non desinit, sanctus hic Pontifex, divinum Salvatorem Iesum Christum imitatus, de Ecclesiae solummodo necessitatibus cogitat, nec alia re, nisi salute fidelium quotidie occupatur, nova quaerens media, fervori illorum excitando, amovendisque ab illis periculis aptissima. Nuperrime accepimus encyclicas literas, manu Summi Pontificis subscriptas, quae novo documento sunt serenae huius tranquillitatis, et tenerrimae Ecclesiae Catholicae sollicitudinis. Haec movens epistola, Caietae 2-a proxime elapsi mensis Februarii scripta, et ad Patriarchas, Primates, AEppos et Eppos orbis catholici

missa ad instar monumenti, primis Ecclesiae seculis digni habebitur. SSmus Pater ibidem zelum nostrum ad indicendas, asservandasque publicas preces excitat, quo superno lumine atque adiutorio muniatur in conficiendo decreto, quo gloriam optimae Matris nostrae B. Virginis Mariae augere intendit. Gratitudinem quippe suam Reginae Coeli testatam reddere, solemnique indicio declarare exoptat: Conceptionem B. Virginis Mariae prorsus immaculatam, et ab omni labe originalis culpae absolute immunem fuisse. Audiamus ipsum Summum Pontificem: „A teneris annis — inquit — nihil potius nihil antiquius habuimus, quam singulari pietate, et obsequio, atque intimo cordis affectu Beatissimam Virginem Mariam colere, et ea peragere, quae ad maiorem ipsius Virginis gloriam, et laudem procurandam, cultumque promovendum conducere posse videantur Itaque vel ab ipso supremi nostri Pontificatus exordio summa quidem alacritate in tanti momenti negotium curas cogitationesque nostras serio convertimus, atque humiles fervidasque Deo Optimo Maximo preces adhibere haud omisimus, ut coelestis suae gratiae lumine mentem nostram collustrare velit, quo cognoscere possimus, quid in hac re a Nobis sit peragendum. Etenim ea potissimum spe nitimur fore, ut Beatissima Virgo, quae meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit, atque antiqui serpentis caput virtutis pede contrivit, quaeque inter Christum et Ecclesiam constituta ac tota suavis et plena gratiarum christianum populum a maximis quibusque calamitatibus, omniumque hostium insidiis, et impetu semper eripuit, atque ab interitu vindicavit, tristissimas quoque ac luctuosissimas nostras vicissitudines, acerbissimasque angustias, labores, necessitates amplissimo, quo solet, materni sui animi miserans affectu, velit praesentissimo aeque ac potentissimo suo apud Deum patrocinio, et divinae iracundiae flagella, quibus propter peccata nostra affligimur, avertere, et turbulentissimas malorum procellas, quibus cum incredibili animi nostri dolore ubique iactatur Ecclesia, compescere, dissipare et luctum nostrum convertere in gaudium. Optime enim nostis, Venerabiles Fratres, omnem fiduciae nostrae rationem in Sanctissima Virgine esse collocatam; quandoquidem Deus totius

boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab Ea noverimus redundare .... quia sic est voluntas Eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.“

Hae sunt ch. f. n. spes et exhortationes SSmi Patris. Quod ad nos attinet, nihil dubitamus, beatam Virginem nunquam, vel momento sub potestate daemonis fuisse, perpetuae enim inimicitiae existunt inter illam et diabolum, sub serpente latentem; (Gen. 3. 15.) Illa semper tota pulchra erat coram Deo, et macula nulla fuit in illa; (Cant. 4. 7) quemadmodum id cum antiquis Patribus, cum celeberrimis Doctoribus, sanctisque praeteritorum temporum tenemus. Nihilominus haec doctrina nequaquam adhuc articulum fidei constituit, nec unquam ad credendum proposita fuit. Haec pia et certa doctrina — quemadmodum putamus — in complexu illarum veritatum continetur, quas Spiritus Sanctus Apostolis die Pentecostes revelavit, docendo eos omnia. (Ioan. 16. 13.) Ceterum ad solum infallibilem traditionis Interpretem pertinet, omnimodam certitudinem nobis conciliare, hancque quaestionem decidere. Iam vero infallibilis hic Interpres, Doctor Doctorum, Successor S. Petri, sublatis in coelum oculis divinum lumen implorat, priusquam decisionem ferret; orat, et nos quoque ad orandum cum ipso provocat: „Quamobrem — ait — has Vobis, Ven. Fratres, scribimus literas, quibus egregiam vestram pietatem, atque episcopalem sollicitudinem magnopere excitamus, Vobisque etiam, atque etiam inculcamus, ut quisque vestrum pro suo arbitrio, atque prudentia in propria Dioecesi publicas preces indicendas, ac peragendas curet, quo clementissimus luminum Pater nos superna divini sui Spiritus luce perfundere, numine afflare dignetur, ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeamus, quod ad maiorem tum sancti sui nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere.“ Oremus itaque ferventer, et cum fiducia praestolemur decisionem, quae gaudio replebit corda nostra. Devotio vestra ch. F. erga Mariam, omnibus nota est. S. Rosarium, frequentissime tum privatim, tum publice in Ecclesiis recitatum; numerosae sodalitates, et florentes sub auspiciis Mariae congre-

gationes; processiones, in honorem eiusdem praesusceptae; pia exercitia mense Maio tanta cum aedificatione peragi solita: haec omnia totidem testimonia sunt vestrae erga misericordem et potentem Matrem pietatis. Nolite ergo Ch. F. in hoc zelo frigescere, imo magis, magisque illo accendamini, cumprimis sub proxime instante nobis devotione mensis Maii, quam totam intentioni SSmi Patris, Summi Pontificis impendi desideramus. (Sequuntur ordines quoad publicas preces.) Gandavi 12 Aprilis 1849. Ludovicus Ios. Eppus Gandavensis.

---

920. **Eppus Leodiensis.** Indictis iam pridem publicis precibus ac peractis, ut luminum Pater te, SS. Domine, superna Divini sui Spiritus luce in gravissimo negotio de imm. Conc. BMV. perfundere dignaretur, summo nunc gaudio B. V. certiorem reddo, quod universus Clerus populusque fidelis *huius dioecesis erga immac. V. conceptionem sensibus animentur piissimis; peculiares canonicae horae de ista BV. Conceptione iam sint in dioecesi introductae, et nihil aliud supersit, quam ut hoc ipso die festo imm. Conc. ego quidem meo simulque ven. Capituli Ecclesiae Cathedralis* et nominatim ipsius Decani ac Praesidis Comitis ab Argenteau AEppi Tyrensis, *omnium deinde Ecclesiarum, totius Cleri secularis ac regularis, necnon cunctorum fidelium nomine te, B. Pater, humillime efflagitemus, ut solemni iudicio decernere velis, SS. Deigenitricem imm. V. Mariam absque labe originali fuisse conceptam.* Quod de illa imm. Conc. in dioecesi Leodiensi semper illud pie creditum sit, quod nunc suprema decisione Apostolica credendum esse speramus decretum iri, cum plurimis aliis argumentis, tum maxime singulari probatur decreto a. 1383 *Tungrensis Ecclesiae,* olim Collegialis, nunc parochialis, BMVirgini ab immemoriali tempore dedicatae. Cuius exemplar dum oculis B. V. summa reverentia subiicio, ipsi gratum me aliquid fecisse existimare ausus sum. — Leodii, 8 Dec. 1849. *Cornelius.* (Van Bommel.) (Decretum Tungrense statuit maxime solemnem festi Conceptionis celebrationem in Ecclesia Collegiata Tungrensi, prout festum Patroni *Materni* celebrari solet.)

---

921. **Card. AEppus Mechliniensis.** — *Clerus populusque mihi concreditus pro magna, qua flagrat, erga BV. pietate, Deum enixe pro felici tanti negotii exitu deprecari non desinit, et ardenter desiderat, ut communis de BV. imm. Conc. persvasio magis magisque propagari et constabiliri valeat.* Devotionem erga imm. conceptionem in dioecesi Mechliniensi iamdiu viguisse Sanct. Vestrae manifestum fiet ex epistola pastorali, quae hisce literis annectitur. Iudicavi tamen addendum: in his regionibus, et maxime in vicinis Galliae et Hollandiae regnis, viros ecclesiasticos reperiri pietate scientia et prudentia conspicuos, qui licet agnoscant ingentem utilitatem orituram esse ex decreto Apostolico, quo statueretur fide divina ab omnibus credendum esse, BV. ab originali labe praeservatam fuisse, — timent tamen, ne incommoda sat magna inde proveniant. Verentur inprimis, ne haeretici et increduli, qui in diariis aliisque scriptis ubique dispersis fidem lacerare non cessant, novum inde argumentum sumant ad Ecclesiam Cath. calumniandam, quasi scilicet nova dogmata adinveniret et SS. Dei Matri cultum indebitum deferret. Unde et sequi posset, ut plures qui modo ad amplectendam fidem proclives videntur, a proposito resiliant. Si itaque audita relatione Emin. DD. Cardinalium aliorumque spectabilium virorum, quibus gravissimi istius negotii examen commissum est, Sanct. Vestra iudicaverit imm. Deigenitricis Conceptionem ut dogma fidei cath. definiendam esse, forsan *consultum erit in decreto apostolico traditionem divinam clare ac dilucide exponere, quo palam fiat, nihil novi statui, sed antiquam Ecclesiae fidem unice declarari et confirmari.* Ita enim sperare liceret, ut os malevolis obstruatur, aut saltem defensores fidei illorum calumnias facilius refutare possint. Deinde attento, quod hisce temporibus animarum curatores in rebus moralibus leges benigne interpretari et magna indulgentia uti cogantur, eo quod fides multorum langveat et caritas refriguerit, dubitant iidem illi viri, an hodiedum expediat, novam in re dogmatica obligationem inducere, circa veritatem praesertim, de qua non tantum nulla agitatur controversia, sed quae etiam mira omnium catholicorum consensione magis magisque propagatur. Timent etiam, ne forte in regionibus, in quibus theologi reperiuntur, qui Sedi Apostoli-

cae in definiendis fidei dogmatibus infallibilitatem immerito denegant, aliqui ex ipso etiam Clero prodeant, qui ex ea, quae ibidem viget, scribendi prurigine decretum Apostolicum ausu temerario palam oppugnent, et ita publicum scandalum suscitent. Haec dubia hosque timores unice refero, B. Pater, ut Sanct. Vestra rerum statum plane cognoscat, atque incommodis, si quae timenda videantur, opportuno remedio provideat. Absit enim, ut decisionem, qua Sedes Apost. cultum clementissimae Matris et potentissimae Patronae promoveri posse iudicaverit, impedire aut vel minime retardare velim. Imo *non solum immac. Conceptionem, sed et ipsam corporalem BMV. in coelos Assumtionem solemni decreto confirmari posse ardenter desidero. Certum denique indubitatumque Sanct. Vestrae esse cupio, nos omnes quotquot sumus in Belgio Eppos, sacerdotes et laicos fideles qualecunque Sedis Ap. decretum firmissime amplexuros esse, iuxta exemplum Patrum Concilii Chalcedonensis unanimi voce exclamantes: Petrus per Pium locutus est, anathema qui non credit.* — Mechliniae, 15. Dec. 1849. *Engelbertus Card. Sterckx.*

---

922. **Eiusdem Card. APraesulis Literae Pastorales.** 1849. Charissimi Dioecesani nostri! Sanctissimus Pater noster, Summus Pontifex nuperrime encyclicas literas ad omnes Episcopos dimisit, ut eos edoceat de magna consolatione, qua perfusus est, intelligendo devotionem erga immaculatam Conceptionem SSmae Virginis Mariae magis, magisque in Ecclesia dilatari; — unaque notum reddat, ferventissimum plurimorum desiderium, qui universaliter receptam, validissimisque argumentis suffultam opinionem, iuxta quam Mater Dei sine macula concepta et a peccato originali omnino praeservata fuit, a S. Sede Aplica tamquam catholicam doctrinam definiri exoptant. Summus Pontifex his literis exprimit magnam illam venerationem, qua a teneris annis erga B. Virginem Mariam ducitur, suumque desiderium, cultum eiusdem promovendi. Addit insuper, se a potentissima Mariae apud Deum intercessione finem malorum, luctuosissimarum vicissitudinum et angustiarum suarum, turbulentissimarum demum, quibus

Ecclesia iactatur, procellarum sperare. Annuntiat porro SSmus Pater, se aliquos ecclesiasticos viros pietate spectatos, ac theologicis disciplinis apprime excultos, nonnullos item Cardinales selegisse, qui gravissimum hoc argumentum omni ex parte accuratissime examinarent. Optat etiam, ut Eppi eidem significent, qua devotione Clerus et fideles curis illorum commissi erga Conceptionem Immaculatae Virginis sint animati, et quo desiderio flagrent, ut eiusmodi res ab Aplica Sede decernatur. Inprimis autem noscere cupit, quid Eppi de re ipsa sentiant, quidve exoptent. Demum facultatem eis concedit, ut dioecesanus Clerus illorum recitare possit novum Officium de SSmae Virginis Conceptione, quo Clerus Romanus iam re ipsa utitur. Muneris nostri esse censemus, his piis S. Patris, Summique Pontificis desideriis obsecundare; eapropter universis Dioeceseos nostrae Presbyteris harum serie mandamus, ut deinceps in Missa, praeter Collectam de Papa, illam de Spiritu S. assumant, atque permittimus, ut Collectam pro quacunque necessitate, quam hactenus recitarunt, omittere possint. Dum Suae Sanctitati vividissima sensa devotionis, qua vos Ch. D. N. erga sanctam Virginem, et in specie erga immaculatam eius Conceptionem duciminor, exponemus, iucundissimum nobis erit declarare: in hac Dioecesi nostra insigne Dei Genitricis privilegium, vi cuius a peccato originali praeservata fuit, iamdudum agnitum fuisse, imo hanc praerogativam Mariae isthic solemne testimonium repraesentantium nationis tulisse. Reipsa Praedecessor noster, zelo plenus *Andreas Cruesen* generalibus comitiis Statuum Brabantiae 28-a Novembris 1659. proposuit, ut, exemplo aliorum Statuum, voveant: se immaculatam Conceptionem SSmae Virginis defensuros, et omni modo impedituros, ne pia haec fides a quibuscunque oppugnetur. Status hanc propositionem unanimi voce acceptarunt, et proxima 8-a die Decembris, Festo Conceptionis sanctissimae Virginis pius Archi-Eppus hanc sponsionem in Ecclesia Dominicanorum Bruxellensium, praesentibus delegatis Statuum, generali Gubernatore, Ministris et multitudine fidelium solemniter promulgavit. Ab hoc solemni actu in Seminario nostro[1]) et aliis theologicis Scholis constanter

tradebatur: BVirginem ab originali peccato praeservatam fuisse, Clerusque Dioecesanus ubivis locorum fidelibus inculcavit hanc veritatem, ipsis tantopere solatiosam, Matri vero et Patronae suae tantopere honorificam. Nos quoque necessarium iudicavimus, hanc doctrinam Catechismis ante sex annos editis, — qui hodiedum in cunctis parochiis Dioeceseos nostrae adhibentur, inserere. In illo vero, qui explanationibus provisus est, binis vicibus hanc veritatem exposuimus, capite videlicet 6-o et 18-o. Insuper omnimode certam reddemus suam Sanctitatem, nos, — si hanc veritatem, generatim receptam, decreto firmandam atque roborandam iudicaverit, — huic decisioni incunctanter acquieturos, et vestigiis Patrum Concilii Chalcedonensis insistentes, exclamaturos: S. Petrus per os Pii IX locutus est, anathema sit, qui eidem non credit! Interea autem non desistamus Ch. D. N. implorare lumen Spiritus S. ut Summus Pontifex, in tanti momenti re, — quemadmodum ipse fatur — „illud consilium suscipere valeat, quod ad maiorem tum Dei gloriam, tum beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere.“ Utendo vero facultate, a sua Sanctitate nobis concessa, cunctis Dioeceseos nostrae Presbyteris indulgemus: ut exhinc recitare possint novum Officium de Conceptione Immaculatae Virginis, quod equidem ad exemplar romanum typis procudi curabimus. Iubemus denique, ut praesentes literae nostrae proxima a receptione illarum Dominica e s. suggestu praelegantur. Datum Mechliniae Dnica Pentecostes 1849. Engelbertus, Card. AEppus Mechliniensis.

---

923. **Eiusdem Card. AEppi sententia de modo pingendi SS. Deigenitricem Mariam sine labe originali conceptam.** 1854. I. Inter gravissimas rationes, ob quas SS. D.

---

[1]) Duo Praesides Seminarii Mechliniensis, tractatus theologicos typis ediderunt, scilicet *Laurentius Neesen* et *Petrus Dens.* Posterioris Theologia etiamnum alumnis praelegi solet. Ambo vero adstruunt immaculatam B. Mariae Virginis Conceptionem.

N. Pius IX Beatissimam Deigenitricem in sua Conceptione singulari Dei beneficio a peccato originali praeservatam fuisse iamiam ex cathedra definiet, ea certe non ultimum locum tenet, quod Christifideles inde excitabuntur, ut ampliorem SS. Virgini reverentiam exhibeant, maiorem a peccatis aversionem concipiant, eiusque animae puritatem ceterasque virtutes magis imitari studeant. Ad istud sapientissimi Pontificis propositum assequendum magnopere proderit, si tabulae pictae eximium privilegium SS. Virgini collatum repraesentantes ubique in Ecclesiis exponantur; quum experimento constet, imagines oculis fidelium utilissime subiici, ut ad Sanctorum imitationem vitam moresque componant. Quo autem pictura melius significabit, BVirginem sine labe originali conceptam esse, in promtu est eo quoque efficacius et plenius optatum finem obtinendum esse. Hac de causa non abs re fore iudicavimus, si de modo, quo SS. Virgo immaculate concepta pingi debet, brevem hanc disquisitionem scriberemus, atque etiam adhortantibus viris doctrina pietate conspicuis typis ederemus. Faxit Deus, ut haec nostra utcunque brevis et imperfecta disceptatio ad Dei gloriam, SS. Deigenitricis honorem, et fidelium aedificationem conferre aliquid possit! Illum equidem solum nobis fuisse et in conficiendo et in edendo hoc nostro labore scopum testamur ac profitemur.

II. Ipsamet immaculata Conceptio BVirginis neque pingi, h. e. coloribus repraesentari, neque ulla alia ratione sensibus exhiberi potest; etenim secrete peracta fuit in utero S. Annae in primo instanti creationis atque infusionis eius animae in corpus, prout loquitur Alexander VII const. ‚Sollicitudo.' Igitur pingenda est BVirgo iam in lucem edita. Perinde autem est, sive in iuniore sive in maturiore aetate repraesentetur, quum privilegium immunitatis a peccato originali in conceptione obtentum semper retinuerit, nulloque vel minimo peccato actuali obliteraverit, imo vero maiori gratiarum splendore et virtutum augmento in dies illustraverit. Itaque ea est huius nostrae disquisitionis ratio atque argumentum, ut quoad eius fieri possit palam fiat, quibus prae ceteris attributis seu sensibilibus indiciis atque adiunctis BVirgo pingenda sit, ut rite significetur, ipsam a labe originali praeservatam fuisse.

III. Inter scriptores, qui de picturis sacris opera ediderunt, alii alios assignant modos, quibus hoc insigne BVirginis privilegium aptissime oculis nostris subiici posse videatur. Iuverit quorumdam inter illos ea de re sententias proferre, et nonnulla alia, quae nobismet ipsis de ea quaestione reperire datum fuit, ad pictorum utilitatem et pietatis christianae incrementum breviter delibare.

IV. *Ferd. Borromaeus* in suo opere *de sacra pictura* ita mentem suam aperit l. 2. c. 5: ‚Nos censemus fieri posse adolescentulam tectam amictu suo, in magno splendore sedentem, eique splendori circumvolitantes angelos maiores et minores; figuramque ipsam et angelos leviter obumbratos faceremus, ita ut superveniente coelitus fulgore illuminarentur, atque inter coelestes eosdem splendores apparerent tres Personae Divinae, ipsae quoque leviter obumbratae.‘

V. *Molanus* Theologus Lovaniensis in opere, quod inscripsit ‚de sacris imaginibus‘, laudat prae ceteris imaginem pictam ab Antonio Coypel et saepe aeri incisam, cuius partem infimam occupat immanis draco, orbi insidens et substratus pedibus Mariae, quam exerto ore mordere et vorare frustra laborat. Superne Deus Pater nube lucida vectus dextram protendit, et imponit vertici Mariae, quae decussatis manibus et inclinato capite divinae gratiae influxum accipere videtur.

VI. In *regula Ord. Monialium Immac. Conceptionis* ab *Innocentio VIII* et *Iulio II* approbata praecipitur, ut Moniales portent in pallis et scapulari imaginem Dominae nostrae solaribus radiis circumdatam, stellis in capite coronatam, et filium brachio gestantem.

VII. In *Scapulari*, quod Romae a RR. PP. *Theatinis* ex apostolica concessione in honorem Immac. Conceptionis benedicitur, BVirgo repraesentatur stans super orbem terrarum, filium brachio tenens et habens lunam atque serpentem sub pedibus.

VIII. In *Numismate Parisiensi*, quod nuncupari solet ‚Medaille miraculeuse‘, exhibetur SS. Virgo stans super orbem terrarum, serpentem conculcans, et manus deorsum extendens, ex quibus radii emanant. Caput ipsius stellis circumdatur, sed corona non exornatur, neque luna sub pedibus depingitur. Con-

gregatio SS. Rituum die 27 Aug. 1837. respondit, non expedire, ut ista effigies in maiori altari Ecclesiae S. Nicolai Neapoli collocetur. In annotatione huic decreto addita dicitur, ita merito decisum fuisse, tum quia potius imago Patroni titularis in isto altari ponenda erat, tum quia dicta imago Parisiensis differt quamplurimum ab ea, qua a vestustissimis temporibus BVirginis Conceptio pingi consvevit, tum quia S. Congregatio nullam nequidem vetustissimam illam imaginem approbavit, at contra ex mente Concilii Tridentini et Urbani VIII hanc curam Eppis reliquit. Quaenam vero sit ea imago, quae a vetustissimis temporibus pingi consvevit, neque ab auctore praedictae annotationis indicatur, neque nos detegere potuimus. Putamus, iamdiu varias formas in variis regionibus pro vario pictorum imo etiam fidelium ipsorum genio ad pingendas eiusmodi effigies adhibitas fuisse.

IX. *Imagines Immaculatae Conceptionis* seu pictae seu aeri incisae, seu etiam arte lithographica exaratae, quas magno numero collegimus, in varias classes pro variis attributis, quibus praeservationis privilegium significant, hoc fere modo aptissime distribui posse videntur: 1. Quaedam exhibent tres Personas SS. Trinitatis privilegium istud Mariae e coelis conferentes; quaedam referunt solum Deum Patrem dilectam filiam protegentem; quaedam solum Spiritum S. radios in ipsam demittentem; in quibusdam e contra nulla Persona Divina depicta cernitur. 2. In aliquibus depicti sunt Angeli BVirginem circumdantes, eique congratulantes; in aliis Angeli desunt. 3. Sunt, in quibus BVirgo exhibetur stans super orbem terrarum; in aliis vero supra terram in nube est elevata. 4. In nonnullis BVirgo super lunam crescentem vel decrescentem: in aliis luna abest. 5. In quibusdam BVirgo serpentem pedibus conculcat: in aliis serpens non reperitur. 6. Aliquando BVirgo repraesentatur cum Filio, promiscue vero sine Filio. Ubi divina proles adest, vel mater sola, vel ipsa simul cum Filio caput serpentis cruce conterit. 7. BVirgo quandoque exhibetur capite corona redimito, quandoque insigni illo regio non ornatur. 8. In plerisque caput BVirginis stellis circumdatur, in aliquibus stellae desiderantur. 9. Paucae sunt, in quibus BVirgo florescentem li lii ramum manu gestat, in plerisque

vero iste ramus non depingitur. 10. In quibusdam BVirginis manus exhibentur decussatae, in aliis simul iunctae ante pectus, in aliis parum extensae. In effigie Parisiensi magnopere deorsum extensae sunt, radiosque in terram emittunt.

X. Duplex ex hac imaginum varietate exoritur quaestio: prior, *utrum omnes usque adeo approbari possint, ut eas in ecclesiis exponere liceat;* altera vero, *qua prae ceteris ratione SS. Virgo pingenda sit, ut meliori quo fieri possit modo indicetur, ipsam immaculate conceptam fuisse.*

XI. Quod *priorem* quaestionum attinet, videtur dicendum, omnes imagines supra delineatas in ecclesiis cum licentia Ordinarii exponi posse. Nonnullae quidem minus perfectae sunt, quia vel attributa exhibent, quae ad Immaculatam Conceptionem non pertinent, vel hoc privilegium nonnisi impropriis et plane insufficientibus signis indicant; attamen cunctae ad reverentiam, fiduciam, et amorem erga SS. Virginem in cordibus excitandum idoneae sunt, nec quidquam profani aut incongrui oculis obiiciunt, adeoque secundum decreta Conc. Tridentini et Urbani VIII ab Eppis approbari possunt.

XII. De *posteriore* quaestione, qua scilicet ratione BVirgo videatur pingenda, ut meliori quo fieri possit modo indicetur, ipsam a labe originali fuisse praeservatam, manifestum apparet: imaginem, cuius specimen nobis suggerentibus delineavit praeclarus pictor Bavaricus *A. M. Seitz,* Romae commorans, optime repraesentaturam singulare privilegium, quo Deus BVirginem condecoravit. Rem paucis illustremus. 1. In isto specimine Deus Pater dextram supra BVirginem e coelo extendens aptissime significat specialem protectionem, qua dilectam filiam a labe originali praeservavit. Ubi Deus Filius crucem et vulnera monstrat, indicatur, amantissimam Matrem intuitu passionis et mortis suae ab ea labe praeservatam fuisse. Spiritus S. radios in carissimam Sponsam demittens indicat iustitiam originalem omniumque gratiarum et virtutum abundantiam ipsius animae in Conceptione infusam fuisse. 2. BVirgo congrue repraesentatur stans, demissis oculis et manibus parumper extensis; quum ita luculenter monstretur, ipsam summa cum reverentia, humilitate et grati animi significatione immaculatae Conceptionis privilegium acceptasse. Exhibetur

autem in perfecta aetate, ut maior reverentia ei concilietur; color albus tunicae singularem puritatem, ceruleus pallii coelestem originem animae eius denunciat. 3. Sole amicta sive circumdata repraesentatur, ut significetur coelestium gratiarum splendor, quo in Conceptione illustrata fuit, et quem ipsa quacunque diffundere non desinit. 4. Stellae Virginem circumdantes eiusque capiti imposita corona regalis significant sanctitatem, honorem et gloriam, quae ei per immaculatam conceptionem accesserunt, secundum haec S. Scripturae verba: Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis et gloria honoris. Eccl. 45, 14. Deinde corona competit titulo Reginae, quo Sedes Apostolica Immaculatam Virginem salutari voluit, quum haec verba Litaniis Lauretanis addenda decrevit: Regina sine labe originali concepta, ora pro nobis. 5. SS. Virgo exhibetur in nube super terram elevata, ut significetur, per privilegium immaculatae conceptionis eam supra ceteros homines exaltatam fuisse. 6. Quod lunam sub pedibus habeat, signum est, ipsam in Conceptione daemonem superasse, qui sapientiam perdidit in decore suo, vere mutatus ut luna, prout ait S. Bernardus hom. de 12 stellis. Idem significat serpens in orbe terrarum devictus iacens. 7. Angeli, qui circum BVirginem cum ramis liliorum, palmarum vel olivarum venerabundi volitant, iique qui in coelis laetabundi exhibentur, indicant, omnes Angelorum ordines de collato immaculatae Conceptionis privilegio Mariae indesinenter congaudere et congratulari.

XIII. Quum igitur istud specimen ea exhibeat attributa, quae eximium Praeservationis privilegium optime oculis repraesentant, atque adeo aptissimum sit, ut Christifideles ad reverentiam et amorem erga SS. Deigenitricem excitentur, eiusque virtutes imitari discant, merito concludere videmur, idem illud specimen ad pingendum hoc mysterium prae ceteris adhibendum esse. — Romae in Collegio Belgico mense Novembri a. 1854. Engelbertus (Sterckx) Card. AEp. Mechl.

---

924. Admin. Apost. Ruremundanus. (Ad Nuntium.) — Cum ex literis Vestris de die 9 curr. mentem SS. Domini

clarius intellexerim, hinc libenter, abstrahendo semper ab ipsis quaestionis principiis, quid in subiecta materia sentiam, cum omni submissione Vobis manifestum faciam. Quaestio haec olim nimium et absque ullo animarum fructu exagitata fuit. Utraque sententia defensores habuit viros omni quidem exceptione maiores, imo sanctos. Ipsimet negantes seu opponentes tantopere addicti erant BVMariae, ipsamque venerabantur, quantum defendentes. *Hodie quaestio haec, saltem in hacce regione, extincta est omnino, ipsaque sancta et immaculata Virgo Mater Dei ubique, prout decet, colitur, veneratur, et invocatur, ac fideles hanc quaestionem aut ignorant aut male capiunt: ergo opinor ego, non dari praecise necessitatem edendi definitionem in hac re dogmaticam.* Verum ex altera parte exquisita fuit iuxta mentem SS. Domini omnium Epporum in hac re sententia, fideles de ipsa re fuerunt instructi et ad fundendas preces exhortati; *quaestio* ergo *revixit aliquatenus, et, si non sequatur definitio, ignoratur illius eventus. Pro sententia affirmativa adsunt motiva in ratione theologica ac praxi hodiedum fere generali fundata, ergo in hac parte contrarium sentio atque definitionem dogmaticam edi posse iudico.* Interim SS. D. Noster Pius Papa IX in sua prudentia ac infallibilitate iudicabit, atque iudicium illius nostrum est. — Ruremundae, 2 Iul. 1849.

- - - - -

925. **Eppus Tornacensis.** (Ad Card. Praef. de Propaganda). — Quo attentius quaestionem de BV. immac. conceptu perpendo, eo magis ancipitem haerere me atque vero quodam perplexitatis statu implicari sentio. Quod in causa fuit, cur mea ad S. Sedem responsio dilata fuerit. *Nullum sane dubium de veritate conc. imm. mentem meam subire unquam potuit, sed difficultas mihi oritur circa momenta, quibus innitetur definitio dogmatica.* Nonnulla, quae ex Sacris Paginis, veterum testimoniis, ex liturgia, et sensu et affectu fidelium eruuntur argumenta, gravia esse videntur et momentosa. Qua vero ratione quove pondere ad definiendum dogma proferri possunt? Hanc quaestionem examinare et solvere meum non esse puto, sed examen et solutionem dimittere iuvat virorum

doctorum iudicio, quibus a SS. Patre proculdubio id demandatum est. Eorum opera ac ingenio difficultatem brevi enucleandam esse confido. Interea Auctorem omnium bonorum enixe rogabo, ut Doctorum laboribus faveat et *ad optatam definitionem feliciter perducat, quod flagrantissime exopto, et toto vitae tempore exoptavi.* Iam a multis annis et ferme statim a suscepto munere eppali postulavi et impetravi a S. Sede, ut haec verba ‚Conceptio immaculata' in praefatione Missae, et ‚Regina sine labe concepta' in Litaniis Lauretanis adiici possent. *Dogmatica* insuper *definitio non solum Eppi sed universi Cleri et fidelium dioecesis Tornacensis vota cumulabit.* — Tornaci, 1 Febr. 1853. *Caspar Iosephus.*

---

926. **Eppus Namurcensis.** Eppus Namurcensis ad pedes Sanct. Vestrae provolutus, humillime exponit, se statim post acceptas literas Apostolicas de 2 Febr. 1849 circa quaestionem imm. Conc. BMV. publicas in dioecesi preces iuxta mentem Sanct. Vestrae indixisse ae peragi curasse; quid vero ipse de re tanti momenti sentiat, Sanct. Vestrae nondum significasse, quia id in proxima de statu suae Ecclesiae relatione praestare mentis erat. Cum autem praedictus Eppus limina Apostolorum visitaturus, ac sua erga Sanct. Vestram obedientiae, devotionis ac venerationis sensa proditurus, Deo iuvante Romam venerit, ideo quod hactenus differendum duxerat, lubenti et alacri animo exequitur, declarando: *Clerum populumque fidelem totius dioecesis maxima devotione erga imm. V. Conceptionem esse animatum, illudque mysterium speciali cultu honorari in Civitate Namurcensi,* ubi quotannis in Ecclesia Cathedrali ex indulto apostolico missa solemnis per octiduum singulis diebus celebratur in honorem imm. Conc. BMV. a tempore fere immemoriali, quam devotionem Eppus non solum probat, sed et fovet ac pro posse augere studet. *Iucundissimum igitur ei eiusque Clero ac populo fideli foret, si ab Ap. Sede solemni iudicio decerneretur, SS. Deigenitricem V. Mariam absque labe originali fuisse conceptam.* — Romae, 26 Oct. 1854. *Nicolaus Iosephus.*

---

927. **Eppus Brugensis.** Epistola encyclica de 2 Febr. 1849 — Brugas advenit, quum consecrationem eppalem nondum accepissem, atque negotia initio Eppatus tractanda impediverunt, quominus desiderio Sanct. Vestrae deinde satisfacerem. Quia autem nunc certior factus sum, Sanct. Vestram etiam nunc optare, ut omnes Eppi, qui epistolae encyclicae nondum responderunt, mox sententiam suam aperiant, sine mora quid de quaesitis in illa epistola encyclica sentiam, Sanct. Vestrae breviter declarabo. Inprimis autem *credo et semper credidi,* quinimo dum theologiam dogmaticam in Universitate Catholica Lovaniensi traderem, pro viribus demonstravi, *BMVirginem ab ipso primo creationis et animationis suae momento per gratiam Christi Salvatoris ab omni labe peccati originalis fuisse praeservatam,* adeoque numquam imperio satanae fuisse subiectam. Ad hanc sententiam tuendam me movebat atque hactenus movet *unanimis a quinque circiter seculis pastorum et fidelium consensio;* indubium quippe est, a retro iam aetate paucissimis reclamantibus sacerdotes Dei docuisse, BMV. a peccato originali fuisse praeservatam, idque fidelibus universim esse persvasum, adeo ut infallibilitas tam activa quam passiva Ecclesiae Cath. periisset, si BMVirgo praerogativam imm. Conc. non obtinuisset. Me etiam movent *monumenta traditionis catholicae scripto mandata,* quae multa et perspicua sunt. Etenim ut praetermittam ea, quae de sanctitate BMV. eximia docentur passim ab iis SS. Patribus et Scriptoribus eccles. qui BMVirginem communi nascendi conditioni subiiciunt, et ad praerogativam eius non attendunt, aut eam negant, *certo certius est: SS. Patres ita saepe saepius de sanctitate Deigenitricis disseruisse, ut omnem labem peccati originalis ab ea excludant.* Docuerunt, e. g. Mariam a serpente non fuisse deceptam, communi maledictioni non subiacuisse, sanctiorem esse angelis qui a gratia numquam exciderunt, corpus Christi efformari debuisse e carne numquam maledictioni subiecta, carnem Mariae comparandam esse terrae paradisi terrestris, e qua creatus est primus Adam, etc. Beatam Mariam Virginem accepisse gratiam originalem, non participasse naturae nostrae per culpam etc. Quae omnia manifeste probant: piam senten-

tiam, quam tuemur, ab antiquissimis Patribus et cognitam et traditam fuisse, etiam postquam dogma de peccato originali ob controversias ab haereticis excitatas maxima in luce fuisset collocatum. Totius traditionis quasi speculum haberi potest celeberrimum S. Augustini testimonium, quo declaravit se nolle BMariam transscribere diabolo, sed docere eam tantam gratiam accepisse, ut vinceret ex omni parte peccatum. Si quis ad statum controversiae tunc agitatae attendat, videbit utique S. Augustinum BMVirginem a communi lege, quam tuebatur, implicite sed positive excepisse. Traditionem catholicam elucidant etiam ea, quae in *Conc. Basileensi* circa imm. BMV. conceptionem acta sunt; sed maxime verba *C. Tridentini*, quibus BMVirgo dicitur non inclusa, i. e. exclusa ab illa maledictionis sententia in filios Adam prolata. Me praeterea movet *Eccl. Cath. Liturgia*, in qua praerogativam BMV. expresse celebrat. Officia enim et festa ab Ecclesia permissa et concessa et celebrata in honorem BMV. sine labe conceptae praerogativam Deigenitricis tam manifeste supponunt, ut si quis eam neget, eo adducatur ut fateri debeat cultum Ecclesiae esse falsum, et Ecclesiam in cultu suo publico errare, quod sane nemo catholicus vel suspicatus fuerit. Me movet insuper *lex, qua Ecclesia Cath.* per Romani Pontificis oraculum omnibus fidelibus *prohibuit, quominus imm. conc.* quovis modo privatim aut publice verbis aut scriptis directe vel indirecte *impugnarent.* Impossibile enim est, Ecclesiam, quam Spiritus S. regit, cuique suggerit omnia quae sunt veritatis, aliquando fidelibus licentiam denegare propugnandi veritatem et impugnandi errorem. Stante igitur illa lege Ecclesiae sententia pia non potest esse falsa, nec sententia rigida, seu immac. conceptioni contraria, potest esse vera. Tandem me movent etiam *angustiae, in quas acti sunt ii, qui piam sententiam aliquando impugnarunt.* Alii enim confugerunt ad primum et secundum instans conceptionis, alii ad sanctificationem in utero, alii nitebantur opinionibus aut falsis aut saltem hodie non probatis de animatione subsequente conceptionem activam die 40 aut 80, de concupiscentia ut necessario fonte peccati originalis, quasi massa carnea, res nempe physica, principium aut sedes esse possit defectus moralis, qualis est peccatum originale.

Sine temeritate asseri potest, nullum argumentum sive ex S. Scriptura sive ex Traditione depromi, quo imm. Conceptio BMV. manifeste impugnetur. Quaeritur etiam, *utrum pia sententia veluti dogma fidei a S. Sede Ap. definiri possit?* Mihi intime persvasum est, Sedem Ap. posse salvis principiis sanae theologiae et fidei catholicae immac. conc. inter dogmata fidei recensere. Etsi enim S. Scriptura, quantum mihi videtur, nullum argumentum perspicuum et indubium ad tuendam illam veritatem suppeditet, *traditio catholica a SS. Patribus transmissa, et Ecclesiae Cath. sensu cultu-praxi et auctoritate explicata, divinam revelationem olim factam ita manifestat, ut fundamentum certum fidei cath. hac in re administret.* Nec hodie primum haec mea sententia orta est. Fuit enim in Gallia et nonnullis Germaniae regionibus, in quibus decreta C. Basileensis recipiebantur, communis opinio, praerogativam BMV. decreto oecumenico esse definitam. Ex historia C. Tridentini notum est, Patres Tridentinos ea fere sola de causa abstinuisse a definienda immaculata BV. conceptione, quia a nonnullis catholicis in controversiam adducebatur ; et ab initio propositum fuerat S. Concilio, controversias a catholicis inter se agitatas non dirimere. Ideo C. Tridentinum definitionem implicitam et indirectam tantum edidit, ut notum est. Bellarminus, postquam Congregationi a Paulo V constitutae ad elucidandam doctrinam de imm. BV. conc. fuisset adscriptus, suam sententiam his verbis protulit: ,Nisi Sixtus IV dedisset licentiam aliter opinandi, iam esset quaestio definita, nam, ut dicit Augustinus, si quid horum per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissimae insaniae est: itaque facillima nunc est definitio, quia solum requiritur et desideratur, ut tollatur illa licentia, si enim illa abesset, non esset opus definitione, quia per se res esset definita.' Ita Bellarminus. Quod optabat summus ille theologus, postea effecerunt Gregorius XV et Alexander VII, ut notum est, atque adeo ab eo tempore theologi non dubitarunt controversiam implicite esse diremtam. Controversia igitur eo devenit, ut Ecclesia ad definiendam piam sententiam id, ut ita dicam, unice agere debeat, ut factum omnibus manifestum declaret. Definietur enim Conceptio imm. BV. si Ecclesia persvasionem seu potius fidem, quam

privatim semper professa est, a suo Capite proclamari audiat et profiteri sine dubio iubeatur. *Nec a doctrina hac tuenda nos retardabunt illi theologi, qui obtendunt, Ecclesiam Cath. non posse definire piam sententiam, quia non solet inter dogmata fidei recensere, nisi veritates ab haereticis negatas, urgente spirituali fidelium necessitate.* Nam Ecclesiae est iudicare, quando necessarium aut utile est doctrinas controversas definire. Quidquid de antiqua Ecclesiae consvetudine hac in re asseratur, haec profecto ad disciplinam externam et oeconomiam ecclesiasticae gubernationis pertinet, et ab Ecclesia svadente fidelium utilitate mutari potest. Ego sane numquam putavi consvetudinem huiusmodi, qualiscunque tandem sit, in causa esse posse, ut Romanus Pontifex a definienda imm. Conc. abstineat. Semper enim existimavi, utilitatem Ecclesiae, quae maxima hic videtur, ceteris momentis extrinsecis anteferendam esse, ac proinde Romanum Pontificem posse solemniter definire imm. Conc. quandoprimum ei placuerit. Praeterea quaeritur, *utrum definitio haec opportuna sit?* Meo quidem iudicio *a scopo aberrant illi, qui inquirunt, utrum definitio huiusmodi opportuna esse possit respectu haereticorum,* philosophorum, incredulorum, indifferentium. Id enim in quaestione non versatur. Nulla enim fidei definitio pro istiusmodi hominibus opportuna esse potest. Sunt enim Pharisaeis, quos Christus damnavit, peiores, et ubi scandala non inveniunt, excogitant et fingunt. Ad eorum iudicium Ecclesia Cath. non attendit unquam. *Respectu* autem *Ecclesiae Catholicae, doctrinae sacrae, et fidelium christianorum opportunitas mihi videtur maxima.* Edita enim optata definitione, Ecclesia dogma de peccato originali a multis hodie negatum confirmat, et mysterium incarnationis elucidat, dum clarius explicat admirabile consilium, quo Deus adventum Filii sui in mundum praeparavit; Sanctitatis christianae exemplar perfectius fidelibus proponit, necessitatem gratiae ac Dei liberalitatem erga homines commendat, fiduciam et amorem christianorum erga BMV. auget, et gloriam spiritualis Matris solemnius proclamando filiorum eius gaudium amplificat. His et aliis huiusmodi momentis vere practicis adduci potest Ap. Sedes, ut praerogativam BMV. solemniter definiat, semper enim haec fidelium commoda dubiis

haereticorum et impiorum incommodis praevalere debebunt. Addam: *communem fidelium fiduciam et spem obtinendae optatae iamdiu definitionis tantam esse, ut haec definitio in aliud tempus differri non posse videatur sine dispendio avitae devotionis erga BMV.* Si enim Eppis ex universo orbe cath. a SS. Patre convocatis et in Urbe congregatis nihil in favorem piae sententiae a Sede Ap. decerneretur, multi fideles, qui de BMariae imm. Conc. numquam dubitarunt, de ea dubitare inciperent, ac se hactenus errasse suspicarentur. Definitio igitur iamdiu optata omnino est opportuna. Ex dictis liquet, SS. Pater, *me et gregem meum universum piae sententiae e visceribus adhaerere, neque quidquam magis in votis habere, quam ut Sanctitati tuae a Spiritu S. illuminatae et fidelium precibus adiutae placeat, immac. BMV. conceptionem inter dogmata fidei recensere, quibus nemo, salva fide catholica, refragari potest.* Id si consequuti tandem fuerint, nihil antiquius habebunt, quam ut SS. suam Matrem impensius deinceps colant, et Sanct. Vestram, cui gratias maximas referent, ferventius eiusdem protectioni commendent. — Romae. 17 Nov. 1854. *Ioannes Baptista Malou.*

928—933.

Responsa ex Hollandia ad Encyclicam Pii IX. 1849. 1850.

928. **Vic. Apost. Buscoducensis.** — Corde magno atque animo volenti piissimo Sanct. tuae desiderio obsecundantes preces publicas indiximus, easque a Clero et a fidelibus magno cum fervore ac svavi laetaque fiducia peractas fuisse attestari gestimus. *Quae quidem devotio etiamsi sola esset, sufficienti fors documento foret, Clerum nostrum populumque fidelem erga immac. V. conceptionem ingenti studio teneri, ardentique desiderio flagrare, ut eiusmodi res ab Apost. Sede solemni iudicio declaretur.* Sed, B. Pater, adsunt alia, queis mentem nostram Clerique et fidelium manifestam luceque clariorem faciamus, nominatim etiam illustr. Coadiutoris nostri Eppi Gerrensis. Huc spectat praeprimis, quod ex communi omnium

voto a S. Sede die 5 Febr. 1843 impetrare meruimus indultum Apostolicum, quo Beatissimam Matrem sub glorioso titulo ‚Reginae sine labe conceptae' in Litaniis Laur. invocare, atque in festis vel votivis Missis de Conc. BMV. in Praefatione depraedicare palam Clero tum seculari tum regulari concessum est. Quae quidem facultas eo hic videri potest maioris esse momenti, quod indulto Sanct. tuae de 22 Nov. 1846 Sabbatis non impeditis votivum Officium Conc. BV. permissum sit; peculiares horas canonicas de BV. Conc. quarum usum memorata Encyclica Sanctitas tua pro universa Ecclesia sancire dignata fuit, iam arcessendas curavimus; ipsae vero Litaniae Lauretanae ex piissima consvetudine a tempore pseudoreformationis inductae; atque in grati animi tesseram erga BMV. cuius potentissimo patrocinio Ordinarii huiusce Vicariatus acceptum referre non dubitarunt, quod fides catholica non obstante persecutione diuturna et gravi per universam fere dioecesim illaesa perseveraverit, post singulum sacrum a sacerdotibus, post singulum Rosarium a fidelibus recitantur, atque crebro in processionibus solemniter decantantur. Huc faciunt Scapularia, numismata miraculosa, picturae, libelli, novenae, confraternitas ss. Cordis, sodalitates iuvenum et puellarum, praxis universalis, singula die recitandi tria Ave Maria in honorem imm. conc. — Vides, B. Pater, *fideles nostros et Clerum una nobiscum ex toto corde et animo, ore, scripto, habitu, totaque vitae ratione et professione piae sententiae de imm. conc. ut veritati certissimae atque indubiae deditos esse ac devotos, nihilque adeo antiquius nobis aut sanctius obvenire posse, quam ut sacratissimo oraculo Sanct. tuae ac decreto fidei laudatissimus titulus*, quem Deo ipsi Iesu C. D. N. eiusque BMatri gloriosum, coelo iucundum, inferno atque Ecclesiae hostibus terrificum, servulis Mariae dulcissimum vocare non dubitamus, *quamprimum definiri ac promulgari valeat.* — Gestel S. Michaelis, 25 Iun. 1849.

---

929. **Vic. Apost. Bredanus.** — Ea est apud *fideles* nostrae dioecesis intima persvasio, *B Virginem sine labe esse*

conceptam, ut piam eorum fidem offenderet quisquis eiusdem cer titudinem vel minimum labefactare niteretur. Clero nostro ac nobis ipsis firmissime persvasum esse testificamur, inimicitias inter diabolum et electissimam Dei Matrem nullo non tempore extitisse, ac fieri non potuisse, ut ullo momento diabolus dominaretur ei, quae electa in Deigenitricem et coeli terraeque Reginam caput eius conterere debebat. Quare fervidis votis exoptamus, ut solemni decreto immaculata BV. conceptio brevi sanciatur. — Hoeven, 13 Iul. 1849. *I. Van-Hooyonk.*

---

230. **ProVic. Apost. Luxemburgensis.** — Equidem diutius forsan hac de re ad Sanct. Vestram literas mittere distuli, non quia haec res, de qua agitur, tam gravis tamque sancta minus mihi esset cordi, quod procul absit! sed quia verebar, ne ego, qui presbyter tantum sum et nonnisi ad tempus rebus ecclesiasticis in hac regione gerendis praesum, rem aliquam tractandam mihi praesumerem, quae ad terrae huius Vicarium Apost. proprio iure pertineret. Eoque magis expectandum mihi aliquamdiu putavi, quoniam ego cum toto Clero huius terrae universoque fideli populo vehementissimo desiderio sperabam, brevi ad nos reversurum esse dilectissimum Antistitem nostrum, cum iam longo abhinc tempore Sanct. Vestra reditum felicem ei fuerit gratulata. Verum ne diutius cunctando officio meo deesse viderer, de re, quam Sanct. Vestra proposuit, pauca mihi respondenda esse putavi. Ad Clerum huius regionis populumque fidelem quod attinet, *omnes ab immemoriali tempore unanimi consensu B Virginem tamquam immaculate conceptam venerantur*. Civitas enim nostra et tota regio Luxemburgica SS. Dei Matrem sub invocatione ‚Consolatricis afflictorum' publice privatimque incredibili fere devotione tamquam Patriae Patronam singularemque tutricem invocat, *nec ulli in mentem venit, quasi inquisitione adhuc indigeret, num Dei Mater, quae serpentis caput contrivit, ab omni originali labe ac culpa fuerit penitus praeservata.* Quare si immac. BMV. conceptio tamquam dogma a S. Sede Ap. fuerit declarata, nihil omnino fiet, nisi quod ea fides, quae iam nunc in cordi-

bus omnium viget, confirmetur. *Ad Apost. Vicarium vero Rev. D. Laurent quod attinet, persvasum habeat Sanct. Vestra, nihil ei tam iucundum, nihil tam exoptatum fore, quam imm. Conc. declarationem. Nam ego et omnes clerici et fideles sumus testes, quam pio semper affectu, qua devotione S. Dei Matrem veneretur, quam ardenti zelo immaculatum Divae Virginis honorem semper propugnaverit.* — Luxemburgi, 18 Iul. 1849. *N. Adames.*

---

931. **Vic. Apost. Bataviensis.** — Mense Septembris Encyclicis Vestris 2 Febr. datis, non minori affectus sum gaudio, reviviscens in toto orbe catholico, ut immac. BMV. conceptio solemni decerneretur iudicio, desiderium et Sanct. Vestrae in hoc ce tanti momenti negotio sollicitudinem ex iis agnoscens; quis enim, B. Pater, sese a sanctissimo totius Ecclesiae abstraheret desiderio? quis non gauderet de omnibus, quibus honor augetur Mariae? *Hilari* ergo *animo Sanct. Vestrae desiderio satisfacio, meamque opinionem esse declaro: B VMariam ab omni labe originalis peccati immunem conceptam fuisse,* caro enim Iesu, ut ait S. Augustinus, caro Mariae est, et quomodo illa, quae venit vincere diabolum, vel momentum ab eo fuisset victa? *Quapropter me cum omnibus meis in hacce vinea Domini cooperatoribus, eodem unanimiter animatis desiderio, cumque omnibus concreditis mihi fidelibus, qui ab a. 1818. de hocce instructi mysterio magnam pro eo habuerunt devotionem, ad Sanct. V. pedes prosterno, in unione SS. Patrum totiusque Ecclesiae solemne hocce iudicium humiliter efflagitantes,* ut tandem aliquando debitus atque ab initio Ecclesiae desideratus ille honor tribuatur Mariae. — Paramaribo, in festo Purif. BMV. 1850. *Iacobus.*

---

932. **Missionarii Hollandiae.** (Ad Internuntium.) Nos infrascripti Archipresbyteri — ea omnia, quae Excell. tua nobis die 26 Apr. literis una cum Encyclicis SS. Patris de immac. BMV. Conceptione agentibus insinuare voluit, nostris pastoribus respectivis significavimus: et magno gaudio per-

fundimur, cum Exc. tuae dicere et indubitanter asseverare possimus, *quod et noster Clerus et laici fideles maxima devotione erga SS. V. Mariam affecti sint, imo cultus eiusdem annuatim augetur et crescit in tota nostra Missione;* variae sodalitates, quae ubique in Ecclesiis vigent, et in dies multiplicantur in honorem huius SS. Matris D. N. I. C.; diversa exercitia spiritualia, quae publice cum filiali animo in plurimis Ecclesiis frequentantur, aeque ac communis populi consvetudo, qua private et precibus et exercitiis piis sese huic Matri commendant, hoc satis superque attestantur; confirmatur ex eo, quod festa omnia in honorem eiusdem et per frequentiam sacramentalis Confessionis et Communionis, et per cultui publico assistentiam laudabiliter celebrantur. Ita, ut intime convicti simus, quod et Clero et populo pergratissimum sit omne illud, quod ad honorem devotionisque augmentum erga SS. V. Mariam conferre poterit. *Ut autem quid de imm. conceptione huius Virginis specialiter dicamus, et Clerus et populus fidelis hanc fuisse immaculatam admittunt, et communiter tamquam certam ea veneratione et pio cultu venerantur fideles, ut mirarentur, si de iudicio solemni in novo audirent, quo nunc definiretur, quod S. V. Maria sine labe originali concepta sit; quam iam qua talem coluerunt semper.* — Ultraiecti, festo BMV. de Monte Carmelo 1849. Subscripti Archipresbyteri: Hollandiae, Ultraiecti, Gelriae, Sallandiae, Frisiae.

---

933. **Missionarius Tubantiae in eadem Hollandia.** (Ad Internuntium.) Quamvis iidem sensus mihi, Tubantino Clero atque fidelibus insint de immac. BV. conceptu, ac socii mei Archipresbyteri Districtuum Hollandiae literis ad D. V. datis patefecerunt: peculiaria tamen, in quibus versor, rerum adiuncta effecerunt, ut eorum epistolae nomen dare haud potuerim, quum haud valeam omnia ea referre, quae ipsi enunciarunt. Scribunt enim, omnia ea, quae Dignitas Vestra una cum Encyclicis SS. Patris insinuavit, se suis pastoribus respective significasse; verum — quum pia illa exercitia, quae in aliquibus Stationibus huius Missionis mense Maio peraguntur, in

Districtu Tubantino haud sint invecta, morem iis gerere non potui, quae Dignitas Vestra patefecerat, ac proinde nec ea testari, quae socii mei Archipresbyteri panderant. Muneris tamen mei esse duco, literas ad Dom. Vestram dare, quibus testor, mihi, Clero atque fidelibus huius districtus non alios esse sensus, ac socii mei praefati asseveravere. (Reliqua coincidunt cum priore epistola.) — In Vasse prope Almero, 6 Aug. 1849.

934—979.

Responsa Praesulum Hispaniae ad Encyclicam Pii IX de Immac. BMV. Conceptione a. 1849—1850.

1. *Pro decisione absoluta.*

934. **Eppus Cauriensis.** — Non erit operosum, nec difficile Vestro mandato satisfacere. Et inprimis quod ad nos attinet, *ab ipsa tenera infantia nihil iucundius habuimus in corde, quam B Virginem salutare purissimam et immaculatam eius Conceptionem* ab omni labe originali immunem plenis faucibus *acclamare*; nec mirum, ita enim a maioribus nostris accepimus et patres nostri annunciaverunt nobis; et quando ad studia theologica pervenimus, *mirum nobis visum fuit, eiusmodi mysterium adhuc indefinitum manere*; — deinde cum ad gradus academicos — in schola promoti fuimus, *gratissimum nobis fuit iureiurando nos obstringere ad propugnandum hoc tam pium tamque Divinae Maiestati decorum mysterium.* Nec difficile nobis videretur largam texere *Patrum* seriem, qui dum de BVMaria sermonem instituere, eam *immaculatam, ab omni labe immunem, divina gratia praeventam,* aliisque laudibus digne praedicarunt; hisce consonant illustrium Theologorum sententiae: verum supervacaneum nobis videtur in re tam perspicua diutius immorari, postquam hodiernis diebus tot praeclari viri virtute, doctrina et pietate insignes huiusmodi sententiam tantopere illustrarunt, inter quos eminet *Card. Lambruschinius.* Omisso igitur tali examine inpraesentiarum innecessario, nos ad piam *Cleri et populi* nostri sententiam animum convertimus: et *tanta est super huiusmodi mysterio*

eorum fides, pietas et devotio, *ut extraneum multis videbitur fortasse, quod res tanti momenti iudicio Ecclesiae et Sedis Apost. adhuc indefinita maneat.* Et quod ad nostrae dioecesis fideles, imo et ad *universum populum Hispanum* attinet, *tanta est eiusmodi persvasio, tam antiqua tamque imis praecordiis inhaerens, ut sola dubitationis umbra huius veritatis nefas videretur.* Semper apud Hispanos populos effloruit ferventissima piissimaque devotio erga SS. V. Mariam; numquam ab eius laudibus cesserunt, et quidquid in eius decus et honorem verteretur, intimo corde amplexi sunt; ideo certus sum, quod non sine gravissima offensa et maximo scandalo ab Hispanis fidelibus audiretur, SS. V. Mariam in peccato originali fuisse conceptam. Hinc ab antiquis diebus ad hodiernos usque familiaris salutatio eorum vulgari lingva fuit haec: ‚Ave Maria Purissima', et aliorum responsio sequens: ‚Sin peccado concebida;' parvuli et infantes pueri per vicos et plateas plenis faucibus ita semper acclamarunt eam, et quando in Ecclesiis preces fiebant, orationes finiebantur, et sermones ad populum habiti sunt, his ce verbis incipiebant, quod et nunc fit: ‚Sea entre todas las cosas bendito y alabado el SS. Sacramento del Altar, y la Purissima limpia Concepcion de Maria SS. concebida sin mancha de pecado original.' Non mirum proinde, si civitates, populi, Academiae, aliaeque Congregationes voto se obstrinxerunt ad tantum mysterium proclamandum ac propugnandum; non mirum, si in omnibus pene praecipuis Ecclesiis Confraternitates erectae sunt, imagines et altaria constituta ad eius cultum devote promovendum. His abs dubio permotus Catholicus Rex Carolus III SS. Virginem in mysterio immac. suae conceptionis Patronam praecipuam pro universis suis Hispaniae regnis a Sede Apost. acclamandam postulavit; ut ita factum est summo omnium plausu et gratulatione, et in eius festivitate officium proprium praeclarissimum recitandum per Hispanos a Clemente XIII concessum est. Ordinem etiam insignem et equestrem instituit idem Rex Catholicus sub patrocinio et advocatione immac. Conc. BVM. quo decorantur Reges, Principes, Eppi, et Magnates pro merito et virtute ad nutum eiusdem Catholicae Maiestatis. — Causium, 13 April. 1849. *Emmanuel Anselmus.*

---

935. **Eppus Cartaginensis.** Intima animi nostri reverentia et periucundo cordis solatio Vestras Literas perlegimus, Caietae postr. Cal. Febr. 1. a. datas. Ipsae enim apprime testificantur magnanimitatem vestram, dignumque vos exhibent Petri successorem Christique in terris Vicarium, qui quidem in cruce pendens, absque ulla sanitate a planta pedis usque ad verticem capitis, immemor sui, suorum vero optime memor, et caritate ardentissima erga omnes afficiebatur, et purissimam Virginem Mariam devotissimo affectu commendabat. Vos etiam, Pater Beatissime, Divini nostri Magistri et discipulus et Vicarius fidelissimus, in laborum, aerumnarum, calamitatum, persecutionumque cruce durissima pendetis; et vestri immemores, cunctorumque vestrorum filiorum diu noctuque reminiscentes, ea qua flagratis caritate ardentissima omnes amplectimini; sermones sive vestras literas dulcedine, solatio, et unctione Apostolica refertas ad omnes convertitis; omnibusque fidelibus in persona Catholicorum Antistitum non tantum purissimam Virginem Mariam coeli Reginam Ecclesiae universae protectricem commendatis, sed ut ipsius tenerrimus cultus magis in dies et ubique augeatur, negotium seculorum definiendum suscipitis; desiderium ardentissimum in catholico orbe reviviscens benigna aure auditis; catholicarum fidei veritatum numerum gloriosissime augere parati estis, et maximopere laboratis, ut Apostolico solemni iudicio decernatis, SS. Deigenitricem, omniumque nostrum Immaculatam Matrem, Reginam, et Dominam Mariam, sine labe originali fuisse conceptam. Benedictus Deus et Pater D. N. I. C. qui consolatur desideria vera, ardentia vota, sensum intimum christiani populi erga amantissimae, purissimae, et immaculatae matris Mariae Conceptum ab omni prorsus labe alienum. Consolatur in magnanimitate Petri, qui per Pium nostrum laborat, operatur, ut rem concludat, solemni iudicio decernat, Apostolici oraculi soliditate roboret, perficiat, definiat *veritatem ab ipsis seculis antiquitatis edoctam, pia traditione enutritam, a veteribus et recentioribus doctrina gravibus viris, etiam inclyti Praedicatorum Ordinis, sustentatam et vindicatam, et demum veritatem omnium Christifidelium cordibus, praesertim Hispanorum, profundissime inhaerentem, nempe : Beatissima semper Virgo,*

Deigenitrix Maria, absque labe originali concepta fuit. — Benedicimus quotidie Patrem misericordiarum in intimo sensu, amore, devotione, et tenerrimo affectu erga immac. Conc. semper Virginis et Deiparae Mariae, quo dilectissimus noster Clerus et populus nutritus et impletus est. Multae numero Ecclesiae, altaria et oratoria imm. V. M. Conceptioni dicata existunt in hac valde dilatata nostra dioecesi; multae Confraternitates et Congregationes illustrium simul et populi familiarum; vix ulla invenietur domus et familia sive pauper sive dives in hoc 600 millium animarum et amplius Eppatu nostro, in qua aut imago vel pictura, vel numisma sub titulo immac. conc. V. Mariae non inveniatur, veneretur et amplectatur. *Recentissima sodalitas ad fundendas preces pro citissima et desideratissima imm. V. M. Conceptionis dogmatica definitione nostris Clerique nostri auspiciis mirifice et perrapide propagata est, magna fidelis populi alacritate.* En, Pater Sanctissime, Cartaginensis dioecesis in Hispania Cleri et populi affectum, devotionem, sensum, fervorem, fidem, et desiderium erga Imm. V. M. Conceptionem eiusque Apostolicam dogmaticam definitionem! Vos, Pater amabilissime, cuius supremae auctoritati et sollicitudini in persona Petri agnos et oves pascere et fratres confirmare datum est, nostrae pusillitatis sensus et humilia exposcitis vota. *In Eppatus nostri exordio intimae cordis nostri motioni obtemperantes, iam datis Sanct. Vestrae literis 8 Kal. Maii ultimi significavimus, et quid de immaculato Virginis conceptu sentiremus, et quid exoptaremus. Fidem nostram circa illum indicavimus, convenientiam definitionis dogmaticae exposuimus, et supremum vestrum Apostolicum oraculum humiliter supplicavimus. Eadem nunc nostra fides et convictio est,* tam de convenientia definitionis, quam de ipsius flagrantissimo desiderio in nostro Clero et populo, in tota Hispania, et etiam in universa Ecclesia, prout ex vestris ipsis literis libentissime colligimus. Calamitatum remedia, afflictionum, vulnerum acerborumque malorum, quibus ipsa Civitas S. persona Sanct. Vestrae, et universa Ecclesia iam diu opprimitur, dilaceratur et percutitur, non ab impotentia politicorum hominum, non ab impotentibus humanae prudentiae regulis, sed in specialissimo praesidio Immaculatae V. Mariae quaerenda

sunt; huiusmodi remedia debent esse maxima, prout quam maximae sunt calamitates, quibus undique circumdamur; et parvum sicut et maximum remedium nobis per Immac. V. elargiendum est ex voluntate eius, qui exaltavit illam super choros Angelorum et qui voluit totum nos habere per Mariam. Indigemus potentissimis Dei auxiliis ad tot tantaque mala medenda, quis non videt? Si per Mariam ex voluntate Omnipotentis Dei ad nos ventura sunt: ad Mariam confugiamus, ei gloriam demus, sed admirabili et inusitato modo. Et quisnam modus? definiendo solemni iudicio oraculi Apostolici: conceptum BMariae ab omni originali labe immaculatum prorsus et alienum. — Haec est fiducia mea; Pater Beatissime, omnia bona Ecclesiae Dei ventura sunt per definitionem dogmaticam imm. Conceptus Mariae Genitricis Dei summi boni. Rogo igitur auctoritatem vestram, ut quam citius definire dignetur. Instant desideria populorum; veterum recentiorumque eruditorum hominum scripta, qui adversantia argumenta funditus everterunt; christianorum praeit fides populorum; Catholicorum Antistitum accedunt vota, et supplicationes: quid ergo morari potest hanc solemnem definitionem? quid potest morari, ut opere compleatur hoc negotium seculorum? Quae cum ita se habeant, peramabilibus vestris literis humiliter duximus respondendum: 1. *Eppus Cartaginensis in Hispania optime sentit de Conceptu immac. V. Mariae ab omni originali labe prorsus alieno, et iudicat posse procedi ad eius dogmaticam definitionem absque timore scissionum.* 2. *Eppus Cartaginensis cum suis Clero et populo humillime precatur et rogat Sanct. V. ut quamprimum oraculi Apostolici solemni iudicio hoc negotium decernere dignetur* ad maiorem Dei gloriam, specialissimum honorem Immac. Virginis, Ecclesiae utilitatem, et fidelium solatium. — Murciae, Idibus Apr. 1849. *Marianus.*

---

936. **Eppus Legionensis.** — Cum in hoc regno catholico SS. V. Maria in suae purissimae et immac. Conceptionis mysterio tamquam Patrona universalis ex Apost. Sedis concessione habeatur ac veneretur: cum de eodem ss. mysterio officium proprium ac Missa ex eiusdem Sedis dispensatione

recitentur, necnon in BV. Litania addere tum publice tum privatim ‚Mater immaculata ora pro nobis' sit concessum; cumque ipsiusmet Virginis Matris potentissima ope et protectione ab innumeris errorum haeresumque monstris ac perturbationibus hoc regnum liberatum fuisse piissime credatur: facile dignoscere licebit, *quam ferventissima devotione Clerus et populus Legionensis erga immaculatam suae Patronae Conceptionem sit animatus, quoque pientissimo et ardentissimo flagret desiderio, ut memoratum iudicium* (definitio dogm.) *proferatur*. Quod ad me attinet, *semper toto corde credidi et aperto ore confessus sum, SS. Deigenitricem et meam amantissimam Matrem V. Mariam, totam pulchram ac sine ulla macula semper fuisse, atque in ipsissimo suae animationis momento, ut decebat Virginem illam, in qua Verbum caro factum est, ab omni prorsus vel minima peccati originalis labe immunem, liberam atque praeservatam fuisse. Hanc doctrinam a SS. Patribus accepi, hanc semper professus sum, hanc totis viribus defendere et sustinere interposita iuramenti religione non semel spopondi, hanc tandem doctrinam, ut tamquam fidei catholicae dogma firmissimum decernatur, flagrantissimo desiderio concupisco atque exopto*. Si aliqua opportuna et accomoda ad hunc SS. Virginis honorem in terris decernendum desideranda foret occasio, nulla profecto ea, in qua nunc versamur, opportunior atque accomodatior inveniri poterit. In tanta enim errorum, calamitatum ac perturbationum, quibus undique premimur et quassati sumus, ingentissima mole tota spes nostra reponenda est in illa potentissima Virgine, quae draconem contrivit, cui datum est cunctas haereses interimere, et ad cuius nutum coelorum thesauri dispensantur. Age ergo, B. Pater, et cuncto populo christiano magnam summopere laetitiam concede, SS. V. Mariae Conceptionem immaculatam tamquam Ecclesiae Cath. doctrinam infallibili oraculo solemniter declarando ac definiendo; potens est enim Deus, ut ad BV. efficacissimam intercessionem cunctis mundum purget erroribus, populo christiano pacem et unitatem largiri dignetur, atque Vestram Sanctitatem conservet, vivificet, et incolumem reddat. — Legionis, 20 April. 1849. *Ioachim*.

---

937. **Eppus Palentinus.** — Quod ad nostri Cleri populique *devotionem erga immac. V. conceptionem, et desiderium* — attinet, non possumus non affirmare, *et illam esse universalem ac fervidissimam, et hoc esse in omnibus dioecesanis nostris flagrantissimum.* Est enim SS. Virgo Maria sub hoc immac. Conc. titulo Hispaniarum Patrona. *Sumus Hispani, inter quos haec devotio est proverbialis, est perpetua, est veluti innata,* ut in precibus pro Patronatus approbatione ad Clementem XIII Rex noster Carolus III a generalibus Comitiis excitatus testabatur; *et ab Hispanis theologis sapientissimis, et Eppis et Regibus* tribus abhinc seculis, a tempore videlicet C. Tridentini *haec fidei definitio nedum exoptata, sed et scriptis editis et precibus enixis ad Apost. Sedem directis promota et expostulata.* Demum *nostra super hac re sententia est affirmativa, nimirum verum esse, SS. Virginem Mariam sine labe originalis peccati fuisse conceptam, nostrumque desiderium, ut a Vestra Beatitudine haec veritas fidei dogma declaretur, et universae Ecclesiae credenda proponatur, est ardentissimum.* — Palentiae, 20 April. 1849. *Carolus.*

---

938. **Eppus Terulensis.** Obsequendo iis, quae Sanctitas Tua in suis Literis Encyclicis diei secundae Februarii anni currentis, mediante Reverendissimo Sanctitatis Tuae per haec regna Nuntio ad me directis, praecipit, manifestare debeo: *in tota hac Dioecesi Terulensi, in regno Aragoniae sita, magnam esse devotionem erga Conceptionem Mariae Sanctissimae, omnesque fideles, Clero non excepto, iudicare, Dominam hanc sine macula peccati originalis esse conceptam.* Ego ipse multo abhinc tempore eidem sententiae totus adhaereo, innixus illis Sacrae Scripturae locis Gen. III. ubi legitur: Protoparentem nostrum praeceptum sibi a Deo impositum transgressum esse, quumque a Domino de crimine argueretur, culpam in uxorem suam reiecisse, hanc rursum serpentem incusasse, cui Dominus ait: *Inimicitias ponam inter te* (serpentem) *et mulierem, quae conteret caput tuum;* mulier, quae caput serpentis conterere debuit, non erat Eva, si enim haec fuisset, Dominus non dixisset: *Conteret,* sed conterit ca-

put tuum, prout Sancti Cyprianus et Augustinus advertunt. Diabolus conterit caput nostrum, quia in capite et principio vitae nostrae, id est in primo instanti conceptionis nostrae nos dominio suo per peccatum originale subiugat, verum Maria Sanctissima ipsa contrivit caput serpentis, quia sine labe concepta diabolum superavit: *Tale caput,* inquit S. Augustinus, *Maria contrivit, quia ab omni macula immunis fuit.* Lib. XV. De Genesi. Dicitur in Canticis Canticorum cap. IV: *Tota pulchra es, et macula non est in te;* hoc non potest intelligi de Ecclesia, in qua multi maculati reperiuntur, sed intelligi debet de membro eius principalissimo, quod est Maria Sanctissima, ut observat S. Iacobus episcopus Christopolitanus, et Raymundus Iordanus, vulgo Idiota, sapientissimus: *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, et macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec fuit, nec erit.* S. Gabriel Archangelus annuncians Mariae Sanctissimae adorabile mysterium Incarnationis dixit ad eam: *Spiritus Sanctus superveniet in te;* et cur non dicit: veniet, sed: *Superveniet?* quia scilicet iam venit in eam Spiritus Sanctus praeservans illam a peccato originali, quemadmodum interpretatur Liranus: hoc ego existimo significavit nobis Pater aeternus accipiendo Dominam hanc in Filiam, Filius accipiendo eam in Matrem, et Spiritus Sanctus accipiendo eam in Sponsam; etenim si quemadmodum in Proverbiis legimus: *Gloria Patrum sunt filii filiorum,* quam gloriam habuisset Christus Iesus, si Mater eius fuisset aliquo tempore mancipium Satanae? Incredibile est Filium de Maria Sanctissima nasci, et suam carnem sumere voluisse, si illa peccato aliquo originali inquinata fuisset. Idem dici potest de Spiritu Sancto, nam si Abraham non est passus filium suum accipere sibi sponsam e medio malorum, *Noli accipere coniugem de genere Chanaan,* quis credere poterit Spiritum Sanctum, Auctorem totius Sanctitatis et Puritatis accepturum sibi fuisse in Sponsam filiam in peccato originali conceptam? Ego equidem existimo Deum, qui non vult habitare per suam gratiam in anima, in qua habitat peccatum, qui cor deserit quamprimum in illud intrat peccatum, qui quemadmodum Deus ita et Sanctus est, non debuisse haurire spiraculum vitae humanae e fonte aquarum culpa inquinatarum; certe sang-

vis, qui per venas Dei Sanctitatis decurrere debet, non esset ex integro purus, si aliquando fuisset immundus; argumentum hoc tam est evidens ac solidum, ut S. Augustinus, quamvis maxima cura contra Pelagianos defenderit peccatum originale in omnibus hominibus propagatum, tamen non dubitaverit opinionem suam in favorem Mariae Sanctissimae exprimere dicendo, se propter honorem Iesu Christi Dominam hanc communi maledicto nequaquam complecti velle: *Excepta Virgine Maria, de qua propter honorem Iesu Christi nullam prorsus habere volo quaestionem, dum de peccato originali agitur*; atque hoc, ut videtur, argumento adducti sunt Summi Pontifices ac S. Concilium Tridentinum, ut disputationes inutiles prohiberent, quae pacem et silentium cultus religiosi, quo fideles immaculatam Sanctissimae Virginis conceptionem prosequebantur, perturbabant. — Terulae in regno Aragoniae, 21 April. 1849.

---

939. AEppus Burgensis. Quae mihi per Vestrum in hoc Regno Apost. Nuntium missae fuerunt V. B. literae datae Caietae sub die 2 Febr. c. a. laetificaverunt animam meam. — Eas iterum iterumque legendo percurrens non potui quin exclamarem: Benedictus Deus et Pater totius consolationis, quoniam ecce appropinquat dies, qua mysterium immac. Conc. V. Deiparae tamquam fidei dogma populo christiano propositum, ab universo Catholicorum coetu et puro corde credetur et ore pleno confitebitur. In hac misera colluctatione adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiae in coelestibus, tota fidelium spes in eo posita erat, si digni efficerentur, ut eorum preces amantissima Dei Mater ante Filii sui thronum offerret, ipsiusque misericordiam exorando divinae iracundiae flagella a famulis, quos pretioso sangvine redemerat, averteret. Hinc factum est, ut quo magis humani generis hostis in huius Virginis, quae cunctas haereses sola interemit in universo mundo, cultum saevire ausus fuit, eo magis et Antistites et Clerus et populus christianus eam a communi mortalium labe immunem venerabantur, atque ne ipsius immaculata Conceptio ab ullo sine haeresis nota in du-

biam revocari posset, totis viribus intendebant. Hinc quamplurium iteratae petitiones, hinc fervida cunctorum fere fidelium vota, ut praecellentissima haec Virginis Deiparae praerogativa tamquam Cath. Ecclesiae doctrina a Sede Ap. tandem aliquando definiretur. Innumeros S. Scripturae textus, Sanctorum et Graecae et Latinae Ecclesiae Patrum auctoritates, sapientissimorum Theologorum, eorum etiam qui in aliis theologiae quaestionibus scholarum more tractandis in diversas abeunt sententias, concordem unanimemque de imm. Deigenitricis Conc. doctrinam ante V. B. oculos exponere et perinutile, et valde importunum duco, cum quidquid super hac quaestione dici possit, semel atque iterum ad Apost. Sedis iudicium sit delatum. Aliunde *non sine causae cognitione huius mysterii Missam et Officium Sedes Apost. instituit,* innumerisque gratiis, privilegiis, indulgentiis, exemtionibusque pias devotasque imm. Conceptionis in universo orbe erectas Confraternitates ditavit. Accedit eo quod non sine firmissimis inexpugnabilibusque argumentis qui in nostris Universitatibus doctoris laurea insigniebamur, pro immaculatae conceptionis mysterii propugnatione sacramento nos obstringebamus. Prae ceteris causis, quae aliarum regionum Antistitibus communes sunt, quidam adsunt tituli, qui me ad meam mentem V. B. aperiendam speciatim impellunt. *Hispanus, inter regalis Caroli III Ordinis membra annumeratus, Ordinis Seraphici filius,* nil magis in votis habere debeo, quam ut mysterium, quod tot titulis totisque viribus in diversis vitae meae conditionibus propugnavi, a SSmo Divini V. Mariae Filii in terris Vicario, a legitimo B. Petri App. Principis successore, ab infallibili christianae fidei Doctore atque Magistro veluti catholicae Ecclesiae doctrinam definiri agnoscam. *Hanc definitionem una cum universo meae dioeceseos Clero fideliumque coetu toto corde exopto, hanc summa confidentia expecto, hanc a V. B. suppliciter efflagito.* Nec dubitare licet, hoc esse totius gentis Hispanae, imo et totius populi christiani per universum qua late patet orbem diffusi votum. O fortunata dies, cum Sedis Ap. oraculum audietur: credere oportet SS. Deigenitricem ab originali labe, qua totum humanum genus ob peccatum Adae foedatum fuit, immunem fuisse! Haec erit dies,

quam fecit Dominus: exultabimus et laetabimur in ea. Ecce nunc tempus acceptabile, B. Pater, cum omnia errorum haeresumque monstra, quae seculis anteactis unum post aliud sacram tunicam dilacerare tentarunt, convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius, Deigenitricis gloriam extollere, eius puritatem in summo fidei culmine stabilire ad serpentinae impietatis caput conterendum erit sane peropportunum. Hac Sedis Ap. declaratione in fidelium cordibus pietas excitabitur et devotio augebitur et fides animabitur, et in fide absque haesitatione postulabitur, et Deipara Virgo nostram adiuvans infirmitatem pro nobis Filium suum gemitibus inenarrabilibus postulabit. Hinc sperare oportet, ut cum dies advenerit, qua ante splendidissimum totius puritatis speculum discussa opinionum caligine obversabimur, cum ante Mariae aram clamabimus: immaculata Virgo sine labe concepta, cuius innocentia inclyta cunctas laetificat devotas animas, intercede pro nobis quia perimus: Filius eius Rex increpabit ventum et tempestatem maris, et cessabit et fiet et satanas, ligabitur, in abyssum mittetur, claudetur, ut non seducat amplius gentes. Tunc fideles omnes per intemeratae Virginis intercessionem misericordiam consecuti inenarrabili laetitia exultantes, gloriosissimum Iesu Christi Ecclesiae de impietate triumphum concelebrabunt. Matriti, 30 April. 1849.
Fr. Cyrillus.

---

940. **Eppus Vicensis.** Ubiprimum in Encyclica a B. V. mihi per Vestrum hoc in Hispaniae regno Ap. Nuntium transmissa, Eandem eo tendere perlegi, ut ab Apost. Sede solemni iudicio decerneretur, SS. Deigenitricem Mariam absque labe originali fuisse conceptam: oculos in coelum non attollere non potui, et cum Propheta laetitia plenus exclamare: Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi. Et merito. Qui enim poteram in Domino non gaudere animadvertendo, iamiam opere complendam spem, quae vel a tenerrimis annis in corde meo altas coepit agere radices, quae tantum abest ut temporis tractu marcuerint vel arefactae sint, ut potius in dies

adoleverint, totumque me penitus occuparint? Ex illo tempore certissime in animum induxi, Deum, qui in ipsissimae aeternitatis abysso electionis sibi vas praeparabat, intra quod longo seculorum tractu divinitatis eius plenitudini erat descendendum, ex eius Omnipotentiae thesauris immensam gratiarum plenitudinem esse depromturum, creaturam exornaturum, quae tenerrima sui amoris suarumque deliciarum meta erat evasura, creaturam inquam toties a se tenerrimo Matris nomine honorandam. Meae quidem menti se sistit Omnipotens, qui communem, si ita loqui fas est, rerum ceterarum obliviscens rationem, sibi complacet in exornando suam intra mentem creaturarum pulcherrimam, quae seculorum decursu suis ex manibus erat preditura. Et merito, B. Pater. Fasne erit nobis, res nostras in animum revocando lassas, indicare, Deum, quo tempore ab aeternitate super filios Adae figeba oculos, universalique plagatos cernens lepra filios irae, atque sui honoris scopum intuebatur, victimam etiam universalsi contagii sibi sistere creaturam, cuius prototypum sua in mente alte retinebat, quam suam uti Matrem incipiebat venerari, et cui iuxta cordis sui efformatae mensuram iam tenerrime afficiebatur? Fasne erit nobis iudicare, Deum, quo tempore homines nocentes et inimicos contemplabatur suos, amantissimam etiam eius Matrem cum reliquis naufragam intueri? et quo tempore totum qua late patet in humanum genus exundantem irrumpere infensum observabat, saevissimoque tyrannidis iugo premere, suam etiam Matrem sub eius probrosis nexibus gementem cernere? Nullo pacto: humana mens credere reformidat, divinam auroram, quae imperium lucis mundo erat editura, tenebrarumque principem suis proculcatura pedibus, vel uno temporis momento infernalis tyrannicae dominationis victimam extitisse. — Huiuscemodi me non minus simplicia quam solida, ut indico, momenta impulere ad exposcendum ex Summo Pontifice rec. mem. Gregorio XVI singularissimam hanc gratiam, quod in Praefatione Missae de BV. Conceptione post verba ‚Et te in Conceptione' hac in dioecesi verbum ‚Immaculata' superadderetur. Eisdem ex rationibus, et ex privilegio, me expostulante, concesso, et quin necessarium esse indicem in medium

proferre testimonia tum ex SS. Scripturis, et ex SS. Patribus, tum ex S. Conciliis, praesertim ex Tridentino depromta, Vestrae Beatitudini concludere erit facillimum, qualia mea sint vota, quidque reipsa sentiam circa immac. V. Conceptionem, quid exoptem, et *quam ardentissimo aestuem desiderio, ut tandem aliquando dies elucescat, quo a clementissimo luminum Patre Divini sui Spiritus luce perfusa Beatitudo Vestra eiusmodi rem uti fidei catholicae dogma dignetur decernere.* — Maximopere congaudeo mihi, quod possim incunctanter affirmare, *et Clerum et fideles eadem qua nos erga imm. V. Conceptionem devotione esse animatos.* Inconcussum istius rei argumentum exhibuere tribus diebus, quibus iuxta BV. placita in hac Ecclesia Cathedrali peractae sunt preces publicae, quibus populus innumerus — confluxit. Memoratae preces continuantur in reliquis huiusce Civitatis Ecclesiis, totiusque dioecesis innexae ita inter se haerebunt continuatione successiva, ut solvi nunquam posse credamus, donec eis finem imponat, quam ardentissimis expectamus votis, dogmatica Bulla a V. B. expedienda, solemni iudicio et ut fidei articulum decernens, SS. Deigenitricem absque originali labe fuisse conceptam. — Vici, 9 Maii 1849. *Lucianus.*

---

941. Eppus Ilerdensis. — Non mirum, B. Pater, si *in hoc Mariano regno concors fere omnium* appareat *sententia*, quia veritatem immac. Conc. BVM. primo cum lacte bibimus, ac tertio quoque verbo usurpamus. *Iamdiu* enim *apud nostrates pia invaluit sacris in concionibus consvetudo, ut prius SS. Virgo salutetur sine labe concepta.* Etiam in Universitatibus in graduum collatione immac. Deiparae conceptionem iurisiurandi interposita religione laureandi defendere, praedicare, ac docere vovebant. Uno verbo *in ipsomet ad quamlibet domum ingressu dulcissimum* ‚Ave Maria sine labe concepta‘ *piorum exercet lingvas, auresque recreat.* Quod ad me attinet, practicam catholicorum Hispanorum fidem cernens, maiorum nostrorum scripta, gesta, piaque vota perpendens, atque cum iis, quae sequiori aevo fere ubique terrarum invaluere, confe-

reas, *existimo rem hanc tanti momenti ad maturitatem iamiam pervenisse.* Deinde si hodiernam Ecclesiae crisim indubie gravissimam animo revolvamus christiano, iure merito fatendum erit, parum aut nihil humana remedia profutura, nisi BVMaria, quae nostra est vera salus, medicas manus admoveat; admovebitque piissima, si in toto orbe catholico immaculatam eius Conceptionem praedicando vota cum lacrymis personent atque effundantur. — Ilerdae, 10 Maii 1849. *Iacobus Dominicus.*

---

942. **Eppus Almeriensis.** Pia attentione filialique submissione Encyclicam Vestrae Sanctitatis — simulatque perlegi, spiritu admirationis gaudioque purissimo spirituali ratione obiecti illam producentis affectum me fuisse fateor: et tamquam Austri Regina post Salomonis doctrinas, nullus alius vigor remansit, quam ad oraculum benedicendum, devoteque inhiandam integram rei, quae proculdubio in Dei honorem cedit et gloriam SS. Deiparae, solatiumque Ecclesiae S. in tantae afflictionis tempore, solutionem. Quid enim aliud Eppo Hispano, antiquissimam Indaletii sedem occupanti contingere poterat? Veterem pariter fidem Hispanensis Ecclesiae Vestra iuvat atque confirmat Beatitudo, felicem faustumque diem quasi per caliginem inspicere sinit, qua veritas valde solatrix illi solemnem canonicam sanctionem sigillumque infallibilitatis accipiat. Equidem Beat. Pater, originalis immunitas Beatissimae et immaculatae V.Mariae, sub hac sanctissima notione Hispaniarum Patronae nostraeque piissimae Matris, — a qua seductoris serpentis caput tritum, — advocatae Evae, gratia plenae, atque adeo impletae, ut cuncti partim illa fruantur, solaque Domina gratiarum plenitudinem obtineat, quare prima est redemta, — intemerata, ab omni malo liberata, tota splendescens, in luce immersa, tota pulchra, tota absque macula, ut in omnibus locis atque semper Ecclesia Catholica illi acclamat, cum in Conciliis Generalibus, tum a SS. Patrum doctrina, qui illam figuratam exhibitamque viderunt in arcae incolumitate, in rubi incombustibilitate, in testa-

menti arca intus forisque purissimo auro tecta, in Iudith ovante et inter pergendum ad Holofernis castra incolumi, in Esther privilegiata singulariterque a lege capitis generali exiioque propter specialem Regis gratiam exclusa; sacrificio leprosi, quo passer iugulabatur, cuius sangvine comes aspergebatur et manumittebatur. — *Ecclesia Deigenitrici aptans illud* ‚faciamus adiutorium simile sibi' *in divino Conceptionis officio, nos de eo certiores reddit, confirmatque illas antiquissimas traditiones* ‚Redemtoris comes, corredemtrix, salutis aeternae adiutrix.' Si in summo discrimine Incarnatio credita, expectata, ab Angelisque amata, eos in sua dignitate principatuque tenuit; si in praevisione divinaque intuitione gratia Dei illos roboravit et praeservavit: quid in Redemtoris parente, divinaeque maternitatis subiecto non faceret? Esset parca benefactrix manus Dei suam erga Matrem, postquam cum Angelis adeo larga ostenderetur? Semel si rebellis fuisset, idonea Angelorum Regina non esset; si peccasset, nec Mater Dei conveniens, et opportuna extaret iuxta D. Thomae phrasin. Haec sunt, B. Pater, universalia iudicia, quae Catholica Ecclesia ab initio consecravit notis characteristicis et propriis ipsius Redemtoris filii eius Dominam vocans. In Antiphona ‚Salve Regina' vitam, dulcedinem, et spem nostram appellat; et animadvertendum equidem, quod cum ab Adamo primo parente veniat ad nos originale contagium, non clientelam praesidiumve nisi tamquam filii Evae in eadem oratione Dominae nostrae satagimus: cum inter virginem exitii universalis et inter Virginem universalis reparationis antithesis mysteriosa in eo adumbretur, creationis inter Virginem et Virginem redemtionis,—Virgo praevaricatrix in iustitia originali condita,'ut e manibus Dei quantum ad carnem et spiritum seu mentem Virgo exiret, iisque Virgo Corredemtrix dotibus orbata? Hoc absque diminutione excelsae dexterae, et quin et inferni triumphus supra omnes triumphos proveniat, admitti non potest. Eva ad peccatum infernumque nos perduxit: Ecclesia gratiam et gloriam a Maria reposcit, tamquam rem eius nutui arbitrioque supremo subiectam: ‚ostende nobis Iesum fructum benedictum ventris tui,' et ‚nobis post hoc exilium ostende.' Philippus nihil magis minusve ab ipso Iesu Filio Dei petivit,

cum inquit: ostende nobis Patrem; quandoquidem Salvator subiungit, ad beatitudinem impetrandam idem est Filium ac Patrem videre, sunt etenim quid unum: cum Angelico Magistro exclamo: O sublimitas, o fere infinita dignitas Virginis Matris Dei! Nihil interest inter Filium et Matrem, nisi quod haec per gratiam est, quod ille per naturam; quod ille est solus unusque Redemtor, et haec redemtionis primitiae, prima redemta, et in modo praeservativo unica et singularis redemta. — Si primitiae Mariae, mulieris redemtionis, — tamquam omnium filiorum Adam essent: quid significarent — illa nimis emphatica Dei verba ad daemonum principem: ‚Inimicitias ponam etc.' ? Bella equidem inimicitia, quae per foedus, foedusque iniquitatis et defectionis inciperet! Ecclesia quoad fidem et mores Vulgatae auctoritatem conferens, sancivit atque passa est duplicem genuinam intelligentiam, quam offerunt haec Geneseos verba, collisionem capitis tartarei draconis largiens tam mulieri quam Filio mulieris; et in hoc ipso perpetua inimicitia in trituratione capitis elati Leviathan iterum fit correlativa. Maria numquam fuit draconis praeda, si caput illius contritum ab ipsa; et scriptum est: ipsa conteret caput tuum. *Si Ecclesia orat, ut credit*: legem credendi statuit lex supplicandi; *illa nos docet, illa praeservationem adeo specialem tamquam medium opportunissimum credit ad dignam Matrem filio Dei parandam, cum ait:* ‚Deus, qui per immac. V. conceptionem dignum filio tuo habitaculum praeparasti.' *Modumque istius praeservationis credit illa, illa docet, cum subiungit:* ‚Ut qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa.' *Quantitatem ipsius praeservationis qualitatemque tradit, creditque illa, cum dicit:* ‚eam ab omni labe praeservasti.' — His animadversis, SS. Pater, si adeo plenam omnimodamque auctoritatem Ecclesia possidet, ut ordinationes, mandata, eiusque consvetudo universalis in cunctis observanda sit; et si quaevis Doctorum Catholicorum doctrina ullam habet auctoritatem: est, quia ab Ecclesia illam mutuatur, fonte iugi et inexhausto infallibilitatis; ex quo, ut Angelicus Magister cunctis cum theologis docet, sequitur, morem doctrinamque Ecclesiae omnibus in rebus plus auctoritatis habere, quam omnes SS. Doctores quantumvis sanctiores sapientiores vene-

rabilioresque fuerint. *Si Conceptionem immaculatam Mariae Ecclesia celebrat, et Ecclesia nihil quod sanctum non sit conficere valet: sancta igitur, immaculata est purissima illa Conceptio,* Deique deliciarum obiectum, siquidem est obiectum cultus publicaeque venerationis Ecclesiae Catholicae. Quid superest, B. Pater, nisi iungere manus, caputque demittere ad auscultandam proprietatis solemnem et infallibilem sententiam, adeo concupitam circa nostram vetustissimam possessionem, atque ita, ut Christianismi cunabulis mergatur? Obtinere idcirco post D. N. I. C. eminentem attinentemque locum digna est Mater Dei, quia Domina excelsior omni creatura, formosior candidiorque prae omni, quod Deus non sit. Purissimo hoc in sensu, mentemque rapiente visui et considerationi Maiorum V. S. apparuit, suoque candore et originali pulchritudine rapuit, sicut Constitutiones Pontificiaque diplomata testantur, quibus festivum universalemque cultum celebrare sancitum fuit, thesaurum Ecclesiae aperiendo, gratias indulgentiasque largiendo, in obsequio ipsius honoris originalis Ordines Religiosos, Confraternitates, coetusque pios probando, officium divinum proprium et peculiare concedendo, Praefationem ampliando phrasi ‚Et te in immac. conceptione', in Litania Hispana voces ‚Mater immaculata,' et in Gallicana ‚Regina sine labe concepta' adiici indulgendo; nihilominus nemo eam ad extrinsecam dignitatem, qua intrinsece gaudet, sustulit, ad fidei cath. dogma. Quamdiu, quousque iustitia originalis, Deiparae pulchritudo, indefinita manebit? Divus Ambrosius ‚animam nostram' Mariam appellabat. Una eademque anima nobiscum propter vinculum amoris a Gersone cognominabatur. Quousque tandem, SS. Pater,(ad Iesu Christi Vicarium multitudo catholica clamabit) animam nostram tollis? Equidem in sua Conceptione est immaculata, quia Spiritus S. eam in universali maledictione comprehendere non intendit, ut in decreto Tridentino apparet; et si reapse, non intendit, subauditur ibi non esse. — Si immaculata est et incorrupta, dic nobis palam. Clangat oraculum veritatis, vocem solatricem infallibilemque Petri accipiamus, tanto plus necessariam, quanto religiosus timor, pia sollicitudo, devota anxietas omnium tenuit corda fidelium ob Matris purissimae gloriam, suae veterrimae piae-

que fidei solatium. Solvamus corde metum; loquimur idem cuncti; lites ac controversiae sunt finitae; nam si stetere, fuit non minus proprium praevisionis ad veritatis illustrationem exactamque consiliorum inscrutabilium divinae providentiae adimpletionem. De Esther, aperta Mariae figura in hoc suae Conceptionis immaculatae exceptionali casu, Spiritus S. dixerat, maxime pulchram, venustateque incredibili esse. Alio loco perpendens pignora sublimia Sponsae, lineamentaque elegantia faciei, unum sibi servavit, quod latens appellavit ‚absque eo quod intrinsecus latet.' — Quid incredibilis pulchritudo indicat, nisi puritatem originalem, sublimem egregiamque praerogativam Deigenitricis tantum humanae comprehensioni praestare, ut eximiis ingeniis virisque insignibus incredibilis videretur? Haec igitur mentis suspensio praevisa — super omnia iuvit ad infallibilis illius praerogativae dilucidationem, quam Spiritus S. delitescentem fideique absonam nominabat, in tempus opportunum servans suae Ecclesiae revelare hunc blandum amorem, quem sponsae carissimae concesserat. Eia ergo, SS. Pater, Pastor universalis, *impleta sunt tempora, hora opportuna venit: originalem puritatem Matris Dei inter fidei dogmata numerate*, ut super tellurem vestrum nomen a filio suo celebre fiat, vestramque piissimam devotionem immortali gloria redimiat. Porrigat manum Vestra Sanctitas, detegat velum, et illud magnum et non vulgare signum in Apocalypsi descriptum in militantis Ecclesiae coelo sinat apparere. Verum enimvero hucusque oculo fidei divinam maternitatem, perpetuam virginitatem, actualem impeccabilitatem vidimus; mulierem sole obrutam perspicimus (immersam luci, ait Bernardus); integram tamen optamus videre mulierem, qualem dilectus pingit discipulus; neque expectavimus eam, nisi exeat ex augusto vestro ore, ex ore Petri dogmatica definitio originalis ipsius immunitatis. — Per declarationem solemnem puritatis eius originalis lunam sub pedibus eius ponitote, precamur. Non multa petimus: flagitamus quidem, quod S. Abbas de Clara Valle credebat atque tenebat, cum aiebat: ‚Nihil in ea tenebrosum, vel subobscurum saltem vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari.' Poscimus, ut in canone fidei exarentur illa D. Hieronymi verba:

‚Quidquid in ea gestum est, totum puritas et simplicitas, totum veritas et gratia fuit, totum misericordia et iustitia; immaculata dicitur, quia in nullo corrupta fuit; quam si diligentius inspicias, nihil virtutis, nihil speciositatis, nihil est candoris et gloriae, quod ex ea non resplendeat.' Haec Eppi Almeriensis, eius devotissimi Cleri piissimique gregis sunt vota, concludentes tam humiliter quam ferventer Vestram Sanctitatem orare, ut diem solatii iubilique Cath. Ecclesiae tribuere dignetur, praeservationem originalis labis Dominae nostrae et Reginae, sub titulo Immaculatae in primo instante sui esse naturalis, de fide solemniter definiendo. — Almeriae, Idibus Maii 1849. *Anacletus.*

---

943. **Eppus Tudensis.** Episcopus Tudensis in Hispania maxima cum veneratione percepit Literas Sanctitatis Tuae Encyclicas ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos Ecclesiae catholicae eo fine directas, ut in eorum respectivis Dioecesibus ferventes publice ad Deum fundantur preces, ut Sanctitatem Tuam luce Divini sui Spiritus illustrare, eique donum sapientiae concedere dignetur, prout necesse est ad declarandam velut fidei catholicae articulum, doctrinam: Beatissimam Virginem Mariam sine labe peccati originalis esse conceptam. Desiderat etiam Sanctitas Tua, ut Episcopi suam suorumque dioecesanorum de hoc augusto mysterio mentem ac sententiam patefaciant. Episcopus Tudensis inexplicabili repletus gaudio Sanctitati tuae manifestat, se, simul ac aestimatissimas literas Apostolicas Caieta ad se die 2 Februarii missas percepit, disposuisse, ut in tota sua Dioecesi fierent spatio trium dierum pro obiecto indicato preces publicae, direxisseque hoc fine ad omnes suos parochos exhortationem pastoralem, cuius exemplar hic humillime includit, quamque suprafatae preces publicae iam actu sequuntur. *Est tam universalis, Sanctissime Pater, apud Hispanos de immaculata Conceptione Virginis Mariae fides atque sententia, ut soli eruditissimi norint id ab Ecclesia nondum esse declaratum ut articulum fidei; reliqui enim omnes sententiam hanc*

pro articulo fidei habent; eorum salutationes communes in foro sunt professio practica huius fidei; orationes suas concludunt dando gloriam et laudem Dominae propter Conceptionem eius sine peccato originali; qui verbum Dei e suggestu annuntiant, sermonem inchoare solent salutatione Virginis tamquam conceptae in gratia; Universitates regni in collatione graduum maiorum a laureandis exigunt iuramentum, quo se hi ad tuendam semper doctrinam hanc obligant; Clerus tam secularis quam regularis recitat horas canonicas huic mysterio proprias ac diversas ab iis, quae in Breviario romano continentur; Beatissima Virgo est Patrona Hispaniae sub hoc augusto titulo; denique habemus etiam institutum ordinem insignem, nominatum a Carolo III, approbatum multisque gratiis ac privilegiis dotatum a Sanctissimo Clemente XIV in honorem immaculatae Conceptionis Virginis Dominae nostrae. Hisce spectatis minime est dubia, Beatissime Pater, Hispanorum omnium, ipsis Episcopis non exceptis, in hoc tam gravi obiecto mens. Omnes *ardenter desiderant, ut tandem illucescat dies illa felix, qua Sanctitas Tua sub assistentia et directione Spiritus Sancti declaret ut articulum fidei catholicae: Virginem Mariam esse sine labe peccati originalis conceptam;* omnes desiderant audire vocem Vicarii Iesu Christi Successoris B. Petri annuntiantem nuntia tam fausta, omnesque unanimiter respondebimus: *Petrus per Pium locutus est.* — Tudis, 15 Maii. 1849.

---

944. **Eppus V a l l i s o l e t a n u s.** Literas vestras Encyclicas 2 Febr. a. c. Caietae datas, quibus ardentissimum totius fere orbis catholici, praesertim Sanctitatis Vestrae iam omnibus notum desiderium ostenditur finiendi tandem atque e B. Petri Cathedra decernendi, quid de immaculato Virginis Mariae conceptu sit sentiendum? ea gratulatione eaque animorum laetitia Hispanus tum Clerus tum populus accepit ac legit, quae multo facilius a Sanct. Vestra comprehendi quam verbis meis exprimi posse videtur. Novit enim optime Sanct. Vestra, qua devotione ab antiquis praeter hominum memoriam diebus Hispani omnes Beatissimae Deigenitricis opem quoti-

die in omnibus implorare, festa in eiusdem laudem agere, nomen dulcissimum laudando in orbem terrarum zelo secum invehere sint assveti. Novit quae et quanta apud Summos Pontifices praedecessores vestros Paulum V et Gregorium XV egerint pro tuenda atque fovenda pia de immaculato Mariae semper Virginis conceptu sententia, quaeque ad Clementem XII totius fere Hispaniae Epporum, Academiarum, Religiosorum Ordinum accesserint vota, quibus etiam atque etiam rogabatur, ut solemni Ecclesiae iudicio Deiparae Virginis sine labe originali conceptum ita assereret, ut nulli unquam in posterum de hoc singulari Mariae ornamento dubitandi facultas daretur. Novit totum Hispaniae catholicum regnum totasque nostras colonias et innumeras pene gentes Regum nostrorum ditioni quondam subiectas Christi Iesu Matrem sub titulo Imm. Conc. in Patronam sibi carissimam delegisse, ac ritu solemniori ad nostram usque aetatem coluisse, id sibi proprium ubique habentes, quo et purissimae Matris laudes augeri, et ipsius viscera misericordiae in humani generis bonum verti posse videbantur. Novit in templis domibusque nostris Immac. Matris imaginibus omnis generis nihil esse frequentius. Novit apud nos nullum fere opus bonum, nullam religionis praxim a fidelibus sine consveta Purissimae Conceptionis invocatione inchoari, vel saltem finiri, ita, ut sacri etiam verbi doctores non prius e suggestu verba facere possint, quam genua coram Ven. Sacramento flexi purissimam et sine labe originali Dominae nostrae Mariae Conceptionem cum populo fideli simul praelaudent. Novit praeterea his nostris diebus ardentissima vota, preces ac desideria ex Hispanorum cordibus ad vos vestrumque praedecessorem Gregorium XVI ascendisse, quibus non tantum postulabatur enixe, ut in sacra liturgia litaniisque lauretanis vocem illam ‚Immaculata‘ publice annunciare et addere liceret, sed ut etiam solemni iudicio SS. Deigenitricem — Imm. V. Mariam sine labe originali decerneretur fuisse conceptam. Quae cum ita sint, supervacaneum fortasse nonnullis videbitur, quid Clerus populusque noster hac de re sentiat, investigare. Scilicet tam alte animis nostris fixum, tam carum potissimumque nostri in Mariam amoris pignus in dubium vertere videretur, quisquis vel momento temporis singulari hoc enco-

mio ipsam laudare honori non duceret. Ut autem pro mea erga Sanct. Vestram Petrique Cathedram devotione ac reverentia satis officio meo facerem, neque omittendum quidquam neque morandum censui, quominus omnia, quae accepimus, mandata exequerer celeritate qua possem maiore. Primum igitur *Clero huius dioecesis, quoad fieri potuit, coacto, alias vero per literas interrogato, hoc unum omnium habuimus responsum, piae de immaculato Deiparae Conceptu sententiae, quam auribus nostris audivimus, quamque patres nostri annunciaverunt nobis, tota se mente, totoque corde ita firmiter adhaerere, quasi iam inter dogmata fuisset relata.* — Cum ergo pio ipsorum zelo et ardentissimo desiderio nullam fieri posse accessionem viderem, preces indicendas peragendasque curavi. — Sed mirum! B. Pater; cum de seligendis indicendisque precibus iniretur consilium, uno ore Litaniae Lauretanae cum additione encomii ‚Regina sine labe concepta' ab omnibus conclamatae fuere. Ita nempe fideli populo pro dilectissimi nostri Pontificis Summi desiderio et mente orandum censuimus, quin tamen avita illa fides, qua firmissime tenet Mariam V. sine labe ulla fuisse conceptam, exorto dubio, et ut ita dicam, scandalo laedi videretur. Unde factum, ut corde uno et anima una doctus cum indocto, sacerdos cum populo, frequenti undique concione, Ecclesiae veluti facem praeferentes, simul et optatissimum hac de re iudicium alacriter praestolantes spiritum veritatis et consilii in carissimae ipsius Sponsae Mariae V. laudem et honorem simus omnes precati. Quapropter *asserere non dubito, in tota hac dioecesi tum a viris omni doctrinae genere ornatis, tum a clero populoque fideli Romanae Sedis de immaculato Virginis conceptu decretum, quocunque demum modo latum fuerit, summa animorum iubilatione esse excipiendum.* — Ad me quod attinet, meminerit, obsecro, Sanct. Vestra, ab a. 1839 simul cum Praesulibus aliis mihi fuisse a b. m. Gregorio XVI concessum, ut tam in Missae praefatione, quam in Litaniis huiusmodi laus sanctissimae dignissimaeque Virgini publice in hac dioecesi tribueretur. Quod sine aliquo religionis, ac verae pietatis augmento difficillimis his temporibus pateat non accidisse, atque in dies fidelium in Matrem immaculatam eiusque festa et laudes zelum augeri, simul etiam cor meum accendi

viresque firmari sum expertus hac spe svavissima et saluberrima, fore ut tandem a Deo O. M. dogmaticum Romanae Ecclesiae de immac. MV. Conceptione decretum in meae gregisque dilectissimi salutis pignus in terris accipiam. Praecipue vero ex quo tempore Divina Providentia factum, ut Sanct. Vestra Petri locum teneret, Salvatorisque nostri Iesu vices in nobis ageret, fatebor, B. Pater, quotidianis Vestri in Mariam amoris praeconiis legendis ac memorandis et spem meam et desideria et vota facta esse ardentiora. Qua ductus fiducia nihil mihi gratius, nihil omnibus acceptius, nihil denique S. Dei Ecclesiae utilius futurum existimo, quo tandem inter gravissimos seculi fluctus Stella maris affulgeat, nostroque omnium acerbissimo dolori sit finis ab illa, quae dedit coelis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Inde enim sperandus Sanct. V. in Urbem reditus, haeresum exstirpatio, Ecclesiae tranquillitas, verae fidei et pietatis incrementum, unde omnia bona simul cum D. N. I. C. accepisse profitemur. *Quibus rite coram Deo perpensis, hoc primum Sanct. Vestrae promitto, dogmaticae in Virginis immaculatae praeconium definitioni perlibenter me sine mora subscripturum; deinde et Sanct. Vestram humillime precor, ut afflante Divino Spiritu maximo hoc, quod optamus, solatio me, gregem meum, ac totum ovile Christi dignetur quantocius afficere.* — Vallisoleti, 14 Maii 1849. *Ios. Ant. Rivadeneyra.*

---

945. **Eppus Segobiensis.** Singulari cum gaudio percepi Epistolam Encyclicam, quam Sanctitas tua ad me dirigere dignata est mediante Reverendissimo in his regnis Nuntio, ut Beatitudinem Tuam de devotione et sensu, quo erga immaculatam Conceptionem Sanctissimae Virginis Mariae populus et Clerus Dioecesis huius fertur, informarem, simulque opinionem meam, et desiderium commune definitionis dogmaticae, quam iam antea fideles expetierunt, ac porro quoque a Sanctitate Tua expetunt, manifestarem, precesque publicas ad hunc finem indicerem. Cupiens itaque de-

siderio ac voluntati Beatitudinis Tuae obsequi, *bene informatus de sensis ac devotione fidelium tam ecclesiasticorum, quam saecularium huius Dioecesis erga mysterivm immaculatae Conceptionis Mariae Dominae nostrae, non possum non testificari, generalem esse persvasionem intimam de veritate, fuisse Mariam in sua Conceptione immunem a peccato originali, hancque persvasionem in dies crescere devotione ac teneritudine, qua fideles inscribi zelant Societatibus, in honorem Sanctissimae Virginis sub titulo immaculatae suae Conceptionis nuper erectis; quamobrem non dubito affirmare, desideria fidelium Dioecesis huius esse conformia iis, quae in tota Ecclesia tam generaliter foventur, illosque suspirantes cupere, ut hoc mysterium pro dogmate declaretur.* Speciatim vero *Capitulum* huius Sanctae Ecclesiae in suo responso ad meam provocationem, quatenus sua sensa ac desideria relate ad definitionem dogmaticam mysterii, de quo agitur, manifestaret, non solum exultat iubilo spirituali, videns iam appropinquare tempus, quo immaculata Conceptio Sanctissimae Virginis Mariae ut fidei articulus declaretur, quod affirmat esse conforme sensis, quae ipsum semper de hoc mysterio fovebat: verum etiam testificatur eiusdem sententiae fuisse suos antecessores inde a tempore immemorabili in toto hoc territorio: cuius rei manifesta probatio sunt altaria antiquitus erecta in honorem istius Dominae sub titulo immaculatae Conceptionis, ac imago Virginis eiusdem tituli supra portam, quae appellatur remissionis, in Ecclesia Cathedrali collocata, quae illuc translata est a frontispicio antiquae Cathedralis, cum sequenti e temporibus valde remotis inscriptione: „Haec Ecclesia Cathedralis confessa est semper Te esse Virginem sine peccato originali conceptam.“ Est etiam aliud argumentum, quo probetur, quid Capitulum huius Sanctae Ecclesiae senserit: nam in omni processione intra Ecclesiam instituta servatur Statio solemnis cum antiphona versiculo et oratione, quae coram altari et imagine Virginis Immaculatae decantantur, *statutumque est a temporibus antiquissimis, ut tam Episcopi quam Capitulares in sua inauguratione iuramentum deponant, se purissimam Conceptionem Virginis Mariae defensuros.* Quod ad meam opinionem ac fidem pertinet, *eiusdem sum cum his sententiae, scilicet ani-*

mam Mariae, quando corpori infusa est, nec habuisse, nec contraxisse ullam maculam, sed fuisse immunem a levissima etiam umbra peccati originalis per gratiam, in qua fuit creata. Ecquis sane de hac re dubitet, quum Ecclesia inde a multis annis celebret festum Immaculatae Conceptionis Mariae? Iam vero secundum doctrinam Angelici Doctoris S. Thomae non potest celebrari festum, nisi eius qui Sanctus est. Beatitudo Tua Tuique digni Praedecessores protexerunt ac foverunt doctrinam hanc ita ut non alia in Scholis amplius praeter illam tradatur. *Advenit* igitur *tempus opportunum, ut per viscera caritatis a Sanctitate tua rogemus declarationem dogmaticam huius articuli, cui nihil deest, quominus de fide definiri possit;* atque ego ex mea parte Beatitudinem Tuam supplex imploro, digneris consolationem hanc tribuere fidelibus totius Ecclesiae catholicae, qui non absque fundamento sperant, eventum hunc fontem fore gratiarum pro omnibus, allaturumque prosperitatem et pacem Ecclesiae tam afflictae diebus nostris. Haec sunt pariter mea desideria, ut videlicet habeamus tamquam fidei articulum integrum complementum praecelsi illius vaticinii, quod de seipsa pronuntiavit Sanctissima Virgo: *Beatam me dicent omnes generationes.* Omnes generationes beatam me di cunt in omni instanti vitae meae. — Segobiae, 30 Maii 1849.

---

946. **Eppus Pacensis.** Mirum in modum dignata est Beatitudo Vestra ad Eppatum Catholicum mittere literas, in quibus alte patent pia desideria accedendi Praelatis Ecclesiarum, Communitatibus Religiosis, omnibusque fidelibus anxie ambientibus, ut inter dogmata fidei locum obtineat opinio piissima tenens, Virginem Mariam fuisse immaculatam in conceptione sua, immunem ab omni noxa peccati a primo instanti. in quo anima fuit infusa in suo corpore sanctissimo. Sed ad rem adeo difficilem resolvendam efflagitat Vestra Beatitudo, ut Ecclesia oret, ut manifesta fiant desideria Epporum, quae et quanta sit devotio Cleri et populi fidelis erga Conceptionem immac. Mariae, et denique postulat a nobis sententiam et votum. Digitus Dei est hic, B. Pater, *digitus Dei hoc opus operatus*

est, inspirando Pontifici Maximo desiderium sublime, pium desiderium tanto tempore insidens cordi meo, manifestatum vicissim ab omnibus Hispanis, et per consequens desiderium filiorum dioeceseos meae dilectae. Ad hanc veritatem demonstrandam libenti animo mitto edictum Pastorale, quo populum mihi creditum allocutus sum; in eo enim patefit, quantum testante historia laborarint Hispani in honorem tanti mysterii, cuius devotio ipsis venit ab Apostolis, a praedicatione Maioris Iacobi, nostrae Iberiae dignissimi Patroni; devotio totis viribus propugnata a natione ista, quae merito gloriatur sese tueri praesidio SS. Mariae in hoc augusto mysterio; devotio mire in diem progrediens exercitationibus piis laudabiliter inventis ad supremam Reginam honorandam in mysterio praecellenti, cuius gratia, obsequio et veneratione tot sodalitia instituuntur. Ut prima pars ordinationis B. V. omnibus numeris sit absoluta, rogationes publicae in dioecesi praescriptae sunt ad specialem assistentiam Paracliti implorandam, B. V. communicantis lumina necessaria, quibus adstantibus felix evadet resolutio. Sed confundor, B. Pater, ad alteram deveniendo partem: turbatus sum nimis, dum recogito, oraculum fidei constitutum a Redemtore nostro I. C. firmissimam Petram, super quam Ecclesia construenda erat, Petram immobilem, qua illidentur omnes fluctus excitati ab inferno, cuius portae adversus eam non praevalebunt, firmaturum in fide fratres, a minimo quaerere sententiam! Me turbatum ingenue fateor, SS. Pater; prae timore vox deficeret haereret lingva, nec verbum unum proferrem, ni sancta obedientia interesset. Iussu igitur B. V. motus et suffultus, hilaris mentem meam aperiam, fidenterque dicam: *I, Pater Sancte, securus abi post desideria de coelo delapsa, haec una Ecclesiae, Cath. Praesulum mens est, hoc votum firmiter fixum in corda fidelium, haec vox, hic omnium clamor: esto venerandum dogma pia sententia iamdiu moraliter certa, SS. Mariam immaculatam fuisse a primo instanti animationis suae.* Quod res ita se habeat, persvadet mihi *quieta possessio, qua in universa Ecclesia per XII secula fruita est pia opinio,* quam Sixtus IV statutam reperit, officium et Missam indixit, et festum Conc. immac. celebrantibus easdem indulgentias concessit, quas Ur-

bannus IV et Martinus V assistentibus Solemnitati Corporis Christi et eius Octavae impertiti fuerunt. Haec paritas gratiarum haud aequivocum est indicium magnae certitudinis, quae Sixto IV inerat huius veritatis, magis ac magis roboratae et in certitudinem progredientis decisionibus Summorum Pontificum, inter quos nec unus adversarius ei extitit, imo e converso omnes ita faverunt, ut contrariae silentium mandarint. Unde notanda est sententia Nazianzeni: ‚Plurimum interesse ad unius doctrinae veritatem, et alterius falsitatem fidelibus animis insinuandam, quod uni in publicum prodire detur, alteri vero denegetur.' Novum certitudinis argumentum pia fides acquisivit, dum a Clemente XIII Hispaniarum, Indiarum, Insularumque adiacentium Patrona declarata fuit Conceptio Immaculata, et per Benedictum XIV inter festa Sacelli Papalis relata. Sed quid plura? Prodigiis multis comprobatur, et coelum in favorem ipsius declaratur miraculis. — His ergo innixus fundamentis, aliisque rationibus in Edicto (Pastorali) latissime expositis, non possum quin asseram, advenisse iam tempus definiendi et promulgandi tamquam dogma fidei cath. Conceptionem imm. V. Mariae. Sic sentio, sic oro, nobiscumque id maxime exoptant omnes filii mei in Christo carissimi. — Pacis-Augustae, Kal. Maii 1849. *Franciscus.*

---

947. **Eppus Auriensis.** — Quamvis eximia et singularis Vestrae Sanctitatis devotio erga mysterium, de quo nunc agitur, nullum nobis dubium relinquere poterat, persvasique omnino eramus, omnes nostri gregis fideles dociles obedientesque piissimo Catholicorum Patri et Pastori futuros: tamen ut magis pleniusque Vestrae Sanct. praeceptis responderem, ad meum venerabile Capitulum scripsi, quod quidem semper insigne tum sapientia tum virtutibus habitum est, Encyclicam originalem illi mittens, ut scirent omnes illius obiectum, et finem, et suam sententiam, ut ego ab illis rogabam, maiori mihi possent fundamento et libertate exponere. Eandem rogavi a variis Praelatis Regularibus Monasteriorum et Conventuum in nostro Eppatu suppressorum, Magistris in

snis Ordinibus, Religiosis eximia virtute et scientia conspicuis, et a multis Parochis zelo religionis et fama illustribus. Qui *omnes mira concordia et eodem spiritu non solum pedibus in Vestrae Sanct. sententiam iverunt, sed etiam in suis responsis exposuerunt*: se ab infantia miram et pene incredibilem devotionem mysterio imm. Conc. fuisse professos, hoc cum fidei rudimentis a pueritia edidicisse, hanc doctrinam e divinis Scripturis emanare, hanc ab origine Ecclesiae Patres sustinuisse, hanc a Doctoribus sapientissimisque theologis fuisse defensam, hanc tot Concilia approbasse, et Tridentinum praecipue exceptionem de Virgine Maria fecisse, — omnes Summos Pontifices a Sixto IV maxima cura omnibus populis venerationem erga Virginis Mariae imm. Conc. inspirasse, idemque credere et venerari iussisse Reges Europae clarissimos. His argumentis innixi *omnes confirmant et testantur, se obtemperaturos S. Sedis decisioni et magno iubilo laetitiaque accepturos, quidquid ad maiorem Virginis gloriam et honorem, et ad Dei Ecclesiae utilitatem Vestra Sanctitas definierit.* Eppus Auriensis sententiam suam emittens, tantum addet: in hac Cathedrali Ecclesia sicut in ceteris Hispaniae nullum collationis titulum, — nullum in Universitatibus gradum nec munus Academicum conferri nisi prius iuramentum et promissio formalis defendendi mysterium imm. Conc. BV. emittatur; Hispanaque gens sibi gratulatur gloriaturque de tam illustri eximioque amoris et devotionis testimonio in hoc augustum mysterium, quod penitus iam insedit, — ita, ut nostra communis salutatio, sive aliquam domum ingredimur, sive sacerdotem in calle vel in via pueri conspiciant, sit haec: ‚Ave Maria purissima,' salutatusque respondet: ‚Sine peccato concepta.' — His igitur testimoniis et fundamentis innitens non possum quin plenus spei, et solatii a Vestra Sanct. totis viribus, tota mente obtester ac deprecer, *ut vota haec et desideria Cleri et populi, quibus coniunguntur et cohaerent vota quoque huius licet indigni Auriensium Pastoris, — Summus Pontifex audiat, et tamquam supremus revelatae doctrinae iudex solemniter definiat: Virginem Mariam fuisse ab initio absque originalis peccati labe conceptam.* — In Civ. Auriensi, 3 Iun. 1849. *Petrus.*

948. **Eppus Canariensis.** — Ubique terrarum notum est, totum Hispaniae Imperium, tam late per quatuor orbis partes olim diffusum, BV. Mariam sub titulo immac. Conc. Patronam principalem nuncupasse, a cuius clientela Provincia et Regna, quae a sua Metropoli separata sunt, nullatenus recesserunt. Sicut catholicam fidem alte cordibus ipsorum implantatam a Missionariis Hispanis firmiter constanterque servant, ita etiam piissimam credulitatem erga BV. immaculatum conceptum retinent, a qua recedere piaculum magnum putarent. Hinc est, quod mos universaliter invaluit, ut in ditionibus Hispaniae post invocationem SS. Nominis Dei in publicis concionibus et precibus statim mentio reverenter fiat immac. Conc. BMV. Quid quod *poenitentes ad sacrum tribunal accedentes, antequam confessionem generalem faciant, salutato SS. Sacramento salutant statim imm. Conc. BMV.* quod in aliis dioecesibus Hispaniae, quas missionando peragravimus, numquam a nobis observatum est. *Tenera devotio erga BVM. immaculatam hic singularis est. Vix B Virgo nominatur, etiam ex suggestu, statim innumerae erumpunt exclamationes in auditorio ex imis cordibus eructatae,* quod signum infallibile est tenerae erga B. Deiparam immac. affectionis. De hac praecellentissima Virginis Matris Mariae praerogativa nullus fidelis dubitat, omnes illam pie credunt, etiamsi hucusque nullus concionator tamquam fidei catholicae articulum illam praedicavit, ne S. Sedis in hac parte iudicium dogmaticum anteire videretur. Verum si Divinae Maiestati placuerit, ut hoc Mariae privilegium tamquam articulus fidei a S. Sede decernatur, nil ambigo, quin templa et eremitoria omnia vocibus exultationis maximae personarent. — *Exoptamus toto corde, ut, si fieri potest, declaretur a S. Sede tamquam fide divina credendum* (hoc privilegium). In his difficillimis temporibus, in quibus quaquaversum quatitur navis Ecclesiae furiosis undis, exsufflatis non ab iis solum qui foris sunt, sed maxime ab iis, qui in sinu Cath. Ecclesiae renati sunt ex aqua et Spiritu S. quique adhuc palam catholicos se nuncupare non dedignantur, cor lupinum tamen sub ovili pelle gestantes, anchora tuta et firmissima quaeratur, ut navis Petri secura consistat et tumentes ac adversus illam ruentes undas tamquam rupes im-

mota elidat, et in vapores convertat. Quaenam autem haec anchora? Maria. Si illam cogimus iteratis et bene commeritis obsequiis, ut sub eius materna custodia navis ista servetur, securi erimus. Ipsamet Virgo, quae hucusque cunctas haereses interemit in universo mundo, monstrum cunctarum haeresum, quod nunc temporis evomuerunt inferi, debellabit, et in nihilum rediget, conquassans sub pedibus eius antiquum serpentem incitatorem omnium malorum. En B. Pater, nostrum desiderium! Qualis autem sit nostra sententia circa immaculatum BV. conceptum, paucis explanabimus. Ut S. Ecclesiae filius sicut mysteria fidei — cum lacte materno suxi et per iteratos actus excolui, ita etiam piam credulitatem erga privilegium immac. Conceptionis, quae credulitas adeo non est imminuta in adolescentia, in virili aetate, et in senectute, ut potius in dies aucta sit, ita, ut oppositam sententiam tamquam absurdam, Deo iniuriosam, et Virgini Matri indecoram semper exhorruerim. Estne autem solida, vera, certissima communis credulitas totius populi christiani, in dies magis magisque aucta et a S. Romana Sede mille modis et gratiis exstimulata? Millia millium argumentorum in anterioribus seculis digesta sunt ad tuendum hoc singulare BV. privilegium; traditio Ecclesiae in medium adducta est, auctoritates SS. Patrum et Doctorum Ecclesiae allegatae, in quibus videtur excellens privilegium Virginis Matris non solum adumbratum, sed etiam clare assertum fuisse. Haecque et alia argumenta de novo reproducta sunt in operibus, quae hodiedum sunt elucubrata insigni eruditione et labore, ex quibus eruitur, sententiam de imm. Conc. non aliunde quam ex apostolica imo divina traditione emanasse. His autem suppositis et ex imo corde admissis, aliud argumentum nobis suppeditat praesens epocha in qua vivimus. Deus ipse argumento sibi proprio, quo cetera fidei dogmata olim confirmavit, etiam hoc Matris suae privilegium testificari dignatus est: loquor de miraculis. Ab anno trigesimo praesentis seculi innumera recensentur patrata in testificationem huius privilegii, ut videre est in historia sacri numismatis Imm. Virginis, miraculosi dicti, tum in Annalibus Archiconfraternitatis sacri et immaculati Cordis Dei Matris Parisiis auctoritate Apostolica erectae. (Refertur historia con-

versionis *Alphonsi Mariae Ratisbonne* Iudaei.) — (Mittimus alia innumera. — Quid vero dicendum de rapida propagatione per totum orbem Associationum arcto vinculo cum Archiconfr. Paris. coniunctarum, quarum primarius scopus est: immaculatum cor BVM. venerari, ut per eius patrocinium conversio peccatorum obtineatur? Nihil aliud, nisi quod a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Post tot tamque insignia argumenta, *si falsa esset pia credulitas imm. Conc. BMV., fidelium congregatio universa in errore maximo versaretur,* et ad eundem pelleretur non solum a parochis, concionatoribus, confessariis, aliisque presbyteris, qui pro aris et focis pro hoc privilegio, interposito etiam a plerisque solemni iuramento, decertant, sed et ab Eppis, qui commissas sibi oves verbo et exemplo, et concessis indulgentiis provocant, ut devote Virginem sine labe conceptam interpellent et orent; et, quod caput est, vel ab ipsis Romanis Pontificibus, qui certatim praedictam piam credulitatem approbant, fovent, et solemni officio immac. Conceptum SS. Virginis in toto Franciscanico Ordine primum, in ditionibus Hispaniae deinde, ac demum in universa Ecclesia venerari non solum permittunt, sed satis aperte excitant. *Universum fidelem populum a vero cultu discedere et in falsum superstitiosumque declinare, non solum non reclamante Ecclesia docente, cum suo Capite, sed etiam propellente, hoc esset Ecclesiam deficere et portas inferi adversus illam praevalere,* quod impossibile est. Ex quibus omnibus nobis videtur inferendum, *verissimam fuisse BVMariae immac. Conceptionem, ideoque posse illam ut articulum fidei cath. declarari.* — In Civ. Palmarum Insulae maioris Canariae, 10 Iun. 1849. *Bonaventura.*

94?. **Eppus Oxomensis.** Eppus Oxomensis — reverenter exponit, quanto animi gaudio quantaque laetitiae exultatione affectus fuerit una cum Clero populoque fideli, cum — accepit Encyclicam, — in qua declarat Sanct. Vestra intentionem sese occupandi de proxima definitione dogmatica imm. Conc. BMV. Neque enim aliud expectari poterat ab

affectu et devotione Hispanorum erga SS. Dei Matrem, quae dum in carne mortali degeret, eosdem visitare dignata est, quae semper se monstravit singularem protectricem tam in privatis quam publicis calamitatibus, et quae veneratur ut totius regni Patrona sub titulo immac. Conc. Quomodo aliter sentire nobis liceret, videntibus proxime definiendum, quod celebres nostri theologi propugnarunt, quod maiores nostri in votis habuerunt, quod pro viribus defendere se cum iuramento obligarunt, et in cuius venerationem pias confraternitates ubique instituerunt? Sicut Abraham vidit in spiritu diem Messiae et gavisus est: sic valde congratulati sumus in Domino, videntes in literis S. V. proximitatem diei, qua credere ac celebrare nobis fas sit tamquam dogma mysterium usque nunc creditum et celebratum tamquam rem piam secundum iudicium Ecclesiae. — *Ab omnibus* (Capitulis et Parochis) *unanimi consensu sine ulla haesitatione responsum fuit: immac. V. Conceptionem esse obiectum apud omnes tenerrimae devotionis, illius festum singulari pietate et obsequio celebrari, — omnesque in votis habere, ut a Sede Apostolica tamquam articulus fidei definiatur.* In cuius confirmationem adiicere possumus Vestrae Sanctitati, esse inter fideles nostrae dioecesis et ceterarum regni Hispaniae piam consvetudinem a maioribus traditam, sese invicem salutandi: ‚Ave Maria purisima sin pecado concebida,' iisdemque verbis terminatur SS. Rosarium apud multos, sive privatim sive publice recitetur. Etiam invaluit antiqua consvetudo, quae religiosissime ab omnibus indiscriminatim observatur, recitandi initio praedicationis evangelicae, ad finem SS. Rosarii et S. Missae orationem popularem, in qua cum laudibus SS. Altaris Sacramenti connectitur encomium BMV. ipsam praedicando sine labe originali conceptam: quod probat valde diffusam esse in populo fideli devotionem imm. Conc. BMV. firmiterque eidem adhaereri. Hoc tam verum est, ut simplices fideles scandalisarentur de his, qui contrarium affirmarent, eosdemque respuerent tamquam impios et incredulos. Quantum ad nos attinet, B. Pater, postquam humiles fervidasque Deo O. M. direximus preces, ut coelestis gratiae suae lumine mentem nostram collustrare velit, Vestrae Sanctitati sententiam nostram declaramus dicen-

do: *doctrinam de imm. V. Conceptione, attenta universali Ecclesiae praxi in huius mysterii celebratione, Constitutionibus Apostolicis in praesenti materia publicatis, et omni genere argumentorum, quibus hodie illustrata est, esse doctrinam fidei proximam, cui nihil deest ut sit expresse de fide, praeter solemnem et publicam Ecclesiae definitionem; ideoque vehementer exoptamus, ut quantocius a Sede Apost. solemniter et expresse definiatur tamquam fidei dogma.* Sic exposita nostra sententia nostrisque desideriis hac super re, liceat Eppo Oxomensi pro sua devotione erga SS. Dei Matrem vota sua ad V. S. pedes humiliter perferre, ut tandem a Sede Apost. definiatur tamquam dogma: *gloriosa* eiusdem *corporalis assumtio in coelum.* Haec doctrina tam antiqua et tam universaliter in Ecclesia recepta est proxima fidei, et nihil ipsi deest, ut sit expresse de fide, praeter solemnem et publicam Ecclesiae definitionem. Quando inclinata est Sedes Apost. privilegiatum declarare initium vitae Mariae definiendo immaculatam suam conceptionem, offertur occasio declarandi etiam privilegiatum illius finem definiendo tamquam dogma assumtionem suam corporalem in coelum. Hoc modo sicut lex generalis ,omnes in Adamo peccaverunt' non pro Maria sed pro reliquo humano genere constituta credetur, sic altera non minus generalis ,in pulverem reverteris' non pro Deigenitrice sed pro ceteris hominibus data tamquam de fide profitebitur. — Oxamae, V Kal. Iul. 1849. *Fr. Gregorius.*

---

250. **AEppus Valentinus.** — Quid, B. Pater, quid mihi gratius unquam accidere potuit, quam de SS. Deigenitricis praecipua gloria non iam qualemcunque ad populum concionem habere, quod pluries iucundissime contigit, sed Patri optimo et amantissimo pro veritate animi profundiora sensa ex obedientia aperire, si forte de tenuitate mea obolum conferre possim in gazophilacium Christi, quo Dei Omnipotentis immortale decus, Virginis Matris amplior honos, Ecclesiae S. utilitas, fideliumque omnium ferventior devotio ex pronunciato Apostolico resultet? Bene sit, Pie optime, bene

sit. Elingvem me facit ipsa rei abundantia; silere potius quam aliquid vel minimum effari oporteret; verum Sanct. Vestrae svavissima praecepta si non eloquentem, balbutientem tamen efficient, ut possim vel breviter de omnibus a Sanct. Vestra quaesitis — respondere. — Responsa mihi data a Canonicorum Capitulo, quae autographa hisce meis literis adiuncta maxima cum reverentia transmitto, Sanct. Vestrae significabunt, qualia sint eiusdem Capituli vota, atque etiam huius dioecesis et totius regni Valentini ab antiquissimis temporibus ardens desiderium de gloria Conceptionis Imm. procuranda et amplificanda; praesertim ex Edicto Ioannis I Aragonum Regis, ex Breviariis Missalibusque longe ante illorum reformationem hac in Ecclesia usitatis, ex testimoniis demum SS. *Vincentii Ferrerii* huius urbis praeclarissimi filii, et *Thomae a Villanova* Sanctae huius Metr. Ecclesiae Praesulis dignissimi, aliisque populi Valentini quocunque retroacto et hodierno tempore editis testificationibus. — Verum quid mirum? A seculo ipso XIII, cuius anno 38 gens ista non sine specialissima eiusdem Virginis ope ab impia Maurorum tyrannide in libertatem christianam simul et politicam ab invictissimo Iacobo I feliciter est asserta, *beatus Petrus Paschasius*, hac in urbe mundo et Ecclesiae natus, dum adhuc nec spes ulla affulgeret illorum exitiale iugum excutiendi, qui in Parisiensi schola publica theologicis excultus disciplinis, in patriam iam liberam redux, huius Ecclesiae Canonicus, tum Giennensis Eppus et Martyr, Theologus doctissimus, pietate valde illustris, diversa commentationum genera pro fidelium utilitate conscripsit, quas inter celebris habetur ‚Bibliae parvae‘ titulo; in huius Bibliae suae Parvae tit. 21 numero 71 immac. Conceptionem, pluribus longe annis quam Subtilis Doctor Scotus in Gymnasio Parisiensi vexillum levaret, disertis verbis professus est: ‚Debetis intelligere et credere, quod ista supradicta Virgo est illa, de qua Prophetae sunt locuti, quae Virgo ante creationem fuit electa, ut esset Mater Dei, — et voluit praeservare (Deus) a peccato originali, et ab omni alia laesione immunditiae. Ergo si Virgo Maria fuisset concepta in peccato originali, dicendum nobis esset, quod aliquo tempore fuit in ira Dei, quod nec debet dici nec credi.‘

Ita Martyr invictus: qui si doctrinam istam ab immemoriali acceptam non haberet, minime ausus fuisset illam tam asseveranter de novo fidelium mentibus inserere, absque ulla reliquorum Ecclesiae universae Pastorum contradictione, quam minime expertus est. *S. Ludovicus Bertrandus* Urbis huius filius, Ord. Praed. decus maximum, in Australi America novi regni Granatensis Apostolus, miraculorum gratia, prophetiae lingvarumque donis commendatissimus, in pluribus concionibus de diversis BV. vitae mysteriis obiter quidem sed aperte, sine ambage ulla, fuisse illam singulari ac praecipuo Filii sui Redemtoris beneficio a macula originali contrahenda omnino liberam affirmat, sicut decebat et Deum, qui eam in Matrem purissimam ab aeterno elegerat, et ipsam felicissimam Virginem, quae in ipso vitae limine omnes Angelorum choros sanctitate transcendit. Verum de eiusdem immaculato conceptu sermo *Ludovici* habetur propria eiusdem manu scriptus, qui ex mandato *Philippi IV* Regis in Bibliotheca Regia Escurialensi asservatur: in quo positionem istam omni argumentorum genere late prosequitur, coacervatis S. Scripturae textibus, SS. Patrum testimoniis, momentisque ex ratione theologica desumtis, quibus invicte probat, nec temporis instanti Mariam sub diaboli iugo captivam extitisse. Adeo vir sanctissimus doctrinam istam animo imbibitam habebat, ut teste ipsius discipulo vitaeque scriptore *Fr. Vincentio Iustiniano Antist*, nihil fere aliud dies noctesque ab eius ore prodiret, quam tantum Virginis privilegium laudibus extollere, contrariisque auctoritatibus interpretationem benignam et momentis de theologica penu eductis solutiones dare lectissimas. — Sed unde, quaeret quis, tanta Bertrandi in Mariam Immaculatam devotionis affectio? Ex ipsa, quae in Scholis huius *Ordinis Praedicatorum* Provinciae nimis ab antiquo tempore invaluit, traditione. Anno siquidem 1489 die Martii 18, Summus b. m. Pontifex Innocentius VIII ad instantiam ‚Ioannis Carles' Provinciae eidem praefecti dedit in forma Brevis literas Apostolicas Constitutionum praedec. sui Sixti IV super Conceptione V. immaculata (easdem quas postea S. Tridentina Synodus innovavit) confirmatorias, quas autographas coram huius dioecesis Vicario generali Praedicatorum Valentini Coenobii nomine praesenta-

runt Prior ‚Michael Traver' sociique ‚Gaspar Carbonell, Stephanus Llopis, et Ioannes Selva', requirentes, ut in Curiae libris illas recenseri mandaret atque super contentis in eisdem ad eorum executionem procederet. His non contenti de omnium fratrum praedictum coenobium incolentium ultroneo et iubilanti consensu capellam et altare in propria illorum Ecclesia in Virginis Immaculatae honorem et titulum erexerunt, hac in summitate altaris apposita inscriptione: ‚Maria Virgo ab omni peccato originali immunis fuit', atque extunc per singulos annos eiusdem mysterii festum agebant die Dec. 8. Ita Praedicatores Valentini ab ipso suo magno parente Dominico, qui contra Tolosates Albigenses Conceptionem V. immaculatam miraculo evicit, (teste antiquissima tabula Barcinone asservata, quam theologi plures magni nominis in stupendi facti probationem adducunt) hisce eruditi disciplinis — nullo unquam tempore ante et post Sixti IV Constitutiones et privatis colloquiis et concionibus, et scriptis suam erga Beatissimam Deigenitricem immaculate conceptam animi proclivis significationem sine latebrosis ambagibus aut a longe quaesitis suffugiis, prodere intermiserunt. Haec et pro traditione constanti huius Ecclesiae Valentinae asserenda, et pro religiosissimae Dominicanae familiae honore conciliando dicta sint, quamvis ista, quae subiicio, ad eandem etsi non ex toto, ex magna saltem parte attinere certum habeo. Cum a. 1530 die eiusdem Conceptionis festo in hoc ipso Cathedrali templo concionator quidam ‚Moner' contra omnium fidelium adstantium expectationem, contra pragmaticas civiles sanctiones, contra praedictam unanimi cunctorum assensu receptam doctrinam, ex ipsius Missae, intra cuius solemnia concionabatur, apertissimo textu confirmatam, (canebatur enim Missa ‚Egredimini' ex concessione Sixti IV) adversam opinionem pro suae concionis themate vindicare minime erubuisset, adeo et Canonicorum Capitulum et Secularis Magistratus populusque universus exarsit, ut necessum fuerit illo ipso die — temerarium concionatorem iuxta leges in exilium pellere, proximoque die in reparationem iniuriae B. Virgini irrogatae, solemnissimum festum de eadem immac. Conc. agere: in quo post Pontificalem Missam a Fr. Ausia Carbonell ex Domin. familia in Eppum Coadiutorem

assumto decantatam in ipsius manibus de Conceptione imm. quoad vires suppeterent publice privatimque asserenda iuramentum praestiterunt singuli ex quovis adstantium Ordinum viri, ipsoque Eppo imperante, cum assensu et voto omnium Doctorum et Magistrorum *Valentinae Universitatis* statutum est, ut perpetuis futuris temporibus ad Doctoratus aut Magisterii in quavis Facultate infulas capiendas nullus admittatur, nec Cathedram ascendere possit, qui idem solemne iuramentum in Rectoris manibus non praemittat. Quod celeberrimum statutum Academia Valentina post 300 et amplius annos religiosissime servat, cum sit quarta inter omnes catholici orbis publicas et generales studiorum Scholas, quae simile decretum constituerunt. De *Pragmaticis* vero *civilium legum sanctionibus* haec in foro Valentino habentur circa Dei SS. Matris honorem. *Ioannes I Aragoniae Rex* a. 1394 edidit primo placitum illud, quod integrum Canonicorum Capitulum in sua ad me data responsione, in quo videlicet et pii regis fervorem pro V. Mariae a peccato originali omnimoda exemtione ex pecculiari Filii sui beneficio asserenda, et zelum efficacem perspicere licet doctrinam illam ab impetu adversariorum tuendi intentatis exilii et e toto regno eiectionis minis cuicunque sive ex cathedra concionatoria sive academica sententiam de Maria in sua conceptione impura Adami sorde maculata ausu temerario affirmanti. Frater simul eius et in regia potestate successor *Martinus* eandem ipsam Ioannis severam legem iterum publicam fecit confirmavitque Barcinone IV Id. Apr. 1408. *Ioannes* item *II* bis illud ipsum egit 1451 et 1461. *Philippus II* in Comitiis Generalibus eiusdem Regni Monte Sionis habitis istam *Ioannis II* Pragmaticam in Conc. Imm. favorem et contrariorum conatuum cohibitionem editam iterum in publicum et prelo multiplicatis illius tenoris fidelibus exemplis a. 1585. regio diplomate sanxit. Supremus *Valentinae Urbis Magistratus* a. 1568 primum ex istis quatuor Regum praedictorum placitis in vulgus solemniter edicto generali emisit. Haec de civili iure quoad rem, de qua agitur, ab omnibus sancte custoditam. Verum silere nequaquam possum aliud illustre ecclesiasticum testimonium, quod traditionis istius monumentum valde fidum expectatumque est. Praeter *Thomam de Vil-*

lanova sanctissimum decessorem meum, qui quatuor concionibus suam explicitam manifestavit multisque argumentis enodavit de immac. Conc. sententiam *B. Ioannes de Ribera* Patriarcha Antiochenus, Valentinus AEppus et Hispaniae Regis Philippi III in eadem provincia vices gerens, — pro suo in gregem Valentinum studio publicum fecit brevem Catechismum ad instructionem neophytorum ex Maurica origine ad Catholicam fidem venientium, in quo dial. 5. immaculata Conceptio asseritur. — Haec, B. Pater, inter alia bene multa, traditionis Valentinae testimonia Sanct. Vestrae satis indicabunt huiusce devotae plebis omniumque Ordinum promtum animum ad Virginis immaculatae honorem augendum, magnumque desiderium, quod res ista per S. Ap. Sedem optatam habeat coronidem gloriosam. De Clero autem quid dicam? cum ipse vel numero infinitis concionibus, vel frequenti Sacramenti Poenitentiae administratione, vel pluribus aliis mediis et opportunitatibus devotionem istam in fidelibus acuat, accendat, inflammet; et dioecesanum Conciliare Seminarium Virginis Immaculatae titulo ac protectione glorietur, ita, ut iuvenum ibi ad ss. ordines sese doctrina et ecclesiastica educatione parantium voluntati lubentissimo obsequens animo illis facultatem dederim, ut argenteum numisma duarum et amplius unciarum pondo, tantam Patronam serpentis veternosi caput firmo pede conterentem referens chordulis albi et cerulei coloris ad pectus e collo appensum manifeste deferant, atque in domestico eorum Oratorio, licet triduo istarum rogationum in Cathedrali templo celebrato ipsi nullo excepto choro interfuerint superpelliceis induti, aliud propria sponte Litaniis maioribus aliisque devotis precibus adhibitis pro Sanct. Vestrae desiderio implendo pia egerint religione. Quapropter nihil dubium esse opinor, quin omnes iuvenes et virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini in declaratione Apostolica, si Spiritui S. et Beatitudini Vestrae bene visum fuerit illam tandem pronunciare de perfecta immunitate gloriosae V. Mariae a diluvio illius peccati, quod omnes montes etiam excelsorum Sanctorum foedisque corruptisque undis operuit. Restat, ut de seipso loquatur Valentinus AEppus. Haeret aqua, Pater Beatissime. Ovis Pastorem, filius Patrem, discipulus rudis et illiteratus Magistrum coelesti lumine collustratum praeeat, diri

gat, doceat? Votum meum tantum verecunde explicabo, indicium vero meum, dum Sedes Ap. silet, in medium proferre quale temeritatis et arrogantiae indicium et argumentum erit? Ast Sanctitas ipsa Vestra iubet indigno Valentino Pastori, ut tandem loquatur — obedientia ergo adactus palam faciam sententiam desideriumque meum. *Sententia mea est: assertionem immac. conceptus passivi, Christi Redemtoris gratia praeveniente, qua purissima Virgo ab omni prorsus originis labe incurrenda liberata fuit, proxime ad fidem cath. pertinere, ideoque ut talem definibilem esse.* Pro hac positione stabilienda iam a tribus et amplius seculis immensa et praeclara volumina in vulgus a primi subsellii theologis edita, Sanct. Vestrae totique catholico orbi apprime nota sunt, proindeque supervacaneum imo fastidiosum duco longam texere dissertationem, quae nihil novi afferret, cum pene in illis exhausta materia sit; attamen vel breviter aliquid dicendum. Verba illa *Cantic. IV. 1*: Quam pulchra es etc. et: Tota pulchra es, macula non est in te' quem strictissimum literalem sensum, ita ut nullam interpretationem latam patiatur, habere dicenda sunt: nisi de una Deiparente ab omni actualis et originalis peccati macula prorsus immuni accipiantur? Dispu'ant sacri interpretes de lectione verborum Domini ad serpentem: Inimicitias ponam etc. an videlicet sit legendum, ut habet Vulgata nostra: *ipsa* conteret, an: *ipsum* conteret, in casu nominandi relate ad semen Evae, i. e. ad genus humanum, an: *ipse* conteret, respectu habito ad Christum Dominum; pro tribus istis lectionibus et sensibus stantibus diversis SS. Bibliorum codicibus, et SS. Patrum intelligentiis; unde nequit hinc meo saltem iudicio satis firmum constare argumentum pro Conc. Imm. BMV. Ast vero de praefatis Canticorum verbis nulla lectionum diversitas, nulla Patrum auctoritas, nulla theologica ratio prohibet, ne de *sola*, de unica Matre Domini, strictissimo literali sensu interpretentur. Et quidem sive de qualibet anima sancta, sive, quod maius est, de tota Ecclesia Christi Domini sponsa intelligantur verba illa ,macula non est in te', nequeunt adaequatum et ex omni parte verum literalem sensum fundere, cum nulla omnino sit vel fuerit vel erit unquam anima sancta, praeter SS. Dei Matrem, quae libera prorsus inveniatur vel a te-

nuissima culpae labe, aut ignorantia aut inadvertentia aut subreptione contracta. Unde Ecclesia ipsa, quae non est aliud, quam omnium Christifidelium societas, si nullus singulorum est absque actualis noxae macula quamvis levissima, nec illorum collectio ab iisdem sordibus etsi minutissimis pura invenietur. Haec de culpis, ut aiunt, actualibus; de originali vero multo fortius asserendum est, Ecclesiam non esse sine macula; nam ipsa quamvis mundata lavacro in verbo vitae, ut Paulus Eph. 5. scribit, attamen in die quando nata est (in singulis suis membris) non est praecisus umbilicus eius, ut Dominus per Ezechielem c. 16. Hebraeorum populo exprobrabat, atque proiecta erat super faciem terrae. — Tota ergo pulchra est Ecclesia, macula non est in ea, quae a Sponsi caritate illam avertat; naevi tamen multi illam in hac praesenti vita oculis purissimi Sponsi reddunt imperfectam. Sed appellatur pulchra et sine macula lato multasque exceptiones patiente verbo. Hoc eodem sensu accipiendus Paulus est, cum laudato ad Eph. textu continuo subiungit: Ut exhiberet (Christus) sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta et immaculata. Nisi dicatur Apostolum de Ecclesia in coelis triumphante ibi sermonem instituere, quod et *Hieronymus* et *Augustinus* affirmant. — Sacra Tridentina Synodus can. 23. Sess. VI duo simul dogmatice declaravit: et neminem Christifidelium quamvis excelsiore sanctitate fulgentem absque speciali privilegio posse in hac vita omnia peccata levia vitare, et privilegium istud BVirgini fuisse concessum, quemadmodum de illa tenet Ecclesia. Quare hoc secundum? Nonne lex generalis est: in multis offendimus omnes. Et: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mendacem facimus eum (Deum)? De omnibus Ecclesiae membris utique: de Virgine vero Matre extat Canticorum textus, qui saltem in illa, ad eius Divinam Maternitatem habito respectu, omni ex parte iuxta literam veritati conformem debet habere sensum. Tota illa pulchra est, macula licet tenuissima non est in ea. — Ergo si ad ipsam a communi ista lege excipiendam Ecclesia ad literam de unica Maria verba ex Canticis laudata strictissime intellexit, cum etiam S. Conc. Trid. Sessione praecedenti in decreto de peccato originali testatum reliquerit, non esse suae intentionis,

in hac declaratione dogmatica comprehendere Beatam et immac. V. Mariam Deigenitricem: — literalis verborum illorum strictissimus sensus de omnimoda Mariae pulchritudine intelligendus venit, ita, ut sicut nec mortalis nec venialis, sic nec originalis culpae labe, Redemtoris singularissimo beneficio in suo vitae limine fuerit inquinata. Quae maior laus Divino omnium Adae posterorum Liberatori, quis nobilior de humani generis hoste ac de peccato triumphus, quam ista amantissimae Matris suae anticipata redemtio? *Redemtio*, inquam: quia etsi nullum extiterit temporis momentum, quo drachma ista pretiosissima de thesauro regio amissa in coenoso luto volveretur, manus tamen Omnipotentis ex morte Filii sui praevisa a fatali iactura exitioque misericorditer eam praeservavit. Quod ipsa humillima Virgo sincerissimo animi affectu in se beneficium agnoscens, meritas Deo laudes persolvit dicens: ‚Respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.' Maneat ergo in aeternum Deo Omnipotenti gloria in Conceptione immaculata istius Virginis, a Patre in carissimam filiam, a Filio in amantissimam Matrem, a Spiritu S. in Sponsam dilectissimam ab aeterno electae et in tempore assumtae. Maneat eidem felicissimae feminae super omnes benedictae tantisque donis cumulatae perpetuus honor, quo maior sub Deo nequit haberi, cuique par in quibuscunque Adae posteris carnali generatione procreatis nequaquam invenietur. Maneat demum Ecclesiae sanctae decus maximum, quod nobilius et excellentius sub Christo Capite suo membrum tanta divinae caritatis benevolentia vel ab ipso suae animationis instanti originis gratia ita cumulatum fuerit, ut omni ex parte, veluti magnus Augustinus aiebat, vicerit peccatum, daemonisque saevum caput firmissimo pede conculcaverit, fregerit, contriverit. Haec omnia, B. Pater, ita dicta sint, ut tamen cum fulgentissimo Ecclesiae lumine B. Hieronymo, quod ille ad Damasum Romanae Sedis Antistitem, ego istius successori hodierno Pio IX humillime scribam: ‚Haec est fides, haec est doctrina, quam in Ecclesia Cath. didicimus, quamque semper tenuimus, et tenemus, in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, emendari

cupimus a te, qui Petri et fidem et sedem tenes.' *Haec mea sententia: votum autem et desiderium, ut Dei O. M. svavissima Providentia tempus acceleret, quo Sedes Apost. veritatem istam ad fidem pertinere irreformabili suo iudicio evulgato declaret,* quod certe in ampliorem Dei nostri gloriam, SS. illius Genitricis honorem, et Ecclesiae totius utilitatem cessurum minime dubito. Felices nos, qui hodierna tempestate vitam ducimus, si contingat videre et audire, quod maiores nostri tanta animi contentione vehementissimoque desiderio optarunt videre et non viderunt, audire et non audierunt! Illi apud Summos Ecclesiae Antistites Paulum V, Gregorium XV, Innocentium X, Alexandrum VII iteratis petitionibus institerunt pro edenda hac declaratione. Multa, quod fateri necessum est, et maxima a S. Sede Ap. in favorem huius piae sententiae fuerunt assecuti: attamen iudicium ultimum de illa numquam adepti sunt. Adest iam, B. Pater, ut videtur, tempus illud tantopere concupitum. Pronam sese manifestat Sanct. V. voluntas, res ista quoad causae meritum in plenissima luce apparet collocata, fideles omnes cuiusvis status hodie ingeminatis clamoribus instant, opinionis adversae defensores vel nulli vel paucissimi. Quid est, quod S. V. a Pontificio emittendo oraculo detineat? Faxit Deus O. M. ut sublatis omnibus, si quae adhuc supersunt, obstaculis, lux de coelo splendidissima quantocius mentem Vestram illuminet, ut omni cunctatione postposita tanti momenti negotium felici desideratoque exitu absolvat. — Valentiae Aedetanorum, Kal. Iuliis 1849. *Paulus.*

---

951. **Eppus Oroliensis.** — Certus sum, B. Pater, et quotidiana experientia edoctus, *maximam esse totius Cleri et populi devotionem erga Conceptionem BMV.* quam evincunt inprimis Seminarium sub eius auspiciis fundatum, deinde plures Ecclesiae Parochiales, et aliae Ecclesiae, Sacella, et Capellae, quae eam sibi in Tutelarem elegerunt, ita, ut nullus in mea dioecesi locus cultui divino consecratus sit, qui non aut altare Deo in eius honorem dedicatum habeat, aut imaginem recurrente quotannis Conceptionis festo veneretur. Sunt prae-

terea Confraternitates, sive Congregationes institutae sub Imm. Conc. pietate et religione praestantes, quarum, ut ita dicam, tessera est, cultum Matris Dei fovere, et pro viribus amplificare. Nec desunt tandem primariae Civitates, et inter eas merito nominanda civitas haec Oroliensis, et alia oppida, quae eam tamquam Patronam venerantur, et ad eam tamquam ad firmissimum praesidium in publicis privatisque calamitatibus securi confugiunt. Nec mirum, cum Catholicus Rex Carolus III pro toto Hispaniae Regno eandem concessionem ab Apost. Sede impetraverit. Non contentus his, literas amantissimas ad omnes Parochos misi, ut quid ipsi quid Clerus populusque eorum curae commissus de hoc mysterio sentirent, aperte manifestarent. Et *omnes ad unum eorum et populi adhaesionem imm. Conceptioni V. M. confitentur, antiquam devotionem confirmant, et rem sibi gratissimam et omnium votis accomodatissimam fieri asserunt, si Sanctitas Vestra finali iudicio solemni et dogmatica definitione BMV. sine labe originali conceptam esse declaret.* Hoc unum desiderium meum est, haec firma expectatio, et *Sanct. Vestram etiam atque etiam humiliter rogo, ut quamprimum fieri possit, Imm. Conceptionem ut dogma fidei definiat.* — Praetereo rationes, quae sententiam hanc mihi non solum laudabilem et piam, sed etiam certam et indubitatam evincunt, ne longa nimis oratione Sanct. V. molestus et imprudens videar. Hoc unum dicam, *me pro defensione imm. Conc. BV. ad quaecunque patienda paratum esse, et, si necesse fuerit, mortem ipsam libenter subiturum.* — Oroliae, 2 Iul. 1849. *Felix.*

---

952. **Eppus Abulensis.**— Per novem dies in cunctis huius dioecesis parochiis orationes ad Deum O. M. oblatae fuerunt, transactisque (his diebus), et *iudicio christianae plebis explorato, non minus ac iudicio totius Cleri, simul atque ven. fr. nostrorum istius Apostolicae Ecclesiae Cathedralis Canonicorum, invenimus, absque dubio ab omnibus desiderari ac exposci, ut Sanctitas Vestra in D. Petri Cathedra constituta, aliquorum dubiis, opinionibus, et variis sententiis finem imponat, decernens declaransque, BVMariam suae Conceptionis tem-*

pore ab omni prorsus labe peccati originalis fuisse praeservatam. Maxima tamen gregis nobis commissi pars a suis teneris annis veluti rem dogmaticam hanc piissimam veritatem credebat; quare non sine admiratione et stupore publicarum precum indictionem audierunt. Quod ad me attinet, B. Pater, *antequam ad pubertatem accederem, credendi defendendique Conceptionem Deiparae immaculatam iuramento me obstrinxi, atque postea in gradibus academicis aliisque occasionibus usque septies vel octies, ni fallor, eandem obligationem contraxi. In hac denique nostra Hispania fere ab omnibus fidelibus Conceptio Virginis immaculata credita fuit;* quapropter effigies, confraternitates, altaria, piae fundationes et templa veluti huius credibilitatis testimonia tali advocatione erecta fuerunt. — Abulae, 7 Iul. 1849. *Emmanuel.*

---

953. **Eppus Santanderiensis.** — Nemo facile reperietur in hac dioecesi, qui corde non credat aut pluries ore saltem et actibus non confiteatur SS. Dei Matrem a primo instanti suae existentiae ab omni macula peccati tam originalis quam actualis seu personalis praeservatam fuisse. Nam et frequentissima est in hac regione obviantium sibi hominum haec consalutatio: ‚Ave purissima Maria sine peccato concepta‘, et nulla ad populum habetur concio religiosa, in cuius initio orator et auditores non in genua procumbant, SS. Altaris Sacramentum, et immac. V. M. Conceptionem laudibus et benedictionibus cumulaturi; vixque unquam eveniet, ut aliquod Rosarium precando percurratur, aut aliae piae preces publice aut privatim persolvantur, quin simul eadem haec clausula laudationis SS. Sacr. et Imm. Conc. terminentur, ipsisque illa brevior pro coronide imponatur: ‚Ave Maria purissima sine peccato concepta.‘ Sanctissimi etiam Sacramenti expositiones fere omnes duabus cantatis strophis hispanicis concluduntur, quae cum his, quas huc appono utcunque latinas effectas, idem metrum et eundem sensum et consonantiam habent: ‚Mirum *Sacramentum!* gloriae pignus dulce! in omni terra, sicut in coelo laudaris, laude canteris perpetua. Et *Maria,* quae exquo

primum extitit, fuit gratia plena, et ab omni labe pura, laude canatur aeterna.' Cum longa iam tempora effluxerint, ex quo omnes de BV. Conceptione lites et concertationes cessavere, et ex quo ob debitam mandatis Apostolicis obedientiam ea tantum doctrina fidelibus traditur et praedicatur, quae ipsam immaculatam fuisse profitetur; sententiae istius in hac dioecesi sectatores in eius libere et laudabiliter sustinendae possessione conquiescentes, nec adversariorum, qui nusquam apparent, impugnationem timentes, nulla re, quam quidem ego noverim, hucusque demonstrarunt se cupere doctrinam hanc apostolica definitione constabiliri. Quantum vero ad illos attinet, qui theologicas disciplinas non degustarunt, hoc unum dicere possum, eos aut magnam eorum partem adeo nihil ante hos dies timuisse aut desiderasse, ut plures aliquantulum perturbati fuerint, ubi primum ex publicatione Encyclicae Sanct. tuae litem hanc adhuc esse sub iudice intellexerunt. *Nunc* vero *omnium vota in id collimant, et conspirant, ut si veritas haec definitioni iam est matura, a Sanct. tua tamquam fidei dogma definiatur.* Dixi :,si definitioni iam est matura'; quia *hic non desunt quidam, qui, etsi Mariam in peccato originali fuisse conceptam refugiant suspicari, putant tamen eius ab hac labe immunitatem non fuisse a Deo per Scripturam aut Traditionem Ecclesiae revelatam, sed tantum fidelium pietati et reverentiae relictam.* Nam cum plures sint veritates, quae hominibus certo revelari non debent nisi in patria coelesti, quales illae fortasse sunt, quae S. Ioannem Baptistam ab omni vel levi crimine lingvae, et S. Ioseph purissimae Virginis Sponsum ab omni labe contra castitatem immunes semper fuisse tuentur: ex harum veritatum numero illam etiam esse isti autumant, quae immunitatem B. Dei Matris ab originali noxa defendit. Nimis exquisita sunt, aiunt qui sic opinantur, nimis e longinquo accersita ea argumenta, quibus piam sententiam proxime definibilem esse aliqui celebres Scriptores se demonstrare contendunt; nimis contortae interpretationes, quibus alios vel aperte repugnantes in suas partes pertrahere conantur, ita, ut nunc etiam de ipsis dicere liceat, quod de eorum antesignanis dicebat olim S. Antonius: ,Extorquent dicta eorum contra intentionem dicentium.' Atque huiusmodi coactarum interpre-

tationum notabile exemplar se invenisse perhibent in celebri dissertatione, paucis abhinc annis publici iuris facta ab Eminentissimo viro de hac ipsa materia. *(Lambruschini.)* In ea enim (prout saltem hispano sermone a. 1847. edita est) ‚Melchior Canus' inter Scriptores piam sententiam sustinentes recensetur; cum tamen illa verba, quae in eius rei confirmationem adducuntur, non ex propria persona, sed ex persona impugnantium SS. Patrum auctoritatem protulerit, nec verba illa aliud significent, quam opinionem immunitatis SS. Virginis ab originali peccato piam et laudabilem esse, id quod in huiusmodi quaestionibus ab Ecclesia non definitis quilibet aequus rerum aestimator de opinione sibi adversa ultrofateri non dubitat. Ita quidem illi, licentius fortasse quam par esset, opinantur. Ast ego, qui in purissimae Virginis gremium ex utero me proiectum fuisse confido; qui in devotissimi erga eam patrui AEppi Valentini disciplina diu versatus sum, ab eoque SS. V. Deiparam velut propriam Matrem S. Theresiae exemplo suscipere edoctus; qui vix Eppus inauguratus ipsam — et flagranti studio in primis meis pastoralibus literis tamquam certum et praesentaneum refugium omnibus dioecesanis proposui, et ardentibus votis et deprecationibus in praecipuam eorum auxiliatricem et gubernatricem adscivi, pastorium meum baculum ipsi tradens et commendans; qui denique vidi cum ingenti gaudio ab initio mei Eppatus SS. et immac. Mariae Cordis Confraternitates, quae indivulso foedere cum eius purissima Conceptione sunt connexae, late in hac dioecesi propagari ac Parisiensi Archiconfraternitati uniri: his aliisque Dei et Matris eius gratiis ac donis cumulatus, *non possum non enixe ac ex toto cordis affectu Sanct. tuam exorare, ut ad solemnem tam grati catholicis omnibus dogmatis decisionem tandem devenire dignetur; cum fixum animo teneam, eam fidelium in piam sententiam conspirationem, eas non intermissas Epporum ad Sedem Apost. pro eius definitione preces, quas in Encyclicis Literis Beatitudo tua memorat, non a dira aliqua ac impotenti cupidine, quae mentes hominum pervaserit, oriri sed a summo hominum luminumque Patre descendere.* — Santanderii, 12 Iul. 1849. *Emmanuel Raymundus.*

954. **Eppus Derthusensis.** Magno in dolore, quem in communibus miseriis capimus, non mediocrem mihi consolationem attulit Vestra Encyclica data Caietae die 2 Febr. Hisce infaustis temporibus, quibus serpit undequaque impietatis venenum, et universa pseudophilosophorum turba in religionis perniciem consociatur, nihil populo christiano iucundius evenire poterat ac gratius, quam vota sua supremo Capiti coniungere, idipsum sapere, et simul oculos in coelum levare, ut descendat auxilium tot calamitatibus profuturum. *Cum nullum sit efficacius, quam BMV. cui datum est cunctas haereses in universo mundo interimere, iure optimo Hispani omni tempore devotionem erga Deiparam impensius sunt prosecuti, praecipue vero in mysterio suae immac. Conceptionis.* Nec aliter fieri poterat, postquam devotissimus *Carolus III* olim Rex noster, cumprimum Regni huius gubernacula suscepit, suorum subditorum votis annuens, *immac. Conceptionem singularem et universalem Patronam et Advocatam Hispaniarum et Indiarum, sine praeiudicio tamen patronatus D. Iacobi, elegit, ac Summus Pontifex Clemens XIII confirmavit.* Ex hoc tempore mirum est quo zelo ac studio in Hispania cultus Conceptionis exarserit. Hinc institutus *Ordo specialis Caroli III* nuncupatus, hinc inolevit *laudabilis consvetudo,* quae vim legis obtinuit, *ut omnes Ordinibus ceteris, Universitatibus, Collegiis et Corporationibus legitime stabilitis adscripti in ingressu iuramentum praestiterint docendi ac pro viribus tuendi mysterium imm. Conceptionis;* hinc denique prodit ardentissimum promovendi eius cultum desiderium, adeo, ut dici possit, quod in nostra Hispania vix extat populus quamvis exiguus, in quo aliqua confraternitas, altare, Ecclesia, aut Capella in honorem huius mysterii non sit erecta. Omnium vota eo collimant, ut haec devotio magis ac magis augeatur: et *quod ad me, meum Clerum ac populum attinet, asserere haud dubito, nostram sententiam ab universali non esse alienam nec differre.* Quapropter, B. Pater, certus sum, quod si Deus O. M. nostras preces exaudire dignatur, et elucet nobis optata dies, in qua ceteris nostrae ss. religionis dogmatibus immaculata Virginis Conceptio adiungatur, talis declaratio populo christiano erit grata,

Hispanico gratissima. — Derthusae, 22 Iul. 1849. *Damianus*.

---

955. **Eppus Iaciensis.** — Post auditam Capituli Cathedralis sententiam, et postquam Cleri populique fidelis erga immac. V. conceptum devotionem in meae dioecesis visitatione propriis oculis conspexi, calamum arripui quamlibenter ad meam hac de re opinionem palam aperiendam. *Piae* igitur *sententiae dogmatice definiendae, et tot catholicorum votis praesertim ex ordine Eppali satisfaciendi tempus advenisse arbitror.* Sic enim pene omnium animis insita est de immaculato BV. conceptu firma persvasio, ut scandalum apud simplices non dubito quin patiamur de hac quaestione verba facientes, nisi ea ita temperemus, ut nullum dubium de immac. Conc. exhibentes de quadam solemnitate duntaxat agi ostendamus. Et re quidem vera tam *universalis* tamque *pene omnium doctorum et indoctorum hodiernus consensus in conceptu Virginis immaculato asserendo, non obstantibus quibusdam SS. Librorum locutionibus, omnes homines in Adam peccavisse affirmantium, nulla ratione apposite explicari mea quidem sententia potest, nisi quodam Spiritus S. instinctu Ecclesiae semper adstantis, quo locutiones illas in sensu exceptitio in BV. favorem accipiendas esse docemur.* Quod ne cui mirum forte videatur, satis erit animadvertere, hanc et alias similes locutiones in multis offendimus omnes in sensu exceptitio esse pariter intelligendas, nisi velimus sanctissimam Mariae vitam quibusdam saltem labeculis deturpatam asserere, a quo quidem aures christianae semper abhorruere. Quid quod huiusmodi exceptionem in primaevo oraculo, quod protevangelium dicitur, insinuatam saltem agnoscere opus est? de muliere siquidem, quae κατα εξοχην Maria intelligenda est, magnum quid ac singulare portenditur ad inimicitiam ipsam inter et draconem pertinens. Quodsi sanctificata tantum post contractam labem originalem in utero materno fuisset, quid magnum ac singulare hac in re habuisset praeclarissima Virgo prae Ioanne B. ac fortasse Ieremia? Inimicitias ponam, inquit Deus, inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius. Si ergo semen

mulieris, quod est Christus, nullo non tempore cum dracone inimicitias gessit, idem de muliere sentiendum esse verborum sacrorum contextus, et, ut ita dicam, parallelismus satis nobis insinuat. Inimicitias igitur veteres, inimicitias aeternas Mariam inter et draconem agnoscamus oportet, sicut Christum inter et draconem. Quodsi BVirgo vel temporis puncto peccati originalis labe inquinata fuisset, non semper draconis inimica esset praedicanda. *Verbum etiam Dei traditum in piam sententiam conspirare videtur.* Siquidem haud pauca Sanctorum antiquiorum dicta, libri liturgici, Conceptionis festum, quo ipsius puritatem celebramus, et, quod fortasse meum animum magis percellit, viva Ecclesiae vox ubique terrarum immaculatum Virginis conceptum per suos ministros e suggestu praedicantis, et Pastorum Pastore contrariam sententiam populis instillari vetante, totidem sunt argumenta, quae rem mihi svadent imo et persvadent. *Quodsi a pia sententia veritas abesset, tentatum me sentirem, ut piissimi viri verba etiam in hoc argumento usurparem: Domine, si error est, a te decepti sumus.* Fateor quidem SS. Bernardi, Thomae Bonaventurae, et Antonini dicta, qui traditionis organa sunt haud spernenda, non parum hac in re negotii facessere. At excusandi ii Ecclesiae Doctores, cum maxime haec controversia in scholis ferveret, scribentes, mihi potius videntur, quam trahendi ad piam sententiam impugnandam. Quidquid enim sit de vera nonnullorum saltem sententia, fateri oportet parum nota eis fuisse haud pauca Sanctorum antiquiorum scripta. Adde quod nondum accesserat nec Rom. Pontificis festum approbantis auctoritas, nec pene omnium catholicorum consensus, qui hodierna die viget ubique. Quin et ipsimet Doctores eiusmodi posuerunt principia, ut eos in piam sententiam ituros, si hac aetate viverent, minime dubium videatur. Bernardus enim et Thomas BVirginis ortum sanctum affirmabant, quia eum Ecclesia celebrat. Si ergo Virginis etiam conceptum ubique iam nunc celebratum viderent, abs dubio piam sententiam ambabus ulnis amplecterentur, nisi alogicos seu secum ipsis pugnantes vellemus eos traducere. Ad secundum gravis huius quaestionis caput gradum faciamus, an scilicet tempus advenerit, in quo pia sententia dogmatice ab Ap. Sede definiri possit. *Veritas de immac. V.*

Conceptu diebus nostris sic maturuisse videtur, ut tuto ab Ap. Sede definiri valeat. Si enim, ut cum I. Perrone dicam, id omne ac solum definitionis dogmaticae est capax, quod in Verbo Dei scripto vel tradito sive implicite sive explicite continetur, si denique id existimandum est in Verbo Dei contineri quod est in SS. Bibliis aliqua ratione insinuatum, et in Patribus continuata serie ad plura secula testatum invenitur, et in universali Ecclesiae consvetudine, quae in principio theoretico innititur, et in iugi Ecclesiae ac vivo magisterio, et in publico communique fidelium sensu receptum est, et in Pontificiis diplomatis aperte saltem suggestum, et a plerisque ex Eppatus ordine expetitum, et a cunctis fere religiosis familiis admissum, et a florentissimis Academiis defensum: cum talis sit pia de immac. V. conceptu sententia, rite infertur, sufficiens ad eam definiendam haberi fundamentum, ita, ut tuto possit Ecclesia seu Romanus Pontifex hanc dirimere controversiam. Sententia Conceptioni immaculatae adversa iamdiu siluisse videtur, et, quod ad meam dioecesim attinet, fore definitionem laetissime excipiendam affirmare non dubito. Nam ita omnium animis est insita ac inviscerata pia sententia, ut moribus etiam publicis passim erumpat. Si enim fideles, dum aliquem invisunt, sive in viis alii aliis occurrunt, his verbis vernaculo idiomate salutem dicere sibi invicem consveverunt: ‚Ave Maria sin pecado concebida.' Quod quidem salutationis genus in multis aliis ne dicam omnibus Hispaniae dioecesibus videre est. Nihil hoc mirum videri debet. Semper enim Hispania nostra, postquam a BVirgine adhuc in vivis agente apud Caesaraugustanos fuit visitata, in eam ardentissima devotione flagravit ac tandem in Patronam sub immac. conc. mysterio sibi adscivit. Haud dissimulandum quidem est, Ecclesiam suas dogmaticas definitiones edere non solitam esse nisi quadam necessitate compulsam ob haereticorum praesertim impugnationem, nullumque ab eis speciale bellum adversus immac. V. Conceptionem diebus nostris moveri, quod expetita definitione forte recrudesceret. Sed de haereticis hac in re nullam habendam esse rationem mihi persvasissimum est, utpote qui ex eis docti et eruditi audientes magna ex parte in Rationalismum transierint, ac in profundum venerint, has et alias huiusmodi

controversias omnino contemnentes. Catholici autem, si magno numero essent imm. Conceptionem impugnantes, nonnihil negotii facessere possent. At cum parvo numero esse videantur, qui temporibus nostris piae sententiae non adstipulentur, eos Ecclesiae dispersae votis a Sanct. Vestra ponderatis ac solemniter pronunciatis reverentia quadam erga Doctores hactenus aliter sentientes exhibita haud refragaturos confido. Quodsi nullam definiendi controversiam obtrudant necessitatem, necessitatem huiusmodi sese in Ecclesiae Cath. sinu diebus nostris exeruisse dicendum erit tot virorum ex ordine praesertim Eppali postulationibus satisfaciendi, qui definitionem a Sanct. Vestra et a bon. mem. praed. Gregorio XVI ardentissime flagitarunt. — Meam de gravissima hac controversia hactenus opinionem exposui. At non abs re arbitror, Sanct. Vestram certiorem facere, *in celeberrima Salmanticensi Academia*, ubi diu lingvam graecam docebam, *nonnullos esse haud infimi subsellii Theologiae Doctores, qui nedum Verbum Dei scriptum vel traditum piae sententiae favere, ipsi omnino contrarium esse mordicus contendunt, quin et a definitione, ad Ecclesiae vitam, ut ipsi dicunt, minime necessaria, et scissionem ac turbas forte excitatura abstinendum firmissime tenent.* Magnam quidem hac de re concertationem cum magistro meo *Paschali Sanchez* doctore theologo Salmanticensi ex Dominicana familia per epistolas nuper habebam, quem quidem consulendum duxi utpote omnigena eruditione praestantem. Adde quod duo opera MSS. e S. Stephani conventus Salm. Bibliotheca secum adduxit, cum tempestate fremente e claustris sunt expulsae omnes Hispanae religiosorum familiae: alterum a *M. Herrera* primariae Salm. Cathedrae theol. moderatore ac postea Eppo elaboratum, alterum a *M. Ferre* improbo labore elucubratum; utpote qui, ut falsam demonstraret Marraccii assertionem, Patres tam Graecos quam Latinos pro pia stare sententia affirmantis, omnes singillatim trutina expendit, editionis locum, capitulum et paginas citat, ac denique concludit verissimum esse illud S. Antonini effatum de imm. Conceptionis assertoribus : extorquent antiquorum dicta contra intentionem dicentium. Fateor Mss. haec

me non legisse, nec de eis proprium iudicium ferre posse: attamen nullus dubito, quin verissimum sit magistri mei dictum, nihil in eis desiderari, quod ad magnam lucem toti huic quaestioni afferendam conferre valeat, nihil quod non sit examinatum ac perpensum, ita ut tamquam opera magistralia controversiam latissime pertractantia sint expectanda ac veluti promtuaria quaedam, unde argumenta sua depromunt adversarii tum ad Imm. Conc. impugnandam, tum ad improbandum definitionis propositum. Vellem, duo haec MSS. a theologorum coetu prius examinari, quam quidquam de gravissima quaestione decernatur, ne in illud incidamus: qui inaudita parte aliquid statuit, licet aequum statuat, ipse tamen aequus non est. — Iacae, 2 Aug. 1849. *Michael.*

---

956. **Eppus Pampelonensis.** — Toto cordis affectu Encyclicam amplexatus sum, cor meum in ipsa dilatatum est, et abundantius existens aemulator piissimorum affectuum, quos Vestra Paternitas in ipsa exprimit, vocem meam ad Clerum et populum dirigere animo volenti festinavi. — Magna et innata est pietas et cordis voluntas horum fidelium ad omnia, quae deserviunt cultui et splendori BVMariae; huius rei luculentissimum testimonium est, quia cum disparuissent in his angustiis temporum et perturbatione omnium iurium et Religiosae Familiae, et legata pia, quibus ipsius cultus retroactis seculis splendide agebatur, nihil tamen deest: adest enim thesaurus inexhaustus fidelium devotio; horum enim largis et superfluentibus eleemosynis aluntur et foventur solemnitates Virginis Beatissimae, quae magnam sibi sub quolibet titulo conciliat devotionem, specialem tamen sub titulo immac. Conceptionis ab Hispanica natione sibi depromsit, in ipsa enim sub hoc titulo recolitur et veneratur uti patrona et advocata universalis; in Universitatibus et Academiis ad haec usque tempora, in quibus innovantur omnia, iuramentum praestabatur de immac. conc. defendenda ab omnibus ad licentiatus et doctoratus gradum provehendis; agnoscitur etiam Regius Ordo sub eodem titulo a Carolo III fundatus; univer-

salis est veneratio, quam Hispani omnes profitentur huic mysterio, adeo ut simplices fideles mirentur, ut in dubium vertatur, quod ipsi certissime tenent. *Universale est desiderium, quo Clerus vehementer exoptat, ut ab omnibus tamquam dogma catholicum firmissime credatur, quod usque nunc tale piissime creditur; ut B Virgo toto terrarum orbe conclametur a Domino praeelecta, a massa corruptionis praeservata, et in ipso animationis momento tota pulchra et immaculata.* Quoniam B. V. noscere vel maxime cupit, quid ven. fratres de re ipsa sentiant quidve exoptent, — cupiens ego insinuationi respondere, in re tanti momenti pro modulo et exiguitate ingenii mei quid sentiam indicabo. *Augustissima dignitas,* ad quam inter omnes mulieres sola Maria assumta est, nempe ut esset *Mater Dei et Genitrix sui Creatoris,* exigere videbatur, eam omnium donorum, carismatum et privilegiorum plenitudine repletam inveniri; et si verum est, quod in *S. Scripturis* nihil expresse et explicite asseratur de singulari gratia, de qua hic agitur, implicite tamen et virtualiter ipsa cognoscitur, dum in Gen. 3, 15. serpentem Dominus maledicens, mulierem praesignavit, cum qua inimicitias irreconciliabiles haberet, et ipsa contereret caput suum. Haec mulier est Maria; inimicitiae inter ipsam et serpentem positae sunt ordinis spiritualis, permanentes et perpetuae, virginem ducentes a peccato funestissime per protoparentes perpetrato; quod quidem peccatum cum sit initium omnium peccatorum, radix et origo omnium calamitatum, quas veternosus serpens humano generi invexit, ipsum etiam est caput illud a muliere benedicta conterendum, et in plenitudine temporis virtute pedis Mariae triumphaliter quassatum et contritum: ipsa enim iuxta S. Ephrem draconis nequissimi caput contrivit, et iuxta Damascenum ad ipsam serpenti aditus non patuit. Cum ergo BVirgo draconis dirum caput, originale nempe peccatum et per seipsam et per filium suum Salvatorem nostrum revera contrivisset, haud dici potest peccati mortifera labe ullo unquam tempore infecta fuisse. Si scripta *SS. Patrum,* qui ab initio nascentis Ecclesiae floruerunt, lustrare velimus, invenientur luculentissima testimonia, quibus immaculata Conceptio V. Mariae abunde roboratur; sed quoniam nimis longum esset omnia

enarrare, sufficiat Augustini et Anselmi et D. Thomae auctoritates in medium proferre. Augustinus cont. Pelag. l. de nat. et gr. inquit: Omnes peccaverunt sola excepta Virgine Maria. Et adv. Iulianum redarguentem ,doctrina transfusionis peccati originalis B. Mariam graviter offendi, eam subiiciendo diabolo conditione nascendi', respondit: non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi' sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi. S. Anselmus ait: decens erat, Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi. Quae quidem puritas in sola exemtione ab originali et actuali peccato verificari potest; nam, ut ait Angelicus in lib. Sent. dist. 44. puritas intenditur per recessum a contrario; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas BV. quae a peccato originali et actuali immunis fuit. Doctores non pauci et theologi primi ordinis suis scriptis hanc rem valde illustrarunt; et quamvis disputationi silentium impositum non fuisset, et hinc et inde creverit controversia, piam denique sententiam Doctor Subtilis tanta soliditate propugnavit, ut ad eam Universitates et collegia perillustria attraxerit. Post Conc. Basileense, in cuius Sessione 36 sancitum est, doctrinam de immac. Conc. piam esse et conformem fidei et Ecclesiae Catholicae necnon et rectae rationi, et quam omnes amplecti deberent, recruduerunt disputationes; qui excessus ut cohiberetur, Sixtus IV varias edidit Constitutiones, in quibus sub gravissimis poenis prohibuit, ne qui hinc et hinc sentirent, sententiam contrariam censurarent. Deventum est ad Conc. Tridentinum, et in Congregationibus praeparatoriis ad Sessionem 5 super peccatum originale de Conceptione Virginis quaestio promota et discussa est: maior pars Patrum stabat pro pia sententia; unioni tamen et bono pacis consulentes, reique arduitatem in consideratione habentes, ad definitionem dogmaticam de peccato originali contra haereticos se contraxerunt, expresse tamen declarantes, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem, sed observandas esse Constitutiones fel. rec. Sixti IV. Conci-

lii declaratio et exceptio, quam de BVirgine expressit, ipsam honorans titulo Immaculatae, pondus et auctoritatem piae sententiae conciliavit, quam Summi Pontifices posterioribus Constitutionibus corroborarunt: S. Pius V mandans celebrari sub praecepto in universa Ecclesia festum Conceptionis, et damnans in Constitutione confirmata per Gregorium XIII propositionem 73 Baii, [quae affirmabat BVirginem mortuam esse propter peccatum ex Adam contractum; Paulus V a. 1616 prohibens sub poenis et censuris, ne quis in actibus publicis sive religiosis sive literariis dicere audeat BMariam sub peccato fuisse conceptam; Alexander VII a. 1661. confirmans Constitutiones, quas Praedecessores in favorem piae sententiae ediderunt. Haec omnia ita piam sententiam erexerunt, ut contraria in silentium sese recludente sine circulatione ipsa haereret; atque ita factum est, ut contra huius sententiae defensores praevaleret pia sententia illorum, qui cum Patribus Conciliorum Basileae et Tridentini conclamabant tale mysterium proxime definibile, et ad iudicium dogmaticum sufficienter illustratum. Et certe si attendatur cultus solemnis in nonnullis Ecclesiis primo exhibitus tacita RR. PP. approbatione, deinde ad universam Ecclesiam ex ipsorum mandato propagatus; si considerentur preces supplicationesque Epporum et Principum ad Sedem Ap. elevatae, ut rem dogmatice definiret, et collationes, quas praeclarissimi Theologi inter se habuerunt ad remittendas preces Philippi IV Regis Catholici ad Alexandrum VII: non obscure perspicietur, Ecclesiam proclíviorem fuisse in piam sententiam, quae seculorum transcursu talem certitudinem nacta sit, ut sola desideretur formalis definitio qua in fidei dogma evehatur. Huc etiam spectant voces illae explicitae et determinatae, quibus erga Virginis Conceptionem Romani Pontifices ultimis temporibus utebantur, — indulgendo, ut in Litania Lauretana diceretur Mater Immaculata. (1767) Gregorius denique XVI hisce nostris temporibus — concessit, ut in Praefatione Missae adderetur: ‚Et te in Conc. Immaculata', et in Litania: ‚Regina sine labe concepta'; et nniverso Ordini Praedicatorum indulsit privilegium celebrandi festum imm. Conceptionis eadem solemnitate ac Annunciationis, Assumtionis, et SS. Rosarii: haec abs dubio magnam illu-

strationem et lumen huic rei novissime dederunt. Huius mysterii delineatio manu Omnipotentis in Scripturis S. designata, ad nos usque pervenit quasi semen absconditum et mysteriosum, erumpens super obstacula, et germinans copiose rore vivifico traditionis, irrigatum etiam et elaboratum zelo et auctoritate Conciliorum, Summorum Pontificum, et Praelatorum ea prudentia et gravitate, quam et res tanti momenti exigebat, et reclamare videbatur debita consideratio erga tot pios et eruditos, qui bona fide et purissima adhaesione S. Ecclesiae contrarium sentiebant. His omnibus praehabitis opportunum mihi videtur pro huius rei coronide transscribere verba Benedicti XIV fel. rec. in fine tractatus huius festivitatis: ‚Declaramus toto nos animo Immaculatae Conceptionis BMariae sequi sententiam, Ecclesiae Sedisque Apost. propensionem in eam sententiam demisse venerari, firmiter tamen allatis Pontificum RR. Constitutionibus adhaerere.' Talis est hac de re mea sententia. — *Magnum mihi adest desiderium, vehementer exopto, ut afflante Spiritu S. lumine claritatis eius appareat definibile istud mysterium, et ad dogma catholicum per Sanct. V. ex cathedra veritatis provehatur:* ut a solis ortu usque ad occasum omnes uno ore honorificemus sanctum nomen eius qui potens est, et magnifica fecit in Virgine Maria: plaudamus etiam manibus praecelsam Deigenitricem super aquas diluvii in sublimi collocatam; gratissima enim sibi futura esse pia desideria et munificentissime rependenda quis unquam ambigere potest? in ipsa enim, in qua nostrorum stat expectatio proemiorum, validissimum nobis promittimus affuturum auxilium et Ecclesiae Cath. et Vestrae Beatitudini his luctuosis temporibus, quae minime abhorrescenda sunt, sed ad correptionem generis nostri accidisse reputanda; sperandum nobis est, ut profligato nequissimo serpente, cuius afflatibus tam magna corruptio inficit genus humanum, vitiorum sordes abstergantur, reformentur mores, et bonus odor virtutum in domo Dei diffundatur. — Pampelone, 9 Aug. 1849. *Severus.*

---

957. **Eppus Seguntinus.** — *Almae Redemtoris Matris sine labe passiva Conceptio adeo communis et universalis sententia apud nos est, ut asserere liceat pene tamquam dogma fidei a permultis haberi.* Templa sub Conceptionis titulo undequaque patentia, virorum feminarumque advocationis eiusdem monasteria, sodalitia et confraternitates, Hispaniarum et Indiarum BMariae patronatus in conc. immac. mysterio, assidui usque nunc cultus in Virginem Matrem in gratia conceptam praestiti, iuramenta denique a pluribus Institutis Collegiis Universitatibus Ordinibus de nitida BM. Conceptione propugnanda passim facta luculentam probationem, irrecusabilia ostendunt testimonia permagnae devotionis erga illibatam Deigenitricis Conceptionem: unde valde gratum ipsis fore existimo, si authenticum supremum ex Petri Cathedra prolatum iudicium audirent de singulari Reginae coelorum privilegio absque originalis peccati macula conceptae. Sentiunt quippe decuisse Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi; sapientiam, quae Dei erat et Deus erat, aedificasse sibi domum et dignum Deo habitaculum, ipsam nempe Matrem sibi praeparasse; nil esse splendoris, nil candoris, nil virtutis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa, quae neque serpentis persvasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta est. Eo firmius hanc sententiam stabilitam habent, quo idem mysterium saltem quotannis cernunt his in locis celebrari officio per Apost. Sedem approbato, doctrinam eandem exprimente. Iamvero, SS. Pater, *a Cleri et populi sententia et votis mea vota et sententia non differunt, nec sine grati animi sensu certior efficerer de praefati mysterii dogmatica definitione.* Pari consilio utuntur, non absimili desiderio flagrant praecipue Cathedralis et insignium Ecclesiarum Capitula per me singulatim exquisita. — Seguntiae, 15 Aug. 1849. *Ioachim.*

---

958. **Eppus Cordubensis.** Episcopus Cordubensis in provincia Andalusiae regni Hispaniae ad pedes Beatitudinis Tuae humillime prostratus maxima cum veneratione exponit, se illo momento, quo Encyclicam Pontificiam Caieta de secunda Februarii huiusce anni missam percepit, gratissimam et

intimam consolationem persensisse in medio afflictionis continuae, quae eum circumdat, a quo altis et incomprehensibilibus iudiciis Dei amara incepit tribulatio, qua impietas et ingratitudo prudentiam, constantiam, fortitudinem, aliasque sublimes virtutes Beatitudinis Tuae terribili modo labefactare conantur. Instructus tenore tam pretiosi documenti de suprema Tua voluntate, beneque securus de aviditate et sensis filialis amoris ac venerationis, qua Clerus ac populus Dioecesis meae eandem essent amplexuri: Epistolam Sanctitatis Tuae mox pervulgavi praecipiendo, ut sine mora fierent in omnibus Ecclesiis preces publicae ad eum finem, ut Pater Clementissimus universi Sanctitati Tuae propitius esse, et lucem Divini sui Spiritus infundere dignetur, ad obtinendum successum tam ardenter desideratum in negotio gravissimo declarationis dogmaticae mysterii profundi de purissima et immaculata Conceptione Mariae Sanctissimae Virginis Dominae nostrae in primo instanti suae animationis. Quanto gaudio Clerus et populus Cordubensis spectatissimum hoc mandatum apostolicum exceperit, exprimere vix valet Episcopus, adeoque in locum completae relationis de zelo et animositate inexplicabili cogitur se restringere ad manifestandum, *quod simul ac dispositio sua de peragendis precibus publicis inter subditos eius divulgata est, iam videbatur effectu completa, apparentibus undique argumentis evidentibus verae compunctionis, affectusque plenae devotionis, ac firmissimi et pii desiderii, ut exaudiente Omnipotente sancta vota Patris omnibus fidelibus communis insonet quo ocyus e sacro solio Successoris B. Petri veneranda declaratio Apostolica, quam a saeculis anxie desiderat mundus catholicus, praesertim vero religiosa Hispania, in qua a throno ad pauperrimum usque tugurium ubique sunt signa minime dubia devotionis firmae ac illimitatae erga augustum mysterium Virginis Mariae immaculate conceptae, quod in tota Monarchia celebratur cultu tam frequenti, tamque solenni, quam quaevis alia festa principalia universalis Ecclesiae.* Episcopus libenter uteretur occasione hac ad ostendendum amplissime humillimeque Sanctitati Tuae, quam antiqua simul et quam solida beneque fundata sit adhaesio et devotio dioecesanorum suorum erga mysterium purissimae Conceptionis, quamque firmae et graves

fuerint ac sint rationes, quae plus una vice iam antea eos impulerunt, ut humiles suas preces ad Summos Pontifices dirigerent, et declarationem huius doctrinae tamquam articuli fidei ab iisdem postularent; pia enim fides, quae a tempore immemorabili efformat traditionem constantem ac non interruptam apud totam nationem, specialissime fovebatur Cordubae a zeloso eius Clero assiduitate non minori quam claritate, proponendo ac inculcando per extensum, quantum conveniebat populis, in sermonibus ac colloquiis doctrinalibus motiva validissima, quibus illa doctrina innititur, non omittendo ea, quae e Libris Sacris, decisionibus S. Conciliorum, decretis ac con stitutionibus Pontificum, scriptis Patrum Ecclesiae, operibusque Theologorum celeberrimorum profundaque sua scientia spectatissimorum petuntur. E tam copiosis ac pretiosis fontibus facile est abundantissimos derivare doctrinae rivos ad demonstrandum, veritatem hanc, si nondum iis, quae solenniter et in terminis ab oraculo infallibili sunt declaratae, adnumeratur, continere in se certitudinem et notas omnes, quae desiderari possunt, ut tamquam proxime definibilis considerari possit, ad maiorem Sancti Nominis Dei gloriam, laudem Beatissimae Virginis Mariae, et utilitatem Ecclesiae militantis. Ad hanc facilitatem congerendi demonstrationes scientificas huius materiae conferre etiam posset multitudo operum insignium et inaestimabilium, quae nobis temporibus praeterlapsis auctores hispani et exteri, quos scientia et sanctitas summopere commendat, reliquerunt, quibusque plura nostris diebus in lucem edita addere aequum est, inter quae non numerari non possunt opera Eminentissimi Domini Cardinalis Lambruschini et illustris Theologi professoris in Collegio Romano Ioannis Perrone, utpote quae maxime sunt notabilia atque clarissima. Tantis et tam securis ducibus praeeuntibus, inquit referens, gratum minimeque difficile illi foret, ample doctrinas piamque fidem illorum exponere, ac simul invariabilem constantiam ostendere, qua paratus est implere iuramentum, quo se inde a primis annis in susceptione graduum academicorum, aliisque circumstantiis, in quibus illud legibus ecclesiasticis et civilibus conformiter, ab eo exigebatur, obstrinxit, defendendi hoc mysterium: nihilominus quum non id prae-

cise sit, quod in praelaudata Encyclica, cui hisce obsequi conatur Episcopus, praecipitur, sufficiens esse indicat manifestare, in quonam statu opinio ac devotio publica erga mysterium immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae in Hispania generatim reperiatur, quidque speciatim Episcopus Cordubensis sentiat, una cum vehementibus desideriis Cleri ac populi, ut quo ocyus insonet solennis declaratio dogmatica Sedis Apostolicae, Sanctissimam Virginem Matrem nostram in sua benedicta Conceptione fuisse ab omni umbra culpae originalis plane immunem.

Quod ad primum attinet, videlicet *ad manifestationem stadii, in quo opinio et sublimis gradus devotionis Hispaniae catholicae erga sacratissimum mysterium, de quo agitur, reperiatur*: *nihil forte est magis opportunum ad hoc requirendum quam lectio et examen reflexivum legum civilium de hac re agentium, in quibus ex una parte veneranda antiquitas huius fidei, piaque devotio Hispanorum est manifesta, ex altera vero parte apparet religiosus in illa promovenda zelus Principum,* inter quos sine dubio eminet gloriosae memoriae *Carolus III,* qui benigne exaudiens humiles preces Ordinum, principaliumque Corporationum regni Virginem Dominam nostram in praefato mysterio immaculatae Conceptionis accepit in singularem et universalem Patronam et Advocatam omnium Statuum et dominiorum sine praeiudicio Patronatus S. Iacobi, qui iam antea in iisdem vigebat, obtinendo a S. Sede approbationem et confirmationém per Breve Apostolicum de die 8-a Novembris anni 1760, per quod insuper preces et officium in forma maxime solenni concessa sunt, ampliata deinde magis per Brevia posteriora. Ex eodem ardenti zelo Caroli III eiusque subditorum processit institutio Ordinis excelsi regii die 19-a Septembris 1771. sub protectione Mariae Sanctissimae immaculate conceptae tamquam Patronae Ordinis, cuius caput ac magister est sua Maiestas. Non aliam originem habent, nec alium manifestant sensum leges, quae ab iis, qui ad Gradus apud Universitatem regni promoventur, exigunt iuramentum defendendi saepe dictum mysterium, et quae aliis temporibus crearunt et conservarunt Congregationem regularem appellatam ab Immaculata Conceptione, cuius scopus est inquirere ac defendere ea,

quae ad hoc mysterium pertinent, promovereque declarationes et decreta pontificia ac regia „donec definitio finalis obtineatur“, quae sunt verba Legis XIX. Tit. I. Lib. I. novissimae collectionis. Quae quum ita sint, Sanctissime Pater, fierine potest, ut sit aliqua natio, quae non afferat alia testimonia devotionis ferventis, et vehementium desideriorum, ut Beatitudo Tua declaret immunitatem Mariae Sanctissimae ab omni macula peccati originalis in primo instanti suae vitae naturalis? Videtur id esse negandum, et consequenter non opus est plura quaerere, quibus probetur id, quod omnes tantopere anhelant ac postulant tamquam gratiam immensi valoris, cui, ut ita dicam, character etiam negotii Status quodammodo tribuitur in his eminenter religiosis et exclusive catholicis terris. Attamen spectando particulariter *Dioecesim Cordubensem*, sunt insuper facta et gesta specialia ex omnibus temporibus, quae nos docent civitatem hanc et episcopatum, tam insignes in diversis epochis nostrae Historiae, *eminuisse semper in fovenda devotione sua erga mysterium Conceptionis purissimae nec non incessantibus votis et desideriis declarationis solennis.* Certe, plus quam probabile est, et in tota Boetica ac reliquis provinciis hispanicis conditas ac servatas fuisse iam ante irruptionem Saracenorum sublimis expressionis doctrinas proclamatas energice inter caeteros seclo VI et VII ab incomparabilibus Sanctis Fulgentio et Ildephonso in laudem Reginae coelorum, suaeque immaculatae Conceptionis. Neque etiam negari cum ulla specie veritatis potest, piam hanc et intimam fidem intactam mansisse inter eos fideles et constantes christianos, qui fidem et doctrinam maiorum suorum conservarunt in medio periculorum et persecutionum, quarum minis semper expositi, quarum saepe victimae fuerunt; verum silentio praetereatur longa illa et infortunata periodus, qua gladius Maurorum colla Hispanorum meridionalium diutius quam reliquorum in Peninsula habitantium premebat: transeundo ad aeram Restaurationis, nominatimque spectando annum 1236, quo S. Rex acquisivit Cordubam, inveniemus profecto statim proclamatum, solennissimoque cultu celebratum mysterium Immaculatae. Sic concluditur ex eo, quod non multo post reperiamus in illa Ecclesia Matre adnotatam dotationem pro annua festivitate,

positumque in Breviario dioecesano ritum ac modum, quo festum illud constituitur celebrandum cum Octava et declaratur primae classis. Simili modo res se habuit annis sequentibus, quibus solennitas et devotio augmenta capiebat, prout deducitur e fundatione Conventus religiosorum Cisterciensium sub tutela Conceptionis anno 1506 et ex erectione duarum Capellarum in Ecclesia Cathedrali annis 1521 et 1571 eiusdem tituli. Nec erat minor fervor et devotio externa in reliquo populo, quam in Ecclesia principali et eius Capitulo; quare et recens servatur adhuc memoria clamorosi illius tumultus popularis, cui occasionem dedit imprudens temeritas religiosi cuiusdam ex Ordine S. Dominici, qui die 8-a Decembris 1614 praedicans locutus est de hoc mysterio minus modeste, audens impugnare communem ac piam fidem; eventus, qui graves habuit consequentias, displicentiamque et rancorem suscitavit in Praelato et eius Capitulo, quod una cum civitate vovit splendidas functiones satisfactionis, et novas manifestationes sui sensus religiosi. Tam certum erat per illam iniuriam creditam esse offensam piam fidem et devotionem communem Cordubensium! Item notum est *anno 1816 celebrem ac doctum Canonicum Bernardum Alderete spiritu pietatis ductum direxisse ad S. Sedem super hoc obiecto literas notabilissimas, quibus nomine Episcopi et Capituli petiit, ut S. Sedes Conceptionem immaculatam Mariae Sanctissimae definitive declarare dignaretur,* exemplum, quod plures deinde Praelati secuti sunt, Capitula item, civitates et Universitates Hispaniae. Eodem modo efficax et constans est devotio erga mysterium Conceptionis in omnibus populis Dioecesis prout in Ecclesia Matre; et notandum est inter aliquos ex illis reperiri exercitia specialissima, quae, qualiacunque de caetero sint, semper manifestant principium laudabile, e quo procedunt, et veritatem ac profunditatem sensus religiosi, cui innituntur. Et re sane vera vix invenitur amplius populus aliquis, qui non habeat eremum, confraternitatem, capellam aut altare dedicatum Conceptioni, quique communibus pietatis exercitiis non adiungat aliquod speciale; reperimus e. g. in loco dicto ‚Palma del Rio' messores absoluta messe offerre suas falces imagini Conceptionis et sequenti anno eas redimere antequam rursus locent suos

labores. ‚Baënae', loco considerabili, pharmacopolae die 8-a Decembris magno apparatu adornant suas apothecas in honorem Virginis, illoque die medicamenta vendunt dimidio pretio. In aliquibus partibus Congregationes renovant quotannis iuramentum defendendi Conceptionem immaculatam Mariae; in aliis denique in vigilia festivitatis ieiunant, abstinentiam aliasque mortificationes observant; hinc inde etiam urbes splendide illuminant, et novemdialia celebrant, aliosque actus devotionis et gaudii peragunt. Hinc sine dubio repeti debet, quod in ultimis rogationibus per Encyclicam praeceptis observata sit maxima devotio et fervor ac modestia, quae pios observatores aedificavit, evidenterque ostendit, preces publicas omnino fuisse conformes sanctis et sublimibus intentionibus, quibus omnes abundabant. *Potest igitur et debet Episcopus Cordubensis maxima cum persvasione testificari, Clerum suum et populum conservare hodie in altissimo gradu devotionem, in qua maiores eorum eminuerunt, erga mysterium purissimae Conceptionis Dominae nostrae, nihilque eos magis desiderare, quam ut illud Beatitudo Tua in virtute plenitudinis suae potestatis* „ex cathedra" *tamquam veritatem fidei Ecclesiae catholicae definire dignetur.* Quod ad Referentem attinet, is Beatitudini Tuae humillime obediens modo maxime solenni profitetur, se inde a sua iuventute tenerrimam Sanctissimae Virgini Mariae exhibuisse devotionem, venerando eam specialissime in mysterio suae immaculatae Conceptionis, amplexumque toto corde esse doctrinam tam piam et sanctam, quae, si ob altas rationes, quas revereri debemus, non est usque hodie definita, forte non multis post diebus definietur. Quam ob rem *Episcopus cordialiter unit vota sua tenuia votis magis valentibus caeterorum Praelatorum Ecclesiae*, quumque iam concessa sit insertio vocis „Immaculata" in praefatione Missae de Conceptione Dominae nostrae, sperat plenus fiducia, tandem aliquando totaliter exauditum iri desideria tam laudabilia ac sincera, qualia sunt, quae pro obtinenda definitione dogmatica ad Sanctitatem Tuam diriguntur; hoc equidem honori erit Matri Dei, gaudiumque ineffabile afferet toti Ecclesiae, et gloriam sempiternam eius supremo Pastori. — Matriti, 10 Sept. 1849. *Emmanuel Ioag.*

959. **Eppus Ovetensis.** — Uno verbo dicam, ingenti cultu, festivissima pompa, communi plausu, tam Clerum quam populum immaculatam conceptionem ex affectu cordis celebrare, iamque ab antiquis temporibus celebrasse. Cum sit valde exploratum, *omnes Christifideles circa hunc articulum unius esse labii, et maximo afficerentur scandalo, si vel minima de immac. Conc. quaestio moveretur*, et sic undique resonent voces utriusque sexus, omnisque aetatis, laudantes ac venerantes BVM. imm. conceptionem, *ut iam haec vox constanter adeo in dioecesi, universa Hispania, imo in toto orbe personans indicium sit, quod non videatur fore haesitandum supremo Numine afflante efformari: forsitan venit plenitudo temporis ad hunc articulum declarandum.* Unctio S. Spiritus docebit Beatitudinem Vestram, et ad veritatem suggeret definiendam : quod assiduis orationibus Deum deprecor, atque *ut obediens Sedis Apost. filius eius definitionem expecto*, quam Deo fore gratissimam spero. — Oveti, 18 Oct. 1849. *Ignatius.*

---

960. **AEppus Compostellanus.** — Responsiones ex partibus cunctis Dioecesis ad me perlatae pergratae sunt atque periucundae: in omnibus mirifice apparet, *unam omnium esse sententiam, unumque desiderium, quae apprime consonant praeclaro pientissimoque fini a Sanct. Vestra proposito*, et cuius prosperum eventum magnopere exoptant universi fideles vere pii vereque devoti. *Super tanti momenti re eadem sunt purissima vota et Cleri et populi*, et iste et ille magno superabundant gaudio, credentes prope esse iam optatum fortunatissimum diem, in quo ipsorum piam fidem, qua cultum et obsequium exhibuerunt semper immac. Conceptioni BMV. solemni iudicio Ap. Sedis solidandam corroborandamque esse conclament. Etenim devotio erga clementissimam Dei omniumque nostrum Matrem sub Conceptionis immaculatae advocatione adeo generalis evasit, atque ita est in cordibus fidelium radicitus firmata, ut non immerito existiment parentes munus et officium religionis esse suum, filios ab infantia edocere modum salutandi venerandique coeli Reginam, sub Conceptionis imm.

titulo, quoties preces diei quotidie persolvunt. En verba numquam satis laudanda: ‚Benedicta collaudataque sit pura et munda conceptio BVMariae sine labe peccati originalis conceptae in primo sui esse momento. Amen‘ Et haec veneranda consvetudo nec hodie nec heri incoepit, sed multo antea apud maiores suos erat; devotio ita communis in suis publicis privatisque cultibus assidue exercita, et cum religione, quam profitentur, adeo coniuncta est, ut certe de illo male sentiret, qui eam oppugnaret sive contemneret. Accedit etiam, SS. Deigenitricem sub titulo Immaculatae esse istius dioecesis totiusque Hispaniae regni titularem Patronam, et eius festum hic et ubique die 8 Dec. magno iubilo celebrari solitum, ritum I classis cum octava et officio proprio habere. *In hac S. Ecclesia Compostellana magno decore et magnificentia hucusque fuit illa festivitas* (8 Dec. Conc.) *celebrata, et cum quadam tenerrima cerimonia notatu digna, qua finita solemni Missa sistit se coram altari Celebrans, et illic palam publiceque sex sortes educit, quibus designantur totidem puellae pauperes, inter quas ab a. 1622 sex dotes distribui per singulos annos consvescunt.* Non minus pergratum est populo fideli *octava die eiusdem festivitatis et in ipsamet Ecclesia 13 pueros et puellas intueri, qui de thesauro Ecclesiae vestiti et decenter ornati, cum candelis accensis in manu intersunt ab a. 1704 processioni Missaeque solemni.* Adest etiam *Congregatio Clericorum intra Ecclesiam Cathedralem constitutae, quae ab a. 1521. BVirginem sub conceptu Immaculatae in Patronam agnoscit.* — Certissime haec omnia ab illis, qui nos praecesserunt, in honorem et obsequium innocentiae originalis Mariae sacrata mirifice testantur et plane demonstrant, ardentissimam fuisse ipsorum devotionem intimumque animi affectum erga conceptum immaculatum BMV Nec praeteriri valet silentio, cultum ab hac S. Ecclesia B. Iacobi Apostoli SS. Virgini sub conceptu Immaculatae et immunis a labe originali tributum ita priscum esse, ut non immerito immemorabilem appellaverim. Incertum prorsus est tempus, annus et seculum, quibus incoepit: solum existit et servatur in Chartophilacio Ecclesiae *Breviarium Compostellanum, Salmanticae 1569 typis mandatum, quod officium proprium immac. Conc. BVM. cum octava iam continet,* et in cuius Le-

ctionibus II Nocturni Patrum Ecclesiae sententiae, quae conceptui immaculato SS. Deigenitricis melius favent, congestae mirificeque dispositae videri possunt. — Quod ad me attinet, B. Pater, nihil novi superaddere his possum, quae viri quamplurimi omnigenae doctrinae, et eruditionis copia insignes, atque virtute, pietate et ardentissimo amore erga BVirginem quam maxime praestantes, suis doctis et laboriosis scriptis supra conceptum immac. BMV. nobis tradidere, et pro quibus tot laudes totque praeconia ab omnibus fidelibus optime meruerunt. Dicam solummodo, quod attentis singulari pietate et obsequio atque intimo cordis affectu, quibus fideles in toto catholico orbe curas suas omnes atque cogitationes omni alacritate impendunt in his rite peragendis, quae ad maiorem BV. immaculatae laudem et gloriam procurandam melius decere existimant, tum templa in eiusdem honorem erigendo, tum se invicem consociantes, seque in sodalitiis conscribi facientes causa laudandi, colendique BVirginem, favente ipsis Deo benedictionibus uberrimis; iteratis item petitionibus iam a pluribus abhinc annis ad Ap. Sedem indesinenter perlatis, ut solemni iudicio decerneret, conceptum BV. fuisse a culpa originali prorsus immunem; et quod amplius est, iucunditate et exultatione, quibus Summi Pontifices veritatis Magistri, hoc ipsum cernunt et munifice expendunt beneficia privilegiaque innumerabilia in illorum gratiam, qui obsequio tanti mysterii sacrari velint, necessum fateri est, vel clementissimum Deum dilectam sponsam suam Ecclesiam deseruisse, passumque fuisse eam in errore admodum gravi magnique momenti labi (quod abhorret omnino dicere), vel pro certa plene habenda est sententia, quae sustinet et tuetur BVMariam absque labe originali fuisse conceptam. Quapropter *sentio et vehementer exopto, ut super conceptu immaculato Deigenitricis nullus relinquatur opinandi locus, sed solemni iudicio et auctoritate Sedis Ap. veluti Cath. Ecclesiae doctrina definiatur et inter fidei veritates annumeretur.* — Compostellae, 4 Nov. 1849. *Fr. Raphael.*

---

961. **Eppus Habanensis.** Decet quam maxime catholicum Eppum, Apost. Sedi firmiter adhaerentem, ad eam fidu-

cialiter accedere, quoties evidens Ecclesiae sibi concreditae utilitas aut urgens necessitas cogit, vel particulam aliquam Papalis sollicitudinis efflagitare, quae a generali rerum eccles. cura veluti avulsa ad singulares emergentes necessitates convertatur: at Summo Pontifici quaerenti occurrere, sciscitanti respondere, cum omnis aevi admissa cultura exigat, officium autem strictissime cogat, in magnum cadit honoris et decoris cumulum, praesertim cum de re gravi agatur, de sententia aliqua ad sublimem articulorum fidei ordinem evehenda. Et sane sanctissimae tuae literae datae Caietae secunda die Febr. h. a. quae tenerrimam tui devotionem in BMV. ardentissimumque zelum pro eius gloria amplificanda undique spirant, non alio tendunt, quam ut reseratis universo orthodoxorum Antistitum coetui flagrantissimis multorum desideriis, quae diu entata, saepissime frustrata, sub Pontificatu rec. mem. Gregorii XVI mirum in modum adaucta revixerunt, tibique recenter sunt perlata, de definiendo per Ap. Sedem quasi fidei dogmate imm. conc. Deiparae mysterio, publicae preces per universum catholicum orbem indictae habeantur, tibique renuncietur, qua et quali devotione erga hoc mysterium feratur clerus populusque fidelis cuiusque dioeceseos, qua opinione abundet, quo flagret desiderio, praesertim vero quaenam sit cuiusque Eppi circa hoc tanti momenti negotium diserta sententia, ut inde maturiori deliberatione quaestionisque statu penitius cognito, facilius tibi innotescat, quid sit peragendum. — *Bene multi e Clericis,* qui rebus theologicis excolendis sedulam navarunt operam, *discrimen optime noverant, quod inter dogma certe hucusque non agnitum intercedit et piam super mysterio imm. conc. BMV. sententiam,* cui longo abhinc tempore Ecclesia favet. *Reliqui autem e Clero et totus populus traditionibus maiorum; concionatorum asseverationibus, doctorumque rationibus, solemnitati in honorem tanti mysterii institutae, omnium Hispanarum ditionum patrocinio Mariae sub eodem mysterio,* a potentissimis nostris Regibus quaesito ac implorato, aliisque non paucis signis externis eodem tendentibus *firmiter adhaerentes, quasi rem certam rem exploratam, et extra omnem controversiam positam bona fide credebant, esse hoc ab ipsa Ecclesia dogmatisatum myste-*

rium: nullum, ut innui, agnoscentes discrimen dogma inter et piam sententiam: nihil enim contra hoc mysterium aut viderant actum, aut dictum audiverant vel disputatum. Ita se maiores gessisse sciebant, ita ab eis acceperant, ita didicerant, ita credebant, et exequebantur. *Nunc autem, postquam tuae Beatitudinis Encyclica publica facta est, non paucos fluctuare comperio inter dubitationes de veritate huius mysterii mentibus suis exortas, et amaritudines eis creatas, quasi Ecclesia sibi imponere voluerit, aut revera imposuisset, mysterium non definitum tanta solemnitate tantoque apparatu tradens,* ut vix aut ne vix quidem ab aliis mysteriis ad dogma pertinentibus eadem aut etiam minore aliquando solemnitate ab eadem Ecclesia celebratis vel attentissimus quisque discernere potuerit. *Quod ad desideria attinet, non dubito, quin grata futura esset Ecclesiae definitio.* Ita expositis aliorum iudiciis et desideriis, *propriam nunc libere promam sententiam.* — Neminem sane latere arbitror, plurima esse in rebus ad religionem pertinentibus, quae etsi in S. Literis et in Traditionibus sufficiens praesidium non videantur habere, quia clare et explicite in eis non contineantur, sunt tamen certissima, quin ab omnibus ut fidei dogmata venerentur, quousque conveniens Ecclesiae definitio fidei articulis ea addixerit: quo demum casu catholicus quisque suum captivare tenetur intellectum in obsequium fidei. Nam Ecclesia, ut notum est, procedente tempore auget sapientiam, providoque ductore Spiritu S. a quo semper dirigitur et eruditur, ex Conciliis, quae postea celebrantur, exque frequentiore et compactiore Pastorum Doctorumque illustriorum consensione maius et coruscantius veritatis lumen haurit diffunditque; quo fit, ut ea, quae antea subobscure et a paucis, dein clarissime ab omnibus aut fere ab omnibus perlustrentur et perspiciantur. Eo autem cum res devenerit, ut circa doctrinam aliquam tamquam veritatem supernaturalem in Scripturis Sacris aut in Traditionibus implicite contentam concurrat universalis Ecclesiae consensus, qua saepe ratione Spiritus S. traditiones explicat vel Scripturam declarat: potest Ecclesia, ut innuit *Suarez*, definitionem suam adhibere quae vim habet cuiusdam revelationis propter infallibilem Spiritus S. assistentiam. Id quod alias saepissime, tum maxime circa

Imm. Conc. Mariae sententiam contingere videmus, *quae in S. Literis et in Traditionibus explicite non continetur: ea tamen ex iisdem S. Literis et Traditionibus per theologicas ratiocinationes et facta historica evidenter eruitur et evincitur.* Ut autem omnis hac in parte vitetur dubitationis locus, sententiam istam ita libet concipere: ‚BVMaria Dei Mater ab originali peccato fuit immunis per gratiam sanctificantem, quam Deus illi indidit in primo conceptionis suae momento, cum anima corpori iam membris suis instructo unita fuit.' Unde quae de Conceptione hic disserentur, non de activa sed tantum de passiva, ut aiunt, Conceptione erunt intelligenda. *Immac. Conc. Mariae mysterium ex Scripturis S. eruitur.* Quis enim proferre audeat, fuisse aliquando immundam, ex qua natus est, qui nos a peccatis emundat? fuisse vel brevi tempore mancipium peccati Matrem eius, qui tollit peccata mundi, qui salvum fecit populum suum a peccatis eorum? fuisse vel unico momento Dei inimicam Genitricem eius, qui nos Deo reconciliavit? Deo invisam, quae Filium eius Unigenitum in lucem edidit? peccato coecam, ex qua ortus est sol iustitiae? mansionem satanae, domum Domini, quam decet sanctitudo in longitudinem dierum? — Aut Dei omnipotentia par non fuit a servitute omnis naevi etiam originalis liberandi Matrem Unigeniti; qui propter nostram salutem descendit de coelis, totumque suo sangvine redemit humanum genus?— Aut forsan tantum Filium non decuit Matrem habere omnino puram et vel ab ipso suae animationis momento semper immaculatam? aut cum Deus potuerit, Filiumque decuerit, facere noluisse censendus est? — Qui primam Matrem in innocentia creavit, a qua per inobedientiam descivit, secundam Matrem, quae antiqui serpentis caput virtutis pede contrivit, impuram et inquinatam concipi passurus erat? Qui Angelos creavit puros, eos etiam qui Deo rebelles facti sunt, Mariam Creatoris Matrem, quae sola et Angelis praestat et hominibus, communi hominum corruptioni obnoxiam esse voluisse credendus est? Iesus Christus, qui corpus sangvinemque suum sumentibus dat vitam aeternam, morti per peccatum damnatam vel unico momento erat Eam permissurus, ex cuius corpore et sangvine corpus et sangvis Christi erat efformandus? Absit. *Beatissima Dei*

Mater in plenitudine sanctitatis concepta fuit ob singulare privilegium, quo nec Sancti illi viri donati sunt, Ieremias nempe et Ioannes, in matrum quidem uteris sanctificati, non vero in sanctitate concepti, quos proinde originalem constat contraxisse labem. Unde *quod Scriptura testatur, omnes in uno homine peccavisse, non excludit praeservationem Mariae ab omni peccato originali ex morte eiusdem Filii sui ordinatam*: pro omnibus quidem, sed non pro Maria, haec lex a Divino Assvero constituta fuit. Hoc praeclarum Mariae privilegium expostulat summa eius dignitas, qua ut Dei Mater ceteris antecellit; intemerata virginitas sine praeiudicio iurium maternitatis; insignis sanctitas, qua prae omnibus commendatur; intima cum Iesu Christo Filio suo coniunctio et summus Filii in SS. suam Matrem amor. Cum enim Christus Dominus perfectus Redemtor fuerit, pacator mitissimus, efficacissimus mediator, largissimus benefactor, cuius partes erant: aliquem perfecte, i. e. ab omni poena redimere; carere autem Dei gratia sit poena, et quidem gravissima: decebat, ut esset creatura aliqua, nec sane alia, quam SS. Dei Mater, quae nec uno momento esset Deo invisa, sed semper ab omni labe et Dei odio immunis, ut innuit *Benedictus XIV* de festo Conc. BV. Quapropter cum Angelus ab ipso Deo missus BVirginem salutaverit, coelesti gratia plenam esse asseverans, dubitandum non est, quin singulare hoc encomium a primo suae existentiae momento ipsi revera sit tribuendum. Iure ergo meritoque BVirgo magnificabat Dominum eiusque spiritus exultaverat in Deo salutari suo; iure merito beatam seipsam dicturas esse canebat omnes generationes, quia fecerat illi magna qui potens est. *Idem mysterium etiam ex Traditionibus eruitur.* Sunt, quae disserui, tam aperta et obvia, ut omni post Christum natum aevo non defuerint, qui Mariae perpetuam munditiem aut corde aut verbo aut scripto extollerent et commendarent: quod neutiquam effecissent, si haec admissa a fideli populo doctrina non fuisset. Ad seculum namque I referri solent *Liturgiae,* quae utriusque *Iacobi* nomine Sanctorumque *Marci* et *Andreae* circumferuntur, et huius Apostoli acta martyrii, de quorum tamen authenticitate disputant viri docti. Seculo II occurrit *S. Iustinus Martyr;* III *S. Hippolytus, S. Cyprianus,*

S. Gregorius Thaumaturgus, Origenes et *S. Dionysius Alexandrinus, Liturgia* etiam *Ecclesiae Graecae;* IV *S. Athanasius, S. Ambrosius, S. Amphilochius, S. Ephrem Syrus,* et *S. Epiphanius;* V *S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Maximus, S. Proclus,* et *Theodoretus;* VI *S. Fulgentius,* et *S. Sabbas,* qui quoddam officium in honorem immac. conc. Deiparae elaborasse creditur; VII *S. Isidorus, S. Ildephonsus,* et *Sophronius Patr. Ierosolymitanus;* VIII *S. Ioannes Damascenus;* XI *S. Petrus Damiani, S. Anselmus, S. Ivo Carnotensis,* et *S. Bruno;* IX, X, et XII traditionis series ex praecedentibus et subsequentibus seculis clare colligitur; XIII *Alexander de Hales, S. Dominicus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, B. Iacobus de Voragine, S. Petrus Paschasius, Albertus M.* et *Scotus,* qui etiam ad XIV pertinet una cum *Raymundo Iordano* cognomento *Idiota.* Post subtiles Scoti dilucidationes, acris hac de re disputatio, quae forsan occasione Epistolae D. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses missae doctorum virorum ingenia per aliquot annos exercuerat, paulatim sopiri coepit, et iampridem fidelium animis radicata de imm. conc. Mariae sententia magis magisque in dies ita confirmata est, ut a Seculo XV vix ullus alicuius nominis theologus reperiatur, qui eam serio impugnare adgressus fuerit, imo contra plures nedum scientia insignes sed et sanctitate clarissimi viri et rationibus persvadere, et auctoritate sua firmare hoc Mariae privilegium sategerint. Exemplo sint *S. Vincentius Ferrer, S. Bernardinus Senensis, S. Laurentius Iustinianus, S. Thomas a Villanova, S. Ludovicus Bertran, Lanuza, Melchior Canus, Salmeron, Emin. Bellarminus, Petavius, Suarez, a Lapide, Emin. Sfondrati,* sapientissimus *Benedictus XIV;* postea *S. Alphonsus Maria de Ligorio, Emin. Fransoni* et *Emin. Lambruschini,* qui in elaboratissima super hanc rem dissertatione versus finem a. 1842 edita hos fere omnes innumerosque alios eiusdem sententiae eximios defensores commemorat. Aliquibus visi sunt a communi hac doctrina deflectere *S. Bernardus* et *S. Thomas;* ille propter celebrem, epistolam, qua Canonicos Lugdunenses eo, quod cultum imm. conc. Mariae in suam Ecclesiam induxissent, vehementer exagitavit; hic autem propter aliquot ex suis operibus depromta loca, quae cum imm. conc. sententia in aliis

eorumdem operum locis propugnata nequeunt conciliari. Iamvero sicut mellifluus Doctor, qui eam epistolam Pontificis iudicio subiicit, non tam in imm. conc. mysterium invehebatur, quam in festum eius causa inductum, imo non tam in festum inductum, quam in inductionem festi sine venia Sedis Ap. ab illis Canonicis (Lugdunensibus) ordinatam: ita Angelicus, qui tam perspicue multis in locis idem mysterium docuerat, nihil plane contra illud scripsisse videtur, ut multi ex eius discipulis et admiratoribus variis rationibus demonstrarunt, collatione praesertim editionum recentium et antiquarum eius operum, quibus et fraus detecta, et aliena manus ipsius opera adulterans deprehensa est. Eiusdem Traditionis non leve argumentum desumitur ex variis *Conciliis* tum particularibus tum generalibus, quae a nonnullis adduci solent, quasi Patres, qui eis interfuerint, mysterium imm. Conc. laudibus extollerent et venerarentur. Reliquis omissis in unico consistam *Tridentino*; in quo, postquam de peccato originali actum est, declararunt Patres non esse suae intentionis etc. Quaenam autem esset Tridentinorum Patrum vera et genuina mens, ex plena et genuina huius declarationis lectione licet colligere. Cur autem prudentissimi illi Antistites a solemni huius mysterii definitione abstinuerint, nimis notum est: maior certe eorum pars non dubitabat; omnes vero de concordia invicem servanda solliciti erant; nec eo convenerant, ut de hac Deiparae praerogativa aliquid definirent, sed maxime ut errores compescerent novatorum. *Sixtus* autem *IV* a Tridentinis Patribus laudatus, qui dum esset in minoribus, tractatum pro immac. Conc. scripsisse fertur, ad Romanam evectus Sedem duas Constitutiones promulgavit annis 1476 et 1483. (Suo loco eas retulimus.) Quamvis autem hunc articulum definire noluerit, nihilominus vim maximam piae sententiae, in quam apertissime propendet, attribuisse nemo dubitaverit, maxime si prae oculis habeat officium ab eo Pontifice approbatum, in quo immaculata Conceptio BMV. saepissime praedicatur; totum autem officium eo collimat, ut candor, puritas, munditìes Mariae in sua Conceptione aut intelligatur aut collaudetur. Omnes autem norunt, has Mariae laudes ex officio Sixtino depromtas in Ecclesia fuisse persolutas per annos 92, scilicet ab a. 1476 – 1568, quo *S. Pius V* ut in tota Ecclesia

uniformis esset ratio Officii persolvendi, ex variis, quae tunc exstabant, pro festo Conceptionis officiis unum selegit, quod submoto Sixtino in Corpus Breviarii inclusit, ubi etiam nunc extat. Sequenti vero a. 1569. precantibus FF. Minoribus D. Francisci idem S. Pontifex toti eorum Ordini concessit, ut laudato Sixtino officio uteretur. Sed iam pridem idem officium a Sede Ap. Catholici Reges Ferdinandus et Elisabetha versus finem seculi XV enixe petierant; concessum autem fuisse tradunt Reipublicae Lucensi, et Ordini Servorum Mariae; anno vero 1761 *Clemens XIII* Carolo III illud indulsit ad usum totius Cleri omnium dominiorum suorum Hispaniae et Indiarum. Sed antequam hinc abeam, observare libet, officium Sixti IV, quod privilegium immac. conceptionis mille modis praedicat et extollit, Ecclesiae universalis sententiam quodammodo repraesentare, eo, quod Conc. Tridentinum a. 1542. indictum et a. 1563 absolutum praefatas Sixtinas Constitutiones, quibus illud officium approbatum imo et commendatum fuit, observandas esse iussit. Neque ex hac officii mutatione inferendum est, S. Pii mentem a Sixti IV et Patrum Tridentinorum mente fuisse diversam: nam praeterquam quod festum Conceptionis tam in Calendario quam Breviario voluit de praecepto in tota Ecclesia celebrari, cum antea liberum plane esset, in officio, quod edidit, BMVirginis Conceptionem appellat dignissimam et sanctam; dignissima autem non esset, si maculata, neque sancta, si peccato inquinata fuisset. Conceptionis Mariae Sanctitatem etiam ipsa sola festi solemnitas satis commendat; cum enim ex *D. Thoma* non possit festum nisi de eo, quod sanctum, est, celebrari, Ecclesia autem Officio Piano Conceptionem Mariae quotannis celebret devotissime, consequens est, ut ipsa Mariae Conceptio quasi sancta ab Ecclesia veneretur, et ideo quasi immaculata. *Paulus V* a. 1616 praefatas Sixti IV et Pii V constit. confirmavit; anno autem 1617 vetuit, ne quis affirmare auderet BVirginem in originali peccato fuisse conceptam. *Alexander VII* a. 1661 declaravit, sibi certum esse tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi BVirginem praeveniente Spiritus S. gratia a peccato originali praeservatam. *Benedictus XIV* Pontificiam Capellam in Liberiana Basilica quotannis haberi voluit in honorem im-

mac. Virginis ipso solemni suae Conceptionis die festo. Ne autem in hoc argumento persequendo nimis longus sim, hoc solum addere placet, paucissimos a Sixto IV fuisse Pontifices, qui Mariae laudes sub tanto mysterio non celebrarent, variisque modis non promoverent; et vel ipse fel. rec. praedecessor tuus *Gregorius XVI*, qui per S. Rit. Congr. Ecclesiis Galliarum, Americae, Angliae, Germaniae et Italiae veniam fecit, ut in Praef. Missae diceretur: ‚Et te in imm. Conceptione‘; prae ceteris autem Beatitudo tua praeter similes concessiones Gregorii XVI in laudata Encyclica concedens, ut in quibusvis dioecesibus possit Clerus easdem de BV. Conceptione horas canonicas recenter compositas persolvere, quibus nunc te largiente Romanus utitur Clerus. Quam firmum traditionis illud praesidium, quod super Pontificalem petram fundatum est! — *Cultus* etiam *publicus* traditiones alit, quae vicissim publicum fovent cultum. Quo autem tempore purissimae Conceptionis Mariae festum incoeperit, plane incertum est. Illud tamen extra dubitationem videtur positum, iam seculo IV huius festi luculenta reperiri vestigia ex liturgia Graecorum depromta, ubi BMV. ex omni parte inculpata nuncupatur. In quibusdam vero *Menologiorum* graecorum locis appellatur Maria omni naevo intacta, sola ab aeterno digna quae Deipara fieret. Sed recentiora sunt huius rei documenta ad Occidentalem Ecclesiam spectantia; nam praetermissa nunc *Ecclesiae Hispanae liturgia*, iuxta quam, si *Martenio* credimus, a *S. Ildephonsi* tempore, h. e. a Seculo VII huius festi celebratio reperitur, vel saltem a Seculo X ut putat *Mabillonius*: omnibus compertum est, sub initium Seculi XII hanc celebrationem inductam fuisse primum in singulares Ecclesias, dein in omnes. De epistola *D. Bernardi* ad Canonicos Lugdunenses supra dictum est: eam quidem illi reverenter susceperunt, attamen a cultu imm. conceptioni Virginis dando nullo modo cessarunt. Illius Ecclesiae exemplum multae aliae imo et omnes secutae sunt, nequidem Romana excepta, varia officia et missae de Conc. immac. V. Mariae fuerunt adornata. *Clemens VIII* officium Conceptionis ad ritum dupl. mai. evexit; *Clemens XI* voluit hanc festivitatem ex iis esse, quae in tota Ecclesia de praecepto celebrantur. — Hac occasione *Hispano* Eppo licebit quaedam subne-

ctere eorum, quae ob excitatum eximium purissimae Conceptionis Mariae cultum Ecclesias, Antistites, Reges, Academias, Ordines Religiosos, totasque gentes Hispaniae tantopere exornant et commendant. Ea vero laus potissimum Deo totius consolationis auctori tribuatur, qui Regibus Recisvinto, Vambae, Ervigio, quorum in Deum pietas et in Mariam eius Matrem religio in successores titulo veluti haereditario derivata abiit in proverbium, quasi coelitus missos obtulerit sapientia et sanctitate praestantissimos Antistites, ex quibus vel unus *Ildephonsus* satis fuisset totam gratiarum plenitudinem omniaque virtutum ornamenta, quibus Deus conceptam voluit gloriosissimam Matrem suam, penitus asserere et vindicare. Qua fide circa eximium hoc Genitricis Dei privilegium illis temporibus abundaret Ecclesia Hispana, etiam ex *Breviario Gothico sive Isidoriano* licet colligere; nam in officio Annunciationis BMV. quando Presbyter benedicit populum, ait: ,Quique Matrem servavit a corruptelae contagio, sinum vestri cordis emaculet a delicto.' Item: ,Christe, Dei sapientia, qui aedificas tibi comptissimam domum.' Et in festo Assumtionis saepius vocatur Virgo Maria ,illibata Genitrix', cui etiam accomodatur illud Canticorum: ,Tota pulchra es, et macula non est in te.' Eandem antiquitatem evincit declaratio iuramento edita a. 1653 ab Ecclesia Toletana. Et ut temporum ratio habeatur, celeberrima est illa lex a *Ioanne Aragoniae rege* sancita a. 1394, inscripta: Privilegium in favorem Conceptionis S. Virginis, ubi pia progenitorum suorum laudatur consvetudo celebrandi quasi proprium Regiae domus Hispaniae festum Conceptionis. Similia religionis erga Mariam Virginem sine macula conceptam testimonia dedere plures ex sequentibus regibus, *Martinus I*, *Maria uxor Alphonsi IV*, *Ioannes II*, omnes Aragoniae, et *S. Ferdinandus III* Castellae Rex, quem purissimae Conceptionis imaginem semper secum gestasse legitur, ut nihil addam de Regibus Catholicis *Ferdinando et Elisabetha*; nisi quod in *Toletana* Ecclesia festum immac. Conc. solemnissimo quo fieri posset ritu celebrandum voluerunt, per solemnem ab ipsis factam fundationis scripturam. Tunc Sacella in honorem immac. Conc. Mariae passim erecta satis constat. *Monasterium Monialium in laudem purissimae Con-*

ceptionis ad finem vergente Seculo XV Toleti fundatum est, probante primum Innocentio VIII a. 1489, postea vero Iulio II a. 1511. Clerus oppidi de Molina a. 1518 a Leone X facultatem accepit, ut in nocte ante Conceptionis festum post Matutinum et Laudes posset solemnis Missa de immac. Conc. celebrari. Eodem anno nobilissima *Caesaraugustana* Civitas in Angelico Virginis de Columna sacello per suos moderatores copiosamque nobilium ac civium multitudinem repraesentata, solemne *iuramentum* edidit de defendendo imm. Conc. mysterio. *Toletana* Hispaniarum prima Ecclesia a. 1653 *iureiurando* declaravit, se a mille circiter annis sacrum illud Conceptionis mysterium veneratam fuisse, quo valde firmatur eorum sententia, qui hunc cultum in Hispania Virgini datum iam seculo VII autumant. Quid autem dicam de creatione *Regii Theologorum coetus*, nulla alia nisi de defendenda imm. conc. Mariae iniuncta cura, per Philippum III ordinata? Quid de *Legationibus* eiusdem Philippi III ad Paulum V, et Philippi IV ad Gregorium XV, quibus per extraordinarios oratores a Pontificibus enixe petierunt, ut ex Cathedra loquentes hoc Mariae privilegium asserere dignarentur? Quid de oratore Eppo Palentino, per *Philippum IV* specialiter misso post supplicationem omnium ferme Epporum et Capitulorum eccl. Hispaniae, quibus de causis permotus *Alexander VII* celebrem illam supra laudatam de praeservata a peccato orginali Maria declarationem a. 1661 emisit? Quid de iureiurando defendendae immac. Conceptionis Mariae ab eodem Philippo IV omnibus iniuncto qualemcunque gradum accepturis in Academiis *Salmantina*, *Complutensi*, et *Vallisoletana*? Quid de tot nobilissimis Confraternitatibus et Collegiis in immac. conceptionis Mariae gloriam institutis? Et ut ad recentiora tempora accedamus, notae sunt totius fere Hispanae Ecclesiae preces, h. e. Epporum, Academiarum, et Religiosorum Ordinum, quibus *Clementem XII* ferventissime rogabant, ut Deiparae immac. Conceptionem solemni iudicio definiret. *Carolus III* ardentissima devotione erga sanctum imm. Conc. Mariae mysterium flagrans petiit et impetravit a. 1760 a *Clemente XIII*, ut sub tanto mysterio coleretur BVirgo in omnibus suis ditionibus quasi universalis omnium Hispaniae regnorum Patrona; offi-

cio autem et missa uteretur universus Clerus Hispanus iuxta rubricas Breviarii et Missalis Romani sub ritu duplici I classis cum Octava, et cum omnibus praerogativis festis talium Patronorum a Sede Apost. approbatis competentibus. Sequenti anno, ut iam dictum est, officium et Missam Imm. Conc. BMV. ab Ordine Minorum S. Francisci usitatam ad preces eiusdem Regis ad omnem Clerum secularem et regularem regnorum Hispaniae et Indiarum idem Summus Pontifex extendit. Ex indulto Pontificis a. 1767 ad preces eiusdem Regis Officium Imm. Conc. BMV. in omnibus Hispaniarum et Indiarum regnis est recitandum sub ritu semiduplici omnibus Sabbatis, iis exceptis, de quibus in eodem indulto. Alio eiusdem anni indulto impetravit laudatus Rex, ut in Litaniis BMV. post versiculum ,Mater intemerata' alius: ,Mater immaculata' adderetur publice et privatim, in omnibus regnis et ditionibus eidem Regi subiectis, (quasi eorumdem Patrona sub laudato mysterio.) Longius adhuc processit eiusdem Regis officiosa pietas; nam renovavit extenditque ad omnes Hispaniae Academias iusiurandum, quod gradum quemcunque accepturis a Philippo IV iniunctum fuerat de defendendo imm. conc. mysterio; a. 1771 instituit fundavitque regium et praeclarum Ordinem Caroli III nuncupatum sub protectione sanctae et immac. Conc. BMV. confirmatum roboratum multisque praerogativis locupletatum a. 1772 a Summo Pontifice *Clemente XIV;* sua demum auctoritate firmavit et praedicto Caroli III Ordini univit regium sapientia et dignitate illustrium virorum coetum, quem sub nomine imm. conc. instituerat Philippus III et confirmaverunt sequentes Reges ad propugnandum illud mysterium promovendasque opportunas declarationes Pontificias et Regias. Nimia sane prolixitate res domesticas me persecutum esse agnosco: ea tamen, ut opinor, facile a svavi Beatitudinis tuae comitate Hispano Eppo condonabitur; cui alias ostendere propositum erat, cultum imm. conc. Mariae V. traditionis auctoritate roborari, traditionem autem huius mysterii publico eiusdem cultu conservari et amplificari. Quae autem in ditionibus Hispanis circa imm. conc. cultum observantur, in aliis quoque catholicis nationibus modo non dissimili obtinent; ubique fere et Eppi et Capitula ecclesiastica,

et Clerus inferior, et Ordines Religiosi, et Principes seculares, et Academiae, et Confraternitates, et totus fidelis populus praeclarum hoc mysterium tenent, nihilque non agunt, ut eius cultum promoveant et extendant, quod vel ex laudata pientissima tua Encyclica evidenter patet. Ergo B. Pater, ad asserendam immac. Deiparae Conceptionem moveor tot illis theologicis, quas attuli, rationibus, quarum unaquaeque cum sit validissima et ad persvadendum efficax, omnes simul sumtae plenam pariunt convictionem; moveor auctoritate plurimorum Ecclesiae Patrum, multorumque Doctorum et illustrium Theologorum, inter quos Sanctorum albo adscripti sunt multi, qui ita senserunt, ita scripserunt, ita docuerunt, ita magno nisu propugnaverunt; moveor SS. C. Tridentini eximia declaratione, quod a decreto de peccato originali BVMariam excepit; moveor tam aperto iudicio Summorum Pontificum, in hanc sententiam manifeste inclinantium; moveor antiquissimo plurium Ecclesiarum, praecertim Hispaniae, cultu publico ad haec usque tempora cumulatissime traducto, et in universalem totius Ecclesiae Cath. auctoritate Ap. Sedis paulatim converso; moveor tot Cardinalium, Praelatorum, Ordinum Religiosorum, integrarum gentium, totiusque catholicae plebis exemplo, in hanc sententiam miro consensu conspirantium; moveor illustriorum Academiarum doctrina et exemplo, quibus et haec pia sententia fulta, et ei conveniens in honorem BMV. datus est cultus: moveor ardenti zelo singularique pietate Regum, Epporum, Capitulorum Hispaniae, quibus et cultus promotus, et definitio huius mysterii a Sede Ap. petita imo et enixe efflagitata est; moveor plurium Regum Imperatorumque Catholicorum repetitis conatibus pro hoc cultu in suis ditionibus amplificando; moveor tot Confraternitatibus et Collegiis ac templis in honorem tanti mysterii ubique terrarum erectis; moveor denique eo, quod, si hac in re fallor, totam ferme Catholicam Ecclesiam falli necesse est cum suo Capite Romano Pontifice seu exhibente seu permittente cultum Virginis sub hoc mysterio, quod sane dictu impiissimum est. Et certe aut verum est, BMVirginem sine peccato originali conceptam fuisse, aut falsum; nec valet dici, neque verum neque falsum respectu nostri esse, sed opinabile, sententiamque imm. conceptionis, in quam inclinat Ec-

clesia, ut piam magisque probabilem, non ut certam ab ea amplecti: non inquam: nam Mariae V. conceptio merum factum est, et quidem longe praeteritum; sicut ergo verum est factum Conceptionis Mariae, ita verum esse debet, hanc Conceptionem fuisse aut immaculatam, aut maculatam peccato originali; de puro enim facto loquor, non de hominum circa hoc factum opinione. Quare aut verum est, BMVirginis Conceptionem immaculatam fuisse, aut falsum; at secundum extremum nullus, ut opinor, catholicus ex animi sententia propugnandum susceperit. Quodsi forte aliquis ita impudenter audax illud sustinere non erubuerit, non quidem haereticus, sed tamen impius, insigniter improbus, petulanti temeritate tumidus, communis sensus expers, in S. Ecclesiam eiusque Caput Romanum Pontificem male animatus diceretur. Inde sane hoc esset consequens, nedum Ecclesiam, quae est columna et firmamentum veritatis, fefellisse fideles, sed et successores Petri, veros Christi Vicarios, quibus Ecclesiam regendi et edocendi cura commissa est, et falsos fuisse, et eam in errorem turpiter induxisse. Sed et fingamus, Mariam V. imm. Conc. privilegio non fuisse a Deo donatam: an Deus hoc casu permisisset modo indebito suam honorari Matrem? Nonne Deipara contumelia potius quam honore afficeretur celebratione publica privilegii, quod Deus ei non contulerit? nonne falsus honor, pura puta adulatio esset potius, quam vera laus, pia devotio, tanta, quae ubique conspicitur, pro imm. conceptionis celebratione populorum exaestuans sollicitudo? An non timendum illud: ‚numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?' aut Maria falso egebat cultu, ut honores, quibus caruerit, ficto pectore ei tribuerentur? Itane via veritas et vita I. C. D. N. passus esset, ut illuderetur Ecclesiae suae, quam suo acquisivit sangvine? Hunc tandem finem in re gravissima, quae suum decus, honoremque Matris suae immediate afficit, divinae Salvatoris repromissiones habuissent: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi? *In praesenti rerum statu oportere videtur definiri ab Ecclesia immac. Deiparae conceptum.* Cum ergo verum sit, imo et verissimum, BMV. Conceptionem fuisse immaculatam, quae tan-

dem difficultas emergit, quae adoritur suspicio, quis adest scrupulus, ut definitio huius articuli suspendenda sit aut differenda, qui etiam sine definitione tam generali fidelium consensu tenetur, ut in eo explicando non quidem multorum sed certe totius Ecclesiae vox resonare videatur? *Scripturae* non refragantur, cum earum loca, quae negotium possent facessere, explicentur commodissime; imo e contra bene multa ex iisdem in medium proferuntur, quae huic articulo mirabiliter adstipulantur. *Rationes theologicae* non leviter prementes id egregie svadent; ipsum quod super nos signatum est divini cultus lumen haesitare non sinit; concors omnium, ut videtur, fidelium sententia mirabiliter confirmat. Quid plura? Sed dicet fortasse aliquis, disputationes exortas esse, quibus dubitandi motiva excitata sunt. At quis non videt, inductionem festi ab ipso immac. conceptionis articulo probe distingvendam esse. Immaculatam Virginis Conceptionem omni aevo fuisse creditam non pauca testantur monumenta, quin ullum in contrarium adduci possit: at festum pro celebratione huius mysterii non ubique eodem modo semper obtinuit; imo citius in Orientales, serius in Occidentales Ecclesias inductum est. Tunc certe, praesertim vero post D. Bernardi tempora, prius circa festum, ut videtur, dein festi occasione circa ipsam piam sententiam disputatio exarsit ab aliquibus suscitata, seu quia ita opinabantur, seu quia acutioris ingenii laudem captare satagebant, seu quia novandi et contradicendi prurigine ducti, ad se suamque recentem doctrinam reliquorum animos quadam veluti admiratione rapiendos convertere conabantur. At re accuratius introspecta in concordiam redactis fidelium animis, dissidia evanuerunt, vetus autem et a maioribus accepta doctrina in omnium mentes profundiores robustioresque radices egit. Veritas ista seipsam prodit: eam in Scripturis sacris, et in Traditionibus saltem implicite contineri ostensum est; non deest universalis Ecclesiae consensus, quo et Scripturae et Traditiones explicantur: Deus in necessariis suam non deserit Ecclesiam. Quid amplius ad hunc definiendum articulum desiderari potest? An Ecclesiam non decet auctoritate sua firmare, quod suo Altissimus firmavit decreto? aut, cum deceat, forsan non potest? quis amplissima in eam a Christo Domino collata iura coar-

tare tentaverit. Nonne id ipsum similibus in casibus saepissime executa est? Sed vereor, ni ita fiat, ne et heterodoxis hominibus ansa praebeatur in Cath. Ecclesiam debacchandi, quasi veritates factis verbisque speciosis a se proclamatas pleno non possit aut non audeat ore pronunciare; et ipsis catholicis, qui hocce mysterium tamquam Ecclesiae dogma bona fide credebant, detur occasio diffidendi nedum isti, sed et cuilibet alteri ab Ecclesia acceptae doctrinae; omnes autem admiratione rapiantur, nulloque modo concipiant, in universo orbe catholico immac. Conceptionis veritatem agnosci, festumque diem magna pompa celebrari, Ecclesiam autem eiusque nomine suum Caput Romanum Pontificem, postquam ad hunc articulum examinandum omnium, ut ita dicam, maxime vero Epporum sensum et iudicium exquisivit, infallibilem suam non proferre sententiam, qua constet eos errare et haereticos esse, qui immaculatam negaverint Deiparae Conceptionem, et qui praedictum eidem Deiparae sub eodem mysterio iure optimo exhibitum reprobaverint cultum. Quare, B. Pater, cum iusiurandum de defendenda immac. Conc. Mariae sive in gradibus academicis, sive alias saepissime emisissem, nulla autem feliciori via possim eam defendere, quam eius infallibilem definitionem data hac occasione promovendo: nedum iuramenti obstrictus religione, sed et expositis rationibus plane convictus, exemplo aliorum Hispaniae Epporum humillimas preces meas eorum petitionibus coacervatas, de quibus in laudata Encyclica, ad Beatitudinem tuam gaudens dirigere festino: ut, si e re catholica videatur, definitio haec toties optata, toties petita, tandem aliquando impertiatur; ut ita sollicitudini fidelium imponatur finis, eorumque desideria compleantur: omnia autem ad maiorem Dei gloriam et BVMariae honorem cedant. S. Christophori de Habana, Id. Nov. 1849. *Franciscus.*

---

962. **Eppus Urgellensis.** — Praefatis literis (Encycl. 2 Febr.) obsequi properans, libenter dicam: magnam erga imm. conc. mysterium vigere in hac dioecesi devotionem. Festus huic mysterio recolendo assignatus dies cum Missa et

Officio propriis pro regno Hispaniarum sub ritu dupl. I. Classis solemniter celebratur. Frequentissimus in Ecclesiis solet convenire populus, tum ut officiis divinis intersint, tum ut peccatorum veniam in sacramentali confessione quaerant et ad sacram mensam accedant. Si ille deinde perpendatur non solum altarium sed et templorum numerus, quae in hac dioecesi ab antiquis diebus BVirgini sub immac. Conceptionis titulo dicata sunt, perspicere inde facile licet, quam intime sibi persvasum habeant Clerus populusque fidelis, Virginem Mariam sine labe originali fuisse conceptam, et quam iucunde eis accideret, si infallibili Apost. Sedis iudicio mysterium hoc veritatibus fidei adnumeraretur. Sanctitas Vestra hoc inprimis noscere cupit, quid hac de re sentiant Eppi quidque exoptent. Sed quid mihi promere licebit, postquam Scriptores duo scientia et pietate clarissimi hoc argumentum tanta luce illustrarunt, alter Eppali dignitate et purpura Romana conspicuus sua dissertatione polemica *(Lambruschini)*, alter sua disquisitione theologica, quam Sanct. Vestrae dicavit *(Perrone)*. Unum tamen est, quod etsi omnino tritum, quia tamen me maxime movet, non possum illud levissime saltem non commemorare. *S. Bernardus* et scholarum princeps *Doctor Aquinas* nativitatem Deiparae sanctam crediderunt, quia Ecclesia illius festum celebrat. Quid eos nunc sentire consequens foret de imm. Deiparae conceptione, cum huius festum universa nunc celebret Ecclesia? Et celebrat ipsa duce insigni pietatis exemplo Ecclesiarum matre et magistra Roma, foventibus imo et impellentibus indulgentiarum concessione praedecessoribus Vestris RR. PP. Illud mihi mirandum occurrit in hac re, quod cultus imm. conceptionis eo maiora suscipiebat retroactis seculis incrementa, quo acrius adversus piam sententiam disputatum fuit. Hinc est, quod Seculo XVII, quo magis ferbuisse videtur disputationis aestus, mirabatur Galliarum oraculum *Bossuetius*, quod tam altas radices egerit in animabus piis haec de immac. V. conceptu opinio: et post articulos fidei nihil plane certius affirmabat. Quid diceret, quid sentiret seculo XIX Meldensis Eppus? Si adversa sententia angustissimis tunc fuit arctata limitibus, quos praetergredi gravi censurarum comminatione prohibitum fuit, nunc

etsi libera panderetur ianua, non posset absque gravi fidelium omnium scandalo in publicum prodire, et quin adversus eam universus conclamaret catholicus orbis. Si tunc festum immac. conc. celebrabatur, nunc non solum constanter Ecclesia in eo perseverat, sed novum accipit iste cultus augmentum. Quid diceret, inquam, Bossuetius, si videret plurimos ex omnibus fere orbis partibus Eppos, Religiosos Ordines, et ipsum inclytum de Ecclesia optime meritum Praedicatorum Ordinem ad Romanam Sedem accedere, certatim postulantes, ut in Praefatione Missae liceat haec verba apponere ,Et te in Conc. Imm.' et in Litania ,Regina sine labe orig. concepta ?' Pientissimis omnium istorum votis S. Sedes benigne semper annuere dignatur. Deus mirabilis in Sanctis suis et praecipue in praedilecta sua Genitrice has, ut mihi videtur, tenere voluit adorandae providentiae suae vias in aperiendo immac. Conc. mysterio: ut primum haec devotio tamquam rivulus parvus appareret, deinde temporis progressu in magnum cresceret flumen, quod pervadere omnino non licet. — Pauca ista delibavi tantum, ut momenta indigitem, quae mihi svadent, tempus definitionis dogmaticae appropinquare. Conceptionem immaculatam definitioni huic maturam esse, proxime elapso seculo existimarunt omnes Hispaniae Eppi, Academiae, et Religiosi Ordines, Clementem XII rogantes, ut solemni ex Cathedra iudicio illam dignaretur asserere. *Utinam ego, qui SS. Deigenitricem Mariam sanctam et immaculatam credo in primo suae conceptionis momento,* antequam huic luci oculos claudam, *videam illum diem, infallibili Romani Pontificis decreto statutum esse, B V Mariam in primo suae creationis instanti immunem fuisse ab omni peccato originali.* Huic decreto Clerus populusque fidelis plaudent. Forsan ab isto decreto pendet, quod abbrevientur dies tribulationis et angustiae, qui nos invenerunt. — Quam potens sit Mariae patrocinium, catholici omnes scimus. Deo valde placet, ut ipsum per illam exoremus; et hoc ferventius absdubio fiet, cum audito hoc decreto, quo decus tam eximium et prorsus singulare certitudine fidei ei asseretur, vox exultationis et salutis resonabit in universa terra. — Urgellis, 19 Dec. 1849. *Fr. Simon.*

963. **Eppus Malacitanus.** Perlegenti mihi Apostolicas tuas literas ad omnes totius orbis catholici Antistites datas die 2 Febr. a l. illud venit in mentem elogium, quo BVirgo et Martyr Leocadia S. Ildephonso AEppo Toletano, ad illius sepulchrum oranti repente apparens, illum coram magno populi concursu salutavit et hisce verbis laudavit: ,O Ildephonse, per te vivit Domina mea, quae coeli culmina tenet.' Et merito quidem. Ediderat enim doctissimus Praesul percelebrem illum librum de perpetua Virginitate S. Mariae, in quo validissimis momentis Virginitatem Deiparae propugna verat et ab eius hostibus tunc per Hispaniam grassantibus splendididissime vindicaverat. Quapropter gloriosa virginitas Mariana, quam eius impugnatores offuscare ac extingvere conabantur, per Ildephonsum in clariorem ac quasi novam lucem prodiens, corda per fidem occupavit, atque latissime pervulgata vividius copiosiusque floruit magna cum gloria Dei eiusque Genitricis, quam omnes Ecclesiae filii corde et animo laeti laudant, et praedicant Matrem felicissimam simulque Virginem purissimam. Haec mecum attento animo considerans, maxima gratissimaque me tenet spes, praefatum elogium in Sanct. tuam iure optimo casurum esse, proximumque iam puto tempus, quo Christifideles pro sua quisque parte tibi gratulabuntur dicendo: ,O Pie, per te vivit Domina mea, quae coeli culmina tenet.' Et sane, B. Pater, adeo propensum erga piam de immaculata Virginis Conceptione sententiam te ostendis, ut nulla videatur ratio ambigendi, illam tua auctoritate Apostolica tamquam articulum fidei esse definiendam. Quod ubi praestiteris, honoratiorem famam, decorem et vitam B. Deiparae impertieris. Vitam, nempe existimationem fidemque firmissimam, qua omnes Ecclesiae Cath. filii corde credent, oreque laeti confitebuntur, Mariam numquam in tenebris peccati iacuisse, semperque in luce gratiae vixisse. Hanc laudem omni quacunque alia laude maiorem quis non agnoscet? Hoc decus gratius BVirgini omni decore quis non credet? Corporalis virginitas magnopere mirabilis est, omnique laude dignissima; eius tamen orbitas cum gratia, amicitia, filiatione Dei minime pugnaret; e converso orbitas virginitatis spiritualis seu innocentiae originalis peccatum

originale includeret, quod animam macularet et occideret, Matrem Dei in principio suae existentiae Deo mortuam efficeret, filiam irae, vindictae ac gehennae, vile daemonum mancipium, sanctisque Angelis obiectum triste atque truculentum. Merito proinde theologi docent, maius malum et perniciosius fore B. Mariae, si unius temporis vel minimo momento gratia sanctificante carens, peccati originalis coeno obvoluta existeret, quam si aliorum bonorum coelestium cumulo absolute careret; magisque laudari Deiparam, dum a peccato originali praeservata praedicatur, quam dum ipsius praerogativae ac gratiae gratis datae recensentur. Satis notum est, B. Pater, *sententiam de illibato Mariae conceptu adeo certam his temporibus iudicari, ut a nemine in dubium revocari prudenter possit.* Nondum tamen ad supremum certitudinis gradum in fide catholica innixum est evecta. Quamobrem ferventissima fidelium pietas ex corde exoptat, ut Deiparae virginitas spiritualis tamquam articulus fidei definiatur, sicque aequo firmitatis gradu ac eius virginitas corporalis ab omnibus generationibus credatur; plenoque ore ac iucundissimo animo Reginam coeli et terrae laudent aura matutina et vespertina, et iubilent omnes filii Dei, illam praedicando perpetuam Virginem corpore, perpetuam itidem Virginem mente, totam pulchram carne et spiritu, ab omni peccato tam actuali quam originali praeservatam, prorsusque immunem, donorum omnium, virtutum, ac carismatum splendore ornatam, tantaque maiestate, iustitia, gratia, innocentia et perfectione nitentem ac micantem, ut longe sit Angelica puritate superior, nec ulla maior puritas sub Deo queat intelligi. *Pietas erga immac. Deigenitricis Conceptionem adeo est in his terris eximia, ut eius festum maiori supra cetera festa B V. gaudio, pompa et magnificentia celebretur.* Pietas equidem tanto laudabilior, quanto vetustior. Ex tempore quippe immemorabili, successione constanti numquamve intermissa a maioribus ad nos descendit, veluti cum sangvine ac nutricis lacte transfusa, et quasi haereditas locupletissima. Et revera *qui vivunt in ista dioecesi, sicut et qui a multis retro seculis eos praecesserunt, singularem ac fervidam in huiusmodi mysterium intimis visceribus defixam habent fidem, vehementerque proinde cupiunt et exoptant, ut*

illud ad supremum apicem honoris religiosi Ap. Sedes extollat, dogmatice decernendo, ab omnibus tamquam articulum fidei credendum esse atque venerandum. Quamplura de his proferre possem testimonia, B. Pater; ne autem multus sim, insigniora tantum ex tabulariis excerpta tum ecclesiasticis tum civilibus breviter exhibebo. — Notissimae sunt *acres rixae* scandalosaeque contentiones, *superioribus seculis ab intemeratae Conceptionis impugnatoribus excitatae: contra eos vero constanter stetit atque strenue dimicavit Clerus populusque Malacitanus.* Quocirca laetissimis plausibus aliisque praeclaris publici iubili demonstrationibus excepta fuit Pauli V Constitutio de 31 Aug. 1617 ‚Sanct. D. noster' prohibens, ne quis in posterum auderet in concionibus aliisque publicis actibus asserere, quod BVM. cum peccato originali fuerit concepta. — Capitulum Eccl. Cathedralis decrevit, ut Missa solemniter celebraretur, processio fieret ad Ecclesiam BMariae, et per tres noctes domorum civitatis frontes luminibus splendentibus in signum laetitiae decorarentur. Praeterea cum adversariorum iurgia et contradictiones non cessarunt, praedictum Capitulum et Senatus Civitatis suos conatus pro pia causa sumenda congeminarunt, ut *die 8 Dec. 1654 coram Dioecesano Eppo Cardinali Ildephonso de la Cueva idem Capitulum et Senatus Civitatis solemni ritu iureiurando promiserunt, se immac. Deigenitricis Conceptionem perpetuo pie credituros ac defensuros, sangvinemque et vitam ipsam pro illius tuitione libenter amissuros, neque quemquam, nisi prius consimili iuramento obstrictum in suam societatem recepturos. Quae quidem omnia usque adhuc ad amussim et fideliter servantur.* Ex immemorabili porro consvetudine, quae nunc viget, laudatus Senatus Civilis quotannis die 8 Dec. ad sacra solemnia, quae in Eclesia Cathedrali magnifico celebrantur ritu, confluit, secum portans vexillum auro splendens, in cuius medio candido mirifice praefulget pulcherrima inaestimabilis BVirginis imago, consveto de mysterio imm. conc. habitu decorata. Constituit etiam idem Capitulum die 27 Sept. 1663, *ut omnes Verbi Dei praedicatores ante initium concionis semper dicerent: ‚Benedicatur semper et laudetur SS. Altaris Sacramentum, et immac. Conceptio BVM. Dominae nostrae, conceptae*

sine peccato originali in primo suae animationis instanti; Quo quidem decreto fervens ipsius Capituli zelus excusationes dispulit nonnullorum, qui hanc orationem, licet paulo antea iussu regio praescriptam, recitare detrectabant, obtendentes non esse auctoritate ecclesiastica praeceptam. Floret etiam in hac et in ceteris Hispaniarum Ecclesiis alia parilis consvetudo, laudandi scilicet cum cantu solemnissimo in augustioribus festivitatibus mysteria SS. Sacramenti expositi atque immaculatae Conceptionis. Piissimi fideles Hispani summopere delectantur in his duobus mysteriis simul proclamandis et extollendis, quorum primum est fidei dogma, alterum definitionem dogmaticam expectat, utrumque vero eximiam devotamque inter se habet connexionem. Quapropter Sixtus IV in sua Const. ‚Cum praeexcelsa', quam C. Tridentinum innovavit, colentibus festum imm. conc. easdem concessit indulgentias, quas antea Urbanus IV colentibus Eucharistiae Sacramentum fuerat elargitus. Huiusmodi autem inter ista duo mysteria indulgentiarum communicationem plures svadent congruentiae: nimirum quia in Conceptione illibata consecrata fuit atque immunis a malis ex originali peccato procedentibus caro Mariae, de qua suam sumsit Filius Dei carnem, quam nobis in cibum donat in Eucharistia; tum quia in sacro altaris convivio recolitur memoria passionis eiusdem Dei Filii, ex cuius morte praevisa Deus Pater Mariam in eius conceptione ab omni labe praeservavit; tum denique quia plurimum ad Dei gloriam, Ecclesiae honorem, animarumque salutem confert, devota exultatione piaque frequentia colere, publicare ac magnificare ista duo mysteria haereticis maxime invisa, praecipue ex quo *Lutherus* blasphemando scripsit: ‚nullum festum magis odi, quam festum Corporis Christi, et Conceptionis BVirginis.' Ex hac itaque flagranti fidelium pietate in Marianae Conceptionis mysterium oritur ipsorum sitiens cupiditas, ardensque affectatio obtinendi a Sede Apost. definitionem, qua illud ad supremum certitudinis apicem attollatur, ita ut consimiliter ac mysterium Eucharistiae ab omnibus tamquam fidei articulus credatur et veneretur. Hisce laudabilibus desideriis et votis actum praefatum huius Cathedralis Ecclesiae *Capitulum nomine suo et totius dioecesis a Clemente XI sup-*

plicibus efficacibusque literis die 6 Febr. 1714 definitionem mysterii postulavit: eam itidem a Clemente XII die 6 Oct. 1732 repoposcit hodieque ipsam a Sanct. tua enixe ac humiliter iteratis precibus exorat. Et sane motiva illa tunc temporis existentia et proposita subsistunt inpraesentiarum, imo et urgentiora videntur. Dilatio enim huiusmodi gratiae tamdiu expetitae vetustam fidelium erga istud mysterium pietatem non minuit, sed magis inflammavit. Certum est, hisce temporibus per totam dioecesim sparsos existere quamplures clericos ad defendendum mysterium iuramento adstrictos, utpote educatos in aliquo ex duobus Conciliaribus Seminariis sive Malacae sive Anticariae existentibus, ubi nemo excipitur, nisi prius laudatum iuramentum praestiterit. Augent istiusmodi piorum iuratorum numerum plures insignes nobilesque viri per dioecesim etiam diffusi *Ordinum equestrium* militarium *Calatravae, Alcantarae,* necnon *D. Iacobi,* vel *Caroli III* seu *Elisabethae* catholicae, aliorumve similium professores; quibus accedunt sodales utriusque sexus multiformium consociationum et confraternitatum, iuxta quarum constitutiones singuli qui gremio adscribuntur, defendere imm. Conceptionem eiusque cultum sustinere atque propagare iurant. Istorum omnium innumeram multitudinem alacri animo, libera fervidaque devotione ceteri de Clero et populo prosequuntur; unde fit, quod Festum huius mysterii maiori prae ceteris festivitatibus confluentia et solemniori apparatu ubique celebretur. Perpauca hac super re, ne nimius sim, exempla proferam. Atque ut a Civitate hac *Malacitana* exordiar, ultra ea superius relata de Ecclesia Cathedrali, memorare oportet alias duas titulo imm. conc. canonice dedicatas. Harum prima est *Monialium Clarissarum,* quae votis religiosis consvetis alterum adiiciunt, sustinendi nempe nervis omnibus illibatam Virginis Matris conceptionem; altera ad *Clericos minores regulares* extra claustra ob praesentes luctuosas circumstantias degentes attinet: in ea splendidissimus huiusmodi mysterio cultus tribuitur, ingentes impensas suppeditantibus largissimis piorum eleemosynis. Porro in Civitate *Anticaria* extat *Ecclesia Collegiata,* cuius Canonici antequam admittantur, iurant se defensuros illibatam Virginis Conceptionem, eiusque festum per singulos dies totius

Octavae ritu primae clasiss cum Missa solemni atque concione peragunt. Huius Ecclesiae collegium *Seminarium* titulo immac. Conc. decoratur, eiusque iuvenes alumni, qui etiam sicut canonici iurant hoc mysterium defendere, illud in Collegii sacello quotannis per novem dies piis exercitiis devotisque laudibus colunt, magnificant, concelebrant ac venerantur. Praeterea in Ecclesia parochiali *S. Michaelis Arch.* sacrum novendiale in ipsius mysterii obsequium maxima cum celebritate devotissimoque apparatu quotannis peragitur; quod itidem fit tum in Ecclesia *Monialium S. Augustini* titulo imm. conc. insignita, tum in alia *Monialium S. Clarae,* cuius sorores vovent solemniter tuitionem istius mysterii, decoranturque in amictu scapulari eodem insigni pectorali, tum insuper in Ecclesiis ad eiectos Regulares pertinentibus, Ordinum *Capucinorum, Observantium,* ac *Tertiariorum S. Francisci.* Floret in civitate *Foronda* amplissimus Ordo equestris, ex honestis piis et nobilibus viris constitutus, qui ab eiusdem Ordinis initio, anno scilicet 1572, devotum erga Deigenitricis immac. Conc. studium profitentur; — valde autem notare licet, quod hic ordo iuxta suum statutum tenetur obnixe procurare istius mysterii dogmaticam definitionem. — Existit quoque in eadem civitate Monasterium magni habitus Monialium Ordinis de Conceptione, ab Innocentio VIII approbati, et a Iulio II confirmati, auctique nova speciali Regula, quae inter innumera et plausibilia testimonia propensionis Rom. Pontificum in mysterium immac. Conc. Marianae iure merito est recensenda. Statuit itaque *Iulius II* scopum Regulam hanc profitentium esse, Iesu Christo Redemtori nostro desponsari, et eiusdem Genitricis imm. Conceptionem venerari. Deinde cap. 3. praecipit: quod habitus harum Monialium cum scapulari sint coloris albi in testimonium virgineae puritatis mentis et corporis; pallium autem sit hyacinthini coloris propter mysticam significationem, videlicet quod gloriosae Virginis anima a creatione sua tota fuit coelestis et singularis Regis aeterni thalamus. Addit etiam Pontifex: portent in pallio et scapulari imaginem Dominae nostrae solaribus radiis circumdatam et stellis in capite coronatam. Praetereo quamplura in civitate hac Forondensi eiusque finitimis oppidis publica et spectabilia monu-

menta, quae huius mysterii creditum constanter excitant, et confirmant, eiusque insignem praedicant excelsitatem. At bona tua venia subtexam, quod in oppido Arcilasi plus quam 7000 incolarum habente ex antiquo voto publico celebrantur omnes dies Octavae Conceptionis tamquam dies festivi cum abstinentia ab operibus servilibus. Demum, B. Pater, inter sex supra centum oppida huius dioecesis nullum est, ubi magis vel minus pro circumstantiarum varietate signa extraordinaria pietatis erga hoc mysterium non resplendeant et constanter edantur: tum per altaria, capellas, et etiam ecclesias eius titulo erectas atque sacratas, tum per confraternitates ac varias consociationes ad eius cultum ac defensionem institutas, tum per anniversaria, capellanias aliasque perpetuas memorias pias ad ipsius cultum sustinendum fundatas, tum denique per frequentiam Sacramentorum aliaque pietatis opera, quae in eius die festo et infra octavam generatim exercentur. — Ex his satis liquet insignem atque fervidam esse cleri populique fidelis erga imm. Deiparae conceptionem pietatem, qua incensi vehementer omnes desiderant, atque obnixe postulant, ut Sanct. tua rem ut articulum fidei ab omnibus credendum solemniter definiat atque decernat. — Superest, ut ego iuxta Sanct. tuae placitum aperiam, quid de ipsa re sentiam quidque exoptem. *Sentio* itaque iuxta Constit. Alexandri VII ‚Sollicitudo‘ anni 1661, *gloriosissimam Deiparam fuisse in primo instanti creationis et infusionis eius animae in corpus ab omni labe peccati conceptam, atque exopto, ut Sanct. tua id dogmatice definiat tamquam articulum fidei ab omnibus firmiter credendum;* compertum mihi est, atque exploratum indubitanter habeo, huiusmodi definitioni nihil obstare, pluraque validissima rationum momenta favere. *Non obstat* inprimis, *quod ista definitio* maximi utique ponderis attentis temporum circumstantiis, *in Concilio Generali fieri nequeat;* etenim posse Romanos Pontifices istiusmodi controversias, sicut et omnes ad fidem, mores, et religionem pertinentes, per se solos et extra Concilium definire, ex praxi a primis seculis usitatissima, consentiente et plaudente Ecclesia, luculenter apparet. *Non obstat, quod pia sententia* usque a multis seculis acriter disquisita, atque *Sedi Ap. iterato proposita, numquam tamen fuerit decreta:* quippe causa huius

dilationis non alia est, nisi prudens Ecclesiae oeconomia, secundum quam non omnes veritates eodem tempore ab Ecclesia definiuntur, sed ea occasione, qua Spiritui S. visum est. Propterea *Paulus V* instantibus precibus Hispaniarum Regis *Philippi III* rogatus, Legato respondit: se probe scire quid posset, nec agi hic de sua ut definiret potestate, sed de convenientia et necessitate, atque in re tanti momenti lento gressu procedendum esse. Praeterea *Synodus Tridentina*, quae multa definivit non antea definita, definitionem de qua loquimur iustis de causis praetermisit, quia nempe urgentiores aliae decisiones contra haereticos erant suscipiendae, et pro temporis conditione consultius videbatur prius adversus haereses manifestas quam de controversiis inter catholicos agere. *Non obstat sententia contraria SS. Bernardi et Thomae*, aliorumque magni nominis Doctorum illos sequentium: nam, ut ipse S. Thomas docet, maximam auctoritatem habet Ecclesiae consvetudo, et magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam S. Augustini etc. Insuper vulgatissima sunt testimonia eiusdem *Angelici Doctoris*, quibus asserit Ecclesiam non celebrare festum nisi de obiecto sancto; unde infert BVirginis nativitatem, de qua nullum habemus biblicum testimonium, sanctam fuisse, quia illam Ecclesia celebrat. Id ipsum dicere oportet de S. Bernardo. Quocirca theologi communiter censent, quod si isti SS. Doctores modo viverent, totis proculdubio viribus piam et ecclesiasticam sententiam de innoxia Conceptione amplexuros esse aliterque ac olim scripturos, si eis videre licuisset constitutiones et decreta Pauli V, Alexandri VII, nec non Clementis XI hac super re lata, atque evulgata, tuto affirmare liceat. Demum resistentia Doctorum nihil profuit, nec impedire potuit, quominus sententia pia magis magisque per Ecclesias populosque extenderetur et acceptaretur, ita ut quasi palma ventis quassata vehementius assurgeret, triumpharetque vividius ac gloriosius. *Non obstat* denique *Scriptura S. quamvis sententiis universalibus omnes homines in Adam peccavisse doceat.* Etenim Synodus Tridentina, quae hoc ipsum sub anathemate ab omnibus de fide credendum decernit, declarat tamen non esse suae intentionis comprehende-

re in hoc decreto — Beatam et Immac. V. Mariam etc. Ex quibus verbis luculenter patet, sententias universales Scripturae S. exceptionem admittere pro immac. V. conceptione, contra quam illas adducere nihil aliud est, quam actum agere. E converso *S. Scripturam piae sententiae favere* planum est atque indubitatum. *Quotquot* enim *eccles. doctores de Virginis magnalibus scripsere, testimoniis biblicis illa confirmarunt*; et iure merito; nam, ut ait S. *Bernardus:* ‚missus est Angelus ad Virginem, a seculo electam, ab Altissimo praecognitam, et sibi praeparatam, a Patribus praefiguratam, a Prophetis promissam; scrutare Scripturas, et proba quae dico.' Praeterea Auctor sermonum in Salve Regina (inter opp. S. Bernardi) ait de BVirgine: ‚de hac et ob hanc et propter hanc omnis Scriptura facta est.' Pari modo loquuntur alii doctores ecclesiastici, ea ducti ratione, quia BVirgo divinitus fuit ab initio et ante secula electa, ut esset Mater Dei, ac proinde numquam seiuncta ab eius Filio, de quo testimonium perhibent Scripturae, et cui salva semper eius praestantia fuit Mater carne ac spiritu simillima. Propterea S. Doctor *Petrus Damianus* non timens de Maria enunciare illud, quod Apostolus de Christo scripserat, dixit; ‚Per ipsam, et in ipsa, et de ipsa, et cum ipsa totum hoc faciendum decernitur a Deo, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit.' S. Bernardus quoque eodem modo sentiens aiebat: ‚In te, o Maria, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.' Ex praedictis apparet, quam apposite *Officium de imm. Conc. quo Clerus in Hispania ex indulto apostolico utitur,* et incipit ‚Sicut lilium' cum Missa ‚Egredimini', *permultis testimoniis biblicis est locupletatum.'* — Praeterea *Officium Romanum cum sua Missa* pro usu Ecclesiae universalis iteratis vicibus a Sede Ap. approbatum atque praeceptum, *insignia biblica testimonia exhibet,* ita docens Clerum et populum, quod in Verbo Dei huiusmodi mysterium continetur. Continetur revera et quidem in sensu literali, spirituali sive mystico, ex quo firmum pro hac re depromitur argumentum. Eloquia enim sacra, quibus utitur Ecclesia in huiusmodi officio et missa, videlicet ‚Dominus possedit me in initio viarum suarum — Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita' etc. quamvis de sapientia genera-

tim loquantur, tamen sapientiam divinam aeternam et incarnatam simulque eius SS. Matrem, sine qua Filius Dei non potest filius hominis esse, implicite significant, ita ut primario Christum Dominum, et secundario Virginem Mariam designent. Alioquin quid attinet verba illa sacra in huiusmodi rei usum derivare? Leviterne atque incassum ea devote proferre ac religiosa attentione recitare non docet ac praecipit Ecclesia? Sentiendum igitur opinor, certum esse ea certitudine, quae dicitur theologica et moralis, quod mysterium de innocentia originali BVirginis inclusum existit in supra indicatis divinis eloquiis, aliisque multis passim apud Scriptores parthenicos consignatis. Profecto *sententia de immac. Conceptione*, quae teste Alexandro VII in sua Constit. ‚Sollicitudo', (a. 1661.) vetus erat in Ecclesia, et tunc adeo creverat, ut fere omnes catholici eam amplecterentur, *hodie est omnino certa in summo gradu, quo maior, nisi qui fide catholica innititur, concipi potest.* Ita sentiunt theologi omnes recentiores irrecusabilibus irresolubilibusque argumentis fundati. Ex illis satis sit indicare, laudatum *Alexandrum VII* partim declarasse partim decrevisse 1. quod sententia de praeservatione Virginis in primo suae Conceptionis instanti sit pia et ita tenenda a Christifidelibus, ut contrarium nec publice nec privatim liceat asserere aut docere, prout sub gravissimis poenis prohibuit etiam et decrevit *Gregorius XV* a. 162 2 die 24 Maii; 2. quod obiectum cultus in festo Conceptionis est secundum istam piam sententiam, adeoque in quantum BVirgo fuit concepta non quoad corpus, sed quatenus anima eius statim in primo instanti infusionis in corpus praeservata a peccato originali, et gratia sanctificante praeventa fuit. Deinceps *Clemens XI* in sua Const. ‚Commissi nobis' a. 1708 hunc cultum ampliavit his verbis: ‚Festum Conceptionis BVM. immaculatae ubique terrarum ab omnibus sicut alia festa de praecepto servari — praecipimus.' — Extunc itaque festi de conceptione BV. celebratio, quae antea ex libera cuiusque particulari devotione peragebatur, adstrictoria evasit, ita tamen, ut salvo speciali Apostolico privilegio omnes de Clero singulis annis die 8 Dec. Officium cum Missa facere tenerentur de Nativitate BV. mutato tantum verbo Nativitatis in aliud Conceptionis. Sic ex illo tempore usque in praesens constanter servatur ab

omnibus Romano Breviario ac Missali utentibus. Sancta igitur est BVirginis Conceptio, sicut sancta est itidem eius Nativitas, quae ipsissimis verbis ab Ecclesia celebratur. *Certitudo de mysterio Conceptionis eadem est iudicanda cum certitudine mysterii Nativitatis, imo etiam Assumtionis;* et sane cum ex Clementis XI diplomate supra laudato festum Conceptionis inter festa de praecepto ubique terrarum observanda fuerit annumeratum, iam pari passu haec tria Deiparae mysteria ambulant; ac collatis inter se fundamentis, quibus illa nituntur, iam in aperto est, Conceptionem illibatam eodem sensu habendam, quo Nativitas habetur et Assumtio, nullaque prorsus in re illam istis cedere unquam, imo immac. conceptionis mysterium in eo quidem ceteris praestat, quod Ap. Sedes, ut ex supra citatis decretis Gregorii XV et Alexandri VII constat, contrariae opinioni vocem et lingvam iamdiu praeciderit, ne quoquomodo sit amplius oppugnatum. *Praestat insuper fama, existimatione ac credibilitate.* Quamvis enim ex se mysteria satis abunde credibilia sint assensu non quidem fidei catholicae, utpote nondum ab Ecclesia dogmatice definita, sed certitudinis theologicae ac moralis, ut passim demonstrant theologi: nihilo tamen secius Conceptionis illibatae mysterium habet pro se luculentiora veritatis momenta gloriamque splendidiorem. Id patet *ex multiplicibus miraculis* apud historicos fidedignos consignatis, quae a viris piis doctis atque solertibus habita sunt signa et quasi verba divina, testantia circumstantiis et adiunctis perpensis huiusmodi mysterii veritatem. Patet etiam *ex votis et iuramentis Universitatum cath.* hoc mysterium defendendi causa emissis, sub variis formulis approbatis a respectivis Eppis et Ordinariis locorum, inter quas maxime venit notanda illa nonnullis in locis consveta profundendi sangvinem mortemque subeundi, si opus fuerit, pro eiusdem mysterii tuitione. Ad Universitatum exemplum conformia inveniuntur Capitula, multaeque Clericorum Congregationes, Ordines Religiosi, Senatus regnorum, Confraternitates laicorum, aliaeque multigenae consociationes, quorum omnium consilium atque studium est, sanctam immaculatam Deigenitricis Conceptionem venerari colere et defendere, ac ipsius insuper devotionem in animos utriusque se-

xus fidelium insculpere, insculptamque fovere, inflammare, ad Dei et eius Virginis Matris gloriam, Ecclesiae bonum, et animarum nostrarum salutem. Unde fit, ut inter ceteras BV. festivitates ista solemniori pompa ferventiorique pietate ubivis celebretur. *Sed quod omnia hac in re supergreditur, est illud piissimum studium, semper constans, numquamque non propensius Rom. Pontificum erga immac. Conceptionem Virginis.* Immane ac prorsus inenarrabile est, quanta Petri successores docuerint, atque gesserint in gratiam piae sententiae de imm. conceptu, illam fovendo ac declarando, contrariam ab Ecclesiis, scholis, et etiam a privatis colloquiis ablegando, Ordinem Religiosum atque innumera sodalitia approbando, templa, altaria, imagines, numismata, coronas precatorias, aliaque his similia copiosis indulgentiis ditando, Horas Canonicas Missamque sapientissima prudentia ordinando, ac inducendo, denique diem festum huius mysterii stricta lege servari ac sanctificari toti Ecclesiae denunciando. Praeclara sunt ista, B. Pater, myteriumque innoxiae Conceptionis sustollunt magnifice: at vero pietas fidelium aliud amplius desiderat, vehementerque peroptat. Viget enim adhuc in omnium cordibus vetus ille fervor, quo Reges, praesertim Hispani, una cum Eppis, Ordinibus Religiosis, Senatoribus, Optimatibus, Proceribus, theologis, ac praecipue doctoribus Universitatum aliisque huiusmodi viris Sedi Apostolicae pro ipsius mysterii definitione actuosas supplicationes, iterum atque iterum instauratas, humiliter obtulerunt. Neque tamen post eminentem eiusdem mysterii ob praelaudatum Clementis XI decretum clarificationem flagrans pietas Principum ac populorum elanguit, neque deferbuit; quin potius ex integro renovatae deinceps fuerunt istiusmodi supplicationes; quas inter memorandae illae *Caroli VI* Romanorum Imperatoris ad *Clementem XII* a. 1732 exponentes: quod etsi universa fidelium vota ac desideria definitionem huius pii mysterii magnopere diu expectarent, efflagitarentque instantissime, prae ceteris ipsi Imperatori incumbebat in hoc pio ac sancto negotio cunctas exerere vires quam studiosissime in signum gratitudinis ac debitae recognitionis ob multas insignes victorias a suis praedecessoribus ex infidelibus reportatas ope Augustissimae coeli ac terrae Reginae, aliasque com-

plures, quas in posterum ab ipso reportandas patrocinio eius-dem Virginis firma spe ac fiducia ducebatur. Consimili devotionis spiritu animatus Rex Catholicus *Philippus V* ad ipsum Clementem XII eodem anno supplices instantissimas literas scripsit, postulans optatam et saepe efflagitatam huius mysterii definitionem, et asserens: quod ipsi suisque regnis ea semper cordi fuerit, seque eo plus in hac causa promovenda obstrictum agnoscebat, quo magis se se obligatum concipiebat ob accepta a Deipara sub mysterio immac. conc. tot ac tam insignia beneficia et victorias. Nunc igitur, B. Pater, hisce piis populi desideriis cum intima veritatis mysterii persvasione necessario colligatis, afficiuntur populi cum suis sacris pastoribus omnium nationum catholicarum, quae quidem moribus, educatione, cupiditatibus, studiis et opinionibus inter se discrepant, longisque locorum intervallis existunt disiunctae. Haec autem tam universalis unanimisque consensio nonnisi a Deo, mentium et cordium supremo moderatore, potest proficisci. Qui etiam aliunde cum Ecclesiae suae semper assistere usque ad consummationem seculi promiserit, numquam illam errare sinere potest in hac re tanti momenti, utpote ad fidem, religionem, et divinum cultum pertinente. Permisit utique piam nostram sententiam ad tempus oppugnari; id tamen sapientissimo suae providentiae consilio accidit, ut illa clarior evaderet ope doctorum, quos ipse suscitavit atque spiritu veritatis replevit, ut rem in Verbo divino scripto et tradito diutius ac exquisitius investigarent, et reipsa invenirent. Quapropter inter doctos et indoctos, inter pastores et oves Christi Ecclesiae per totum orbem dispersae nullus est, ut ex documentis historicis apparet, qui piam sententiam non amplectatur, eiusque definitionem dogmaticam non exoptet, ut gloriosissimae Dei Matris Virginitas spiritualis ab omnibus tamquam articulus fidei, sicut eius Virginitas corporalis, credatur atque conglorificetur. Eia ergo, B. Pater, respice super omnes filios tuos in Christo carissimos; exaudi propitius eorum instantes ac devotas supplicationes; aperi os tuum in medio Ecclesiae, cuius Doctor et Pastor Supremus existis, atque ex Cathedra, quam dignissime occupas, et in qua numquam deficiet fides Petri, fac nos audire vocem tuam, vocem Filii Dei, cuius vices geris in terris, vocem extollentem

eius dignissimam Matrem matremque vitam dulcedinem et spem nostram; vocem, qua laetantibus coelis et exultante terra *pronuncies Mariam semper fuisse gratia plenam, totam pulchram, ab omni labe peccati, etiam originalis, prorsus immunem,* numquam Deo mortuam, semper etiam a primo instanti suae animationis Divinae Maiestatis oculis vivam. Fac, ut tua sanctione apostolica vivat per fidem divinam magisque meritoriam in mentibus et cordibus omnium Domina nostra, quae coeli culmina tenet; fac, ut vivat Maria fulgens existimatione, decore, puritate et fama super omnes Sanctos atque Choros Angelorum. Sic illam magnifice elucidabis, vitamque aeternam habebis. — Malacae, Idibus Dec. 1849. *Salvator Iosephus.*

---

964. **Vic. Apost. Gibraltariae.** — Simulac per reditum quorumdam ex PP. Missionariis huius Civitatis tunc absentium morem Tuis piissimis ac sanctis votis gerere licuerat, publicas preces indicendas populumque concionibus excitandum curavi, quo ardentius cupidiusque Omnipotenti Deo supplicaret, ut mentem Sanct. tuae collustrare dignaretur, quatenus in re tanti momenti et a permultis tamdiu tamque vehementer expetita suscipere valeat, quod ad maiorem Dei Nominis honorem et Matris Virginis laudem redundaret, militantisque et oppressae Ecclesiae utilitatem magis conferret. Invitationi a Cathedra Petri, quam devotissime veneratur, a Centro unitatis, cui fidelissime devincitur, a Vicario Iesu Christi, quem summa observantia colit, provenienti magno fervore et assiduitate populus hic respondit, et templa fideles vocibus repleverunt et suspiriis, Deo supplicantes, ne Mater Domini Salvatoris nostri hoc honore diutius privaretur. Finitis precibus *Clerum convocavi, qui et suam erga Imm. Virginis Conceptionem devotionem manifestaret, ac desideria populi ab iisdem comperta patefaceret. Una vox ex omnibus erupit: tempus advenisse, quo Vicarius Iesu Christi, si Sanctitati Suae bene visum fuerit, decerneret ac definiret, Mariam semper Virginem sine labe peccati originalis conceptam fuisse;* talemque decisionem et ad maiorem Dei Nominis honorem et BVirgi-

nis laudem valde collaturam novumque Ecclesiae auxilium allaturam. *Pusillitas quoque mea in aure Beatissimi Patris Pii vota sua etiam atque etiam susurrare audet, enixeque precatur, ut per decretum solemne Sanct. tua sigillo veritatis hanc opinionem universalis fere Ecclesiae obsignet,* ut sic Maria Mater et Virgo et maiori reverentia honoretur in terris, et eius Immac. Conceptio numquam amplius in disceptationem vocetur. — Gibraltariae, 10 Ian. 1850. *Fr. Henricus Hughes.*

---

965. **Eppus Gerundensis.** — Deigenitricem Beatissimam ac semper Virginem *Mariam absque labe peccati originalis fuisse conceptam,* atque veluti arcam Noë ab aquis diluvii, illam de communi culpae contagione a Divino praeservatore ex morte eiusdem Filii sui praevisa immunem servatam fuisse, *firmissime teneo : et hoc ipsum et clerum et fidelem populum huius dioecesis,* ubi vera religio cum eximia pietate, Dei singulari favore, post tot ac tantas bellorum strages, immobili robore firmiter stat ac perseverat, *sentire ac profiteri gaudenter ostendimus.* Luculentissima argumenta, quibus pietatis officia erga BVM. et in eius imm. Conc. mysterium evincuntur, non solum huius vel illius gentis terminis concluduntur, verum etiam generali populorum Hispaniarum ac totius orbis catholici assensu ac fide roborantur. Et nisi velut importunus et extra limen adscriptus evadere vellem, mira et magna cordis effusione, quae in Hispaniarum Regnis de immac. Conc. a remotioribus temporibus et semper in dies constanti cultu, invariabili sententia, traditione semper excrescente ferventissimo ac tenerrimo animorum sensu celebrantur, iucundissime enarrarem. Sed haec omnia, et quae ad huius mysterii speculativam, ut ita loquar, scientiam attinent, praetermitto; cum praecipue a sapientissimis viris ac virtute fulgentibus iam retroactis temporibus et nunc etiam Vestrae Beat. speciali cura congregatis huius materiae copia luculentissime sit absoluta. Quapropter cum interioris assensus veritatem praxis demonstret, nonnulla huius rei exempla transscribere existimo. Communi et generali plausu *utrumque Hisp. et Indiarum regnum*

tamquam praecipui patronatus titulo, cuius honore gloriatur, *celeberrimum festum* (Imm. Conc.) *cum Missa et officiis propriis veneratur et colit. Sub hoc etiam gloriosissimo imm. Conc. titulo plurimis in sapientiae scholis Maria ut Patrona agnoscitur*; *et in huius Principatus Academia statuta lege provisum fuit, neminem ad publicos scientiae gradus posse conscendere, quin prius iureiurando sese constringeret, V. M. imm. conceptionem sese defensurum.* Collegia etiam pridem erecta cernuntur, quae eiusdem V. Mariae tutelae commissa eandem ut immaculatam in primo suae Conceptionis momento venerari laetantur. Et quid aliud innuunt et demonstrant nisi hanc piam fidem, tot *Capellae BVM.* sub eodem titulo dicatae, tot eiusdem *sodalitates*, innumeris privilegiis ac indulgentiis a Summis Pontificibus locupletatae? Numquid non id ipsum plane evincit pia admodum consvetudo, qua *renatis sacro fonte puellis* quadam animi teneritudine *Mariae Conceptionis nomen frequenter imponitur.* Et quid etiam aliud significat generalis supra modum huic mysterio devotio, qua tam in publicis quam privatis locis, tum sculptae tum depictae Conceptionis imagines passim conspiciuntur? Verum quod Hispanorum piissimum ac firmiter animis infixum assensum imm. conc. penitus evincit, ac veluti singularis honos huius Nationis existit, abs dubio ea est *dulcisona salutatio*, quae a retroacta immemorabili antiquitate ad haec usque tempora a parentibus in filios tamquam peculiari haereditatis iure transmissa, ad ingressum domus sic adhibetur: *Ave Maria purissima, sine peccato concepta.* Haec omnia ita se habent in Hispaniae regnis, quorum pietas et devotio circa imm. V. M. conc. satis exprimi non potest; et in hac Gerundensi dioecesi, non sine ingenti gaudio profiteor, plurimi sacerdotes SS. Missae Sacrificium celebrarunt, et plures insigni pietate viri et mulieres sacram Eucharistiam frequentiori more ex illa die sumere coeperunt, qua notum factum est a Vestra Beatitudine, preces et vota ordinari, ut, si Deo placeret, tamquam de fide catholica credendum immac. conc. mysterium tandem definiretur. Nec mirum quod ista devotio sic excreverit, cum iam XIII seculo quamplurimis capitularibus actis et festum et eximius cultus BVM. sub titulo conc. immac. Municipio apparatu splendido cooperante, et populo mira exulta-

tatione gaudente, fuerunt conclamata. Nec silentio praetereundum existimo, quod ad hanc Civitatem speciatim pertinet, quippe ad nostrum assertum roborandum maxime refert; scilicet a die 1 Febr. anni proximi elapsi, pridie nempe quam praeclaram Encyclicam Vestra Beatitudo edidit, quasi proprio et simultaneo motu solemne triduum fuit stabilitum adinstar Societatis Scapularis cerulei Apost. Sedis auctoritate iam obfirmatae, immaculatae conceptioni Virginis Mariae dicatum in quadam Ecclesia huius almae Cathedralis suffraganea; in qua usque ad hodiernum diem non officiente exiguo hanc civitatem inhabitantium numero 1500 personarum nomen inscriptum apparet, quae praedictum coeleste religiosum signum superinduere. Dum haec omnia mecum animo recolo, dum non de unius populi ac regionis, sive aliquarum personarum, atque uno tempore habita opinione, agi considero, sed de communi admodum assensu per plura tempora firmiter admisso, atque amplissimorum hominum, Academiarum testimoniis, et insuper Ecclesiae concessionibus ac privilegiis roborato, praeconceptum sermonem cohibere non valeo, ac vivida ex praecordiis affectione non possum non in haec verba prorumpere: Ergone credibile est, Ecclesiam, sanctam cath. apostolicam, cui sive congregatae sive etiam dispersae in rebus religiosis, quas generaliter tenet, promissio Salvatoris de infallibilitate pollicita est, nec ei ea deneganda in his, quae ad festa Sanctorum religioso generali assensu observat et pio cultu ac veneratione adimplet, in sola hac suae SS. Matris, et circa praecipuum Deigenitricis decus et ornamentum universali constanti et semper in dies excrescente fide claudicare? Sane vel hoc solum suspicari nefas existimo; etenim Divinae Bonitati incongruum ac minus dignum videtur, sinere aut permittere Sponsam Christi in eiusdem tenerrimae ac amantissimae Virginis Matris, et ab ipso pariter super omnia creata sive quae in coelis sive quae in terris existunt aut existere possunt, praedilectae festo Conceptionis, quam immaculatam iubilo dulci, plausu celeberrimo fere ubique terrarum celebrat, errore veluti ineluctabili atque invincibili decipi. Absit a catholicorum mente vel cogitare, Ecclesiam, quae non solum est columna et firmamentum veritatis, verum etiam Magistra, in tam generali membro-

rum suorum — assensu festivitati subesse, et maxime dum expetit ac quaerit nitidissimum decorem ac splendidissimum decus in illo Virgineo tabernaculo, per quod Summa Trinitas honoratur, et ex quo ipsa Divina Trias SS. D. N. I. C. corpus efformavit, tenebricosa erroris macula foedatam obnubilari. His perpensis, *nihil amplius*, B. Pater, *me posse expetere cogito, nisi ut, quod pio et firmissimo assensu cum clero et populo teneo et profiteri glorior, velut maxime consentaneum Divinae voluntati, quamcitius Vestro irrefragabili iudicio tamquam dogma de fide cath. tenendum, immac. V. conceptionem, definire digneris.* Et quis sciat an divinae providentiae inscrutabili dispositione huius definitioni mysterii de immac. V. Mariae conceptione tamdiu ardenter optatae ac precibus expetitae reservetur, ipsius purissimae Virginis, cuius potestati iam ab origine mundi superne concessum fuit, caput serpentis conculcare, et cunctas haereses in tempus profligare, nunc etiam foedas ac multiformes in religionem ac societatem errorum colluvies pede sanctissimo conterere? Gerundae, VIII Kal. Apr. 1850. *Florentinus.*

---

966. **Eppus Giennensis.** — Si tantummodo de Cleri et populi huius dioecesis, meique, sine meritis Pastoris eorum, sententia ageretur, nullam responsioni moram fecissem; meorum quippe pietatem erga imm. Deigenitricis Conceptionem probe cognosco, menti cordique meo vehementer repugnat, aliquando sub diaboli potestate eam fuisse, quae illius caput esset contritura; contra vero quam maxima laetitia afficior, cum ingenuam semper, semper pulchram, semperque immaculatam considero, et a culpa originali alienam Dei virtute, qui suum tabernaculum sanctificavit. Cum autem tu, SS. Pater, Eppos dignatus fuisses interrogare, quid de hoc mysterio sentirent, ab eis, ni fallor, suffragium dogmaticum petens, vix vehementes animi motus cohibendo, in hanc opinionem veni, me orare, consulere, ac diu meditari debere, ut in tanta re sententiam aperirem. Factis igitur publice privatimque rogationibus ad impetrandum Dei auxilium ob S. atque Imm. Matris

suae intercessionem, optimum factu esse putavi, Cathedralium, Collegiatarum, et Parochorum Capitula, literarum Academias, quosdamque Regularis familiae viros audire, ut, quid de immac. V. Conceptione in iis societatibus credebatur, haud obscure patefacerent. Hi *omnes post examen diligentissimum una voce confitentur, semper se S. Virginem ab originali culpa liberam credidisse, et ideo ex primo conceptionis suae momento immaculatam, eosque vehementi desiderio flagrare, ut eiusmodi res ab Ap. Sede decernatur.* Quamvis autem mentis meae eadem sententia fuisset, atque idem animi mei desiderium, existimavi nihilominus me orare atque amplius meditari oportere, antequam meam sententiam palam ostenderem. — En igitur, SS. Pater, qua de causa tuis literis responsum non statim dedi. *Meorum* autem *maiorum et praecipue Cardinalis Pacheco,* qui in SS. Trid. Synodo pro immac. Mariae Conceptione optime verba fecit, *atque S. Eppi ac Martyris Petri Paschasii vestigiis insistens, una cum his omnibus huius mysterii veritatem confiteor,* verba postremi usurpans, cum ex vinculis publicis Illiberiae, ubi comprehensus pro Christi fide tenebatur, ita scribebat: ‚Oportet igitur intelligere et credere, et hoc per specialem gratiam, quod haec praefata Virgo est ea, de qua Proverbia Salomonis loquuntur, quod ante omnem creationem fuit electa, ut Dei Mater esset. Ergo praedicta Virgo fuit omni tempore in gratia Dei, et voluit (Deus) eam praeservare ab hoc originali peccato, quod mortale erat, et ab omni alia deturpationis iniuria. Et hoc per specialem gratiam operatus est Deus, tamquam qui ab ea carnem assumturus erat. Originale peccatum venit in hominem, et hoc per inobedientiam, propter quam Dei indignationem promeruit. Si ergo Virgo Maria labem originalis maculae attraxit, dicendum esset, quod aliquo tempore fuit in ira Dei; quod nec dici, imo nec credi debet, sed potius quod ante conceptionem eius et postea in gratia Dei extiterit et amore.‘ Sic Petrus Paschasius perillustris Ecclesiae Giennensis Eppus et Dei Martyr locutus est, cuius ego sententiae valde ex animo assentior, *te magnopere exorans, ut dogma fidei declarare digneris, quod usque ad diem hodiernam piam opinionem credidimus:* ita enim iudicio Ap. Sedis enunciato nec minimum qui

dem dubium ad credendum remanebit, SS. Deigenitricem a primo suae naturalis existentiae momento non labe originali sed in gratia fuisse conceptam. — Gienni, 12 April. 1850. *Iosephus.*

---

967. **Eppus Tirasonensis.** Simul ac mihi tradita est ab Excellentissimo et Illustrissimo Domino in his regnis Nuncio Apostolico Encyclica, cum gaudio summaque cum reverentia per me lecta, data Caietae die secunda Februarii anni praeteriti, directaque ad omnes Episcopos orbis catholici eo scopo, ut Sanctitatem Tuam de devotione et sensis informaremus, quibus populus et Clerus nostrarum respectivarum Dioecesium est erga immaculatam Conceptionem Mariae Sanctissimae imbutus, ac manifestaremus opinionem nostram et votum cummune definitionis dogmaticae dicti articuli: statim am huic meo Capitulo cathedrali, ac toti Clero Dioecesis huius promulgavi, mandando eodem tempore, ut ad hunc finem fierent preces publicae in omnibus Ecclesiis. *Eram iam persvasus de sensis, affectibus et devotione Cleri fideliumque huius Dioecesis, quibus pariter ac reliqui Hispaniae catholicae filii mysterium immaculatae Conceptionis Dominae nostrae prosequuntur, et ex contestationibus, quas ab hocce Capitulo Cathedrali atque Parochis percepi, maximo cum gaudio agnovi Sanctitatique Tuae testificor, praedictum meae Dioeceseos Clerum ac fideles habuisse semper pro veritate fidei hoc mysterium, celebrando illud constanter maxima cum solemnitate, tenerrimaque cum devotione, eorumque maxime ardentia ac efficacia desideria esse, ut felix illa dies adveniat, qua Sanctitas Tua illud definitive pro dogmate declarare dignabitur. Eadem sensa et cogitationes cor etiam meum occupant, atque iisdem conformiter praedicavi vicibus repetitis populo, proponens ei veritatem huius mysterii argumentis ac rationibus, ut mihi quidem videbatur, evidentibus omnino atque efficacibus, ut manifestent, de antiquis disputationibus causam esse finitam.* — Tirasonae 7 April. 1850. *Fr. Vincentius.*

---

968. **Eppus Barbastrensis.** Quamquam indixi iampridem rec. mem. Gregorio XVI praedec. vestro dignissimo, cum in Gallia exularem, quaenam esset Cleri tam secularis quam regularis, omniumque fidelium mea sub auctoritate degentium erga B. Deigenitricem Mariam sine culpae labe conceptam et pietas et opinio, quidque ipse sentirem de augustissimo huiusmodi mysterio: nihilominus revocatus tandem in patriam post longum novem annorum exilium summa cum mei cordis consolatione reperi, pientissimam hanc et magnopere laudabilem opinionem non modo non defecisse e populorum animis, ex quo eos relinquere fui coactus, sed novas hausisse opes, atque haurire in dies, quin officere hucusque illi potuerint pessimae ac valde perniciosae doctrinae, quas in hanc vineam Domini irruentes non cessarunt perfundere improbi homines et incredulorum colluvies impia, quae in maius quotidie abibat. Ast nuper, SS. Pater, et cum publicae vestro nutu rogationes per totum terrarum orbem sunt edictae, *facile intellexi, eam esse omnium circa mysterium hoc fidem, ut haereseos se se peccatum incurrisse arbitrentur, nisi pari cum ceteris, quae ab Ecclesia sibi proponuntur, fide et amplecti extemplo et habere curent cupidissime.* Verum pientissima haec opinio non recens ac nova in Hispania est, optime Pater, nec desiderium, quo nunc ardent Hispani populi, tamquam felicioris illustrationis fructus est putandum, cum Vestram minime lateat Beatitudinem, universos sensisse Hispanos per omnia secula ab ipsis Ecclesiae incunabulis usque in hodiernam diem. Proclive mihi foret, SS. Pater, innumera proferre huius assertionis testimonia: ast versatiorem in rebus ecclesiasticis te existimo, quam ut mea indigeas recordatione. Rogavi igitur, ut mihi nuper piissime innuisti, clementissimum luminum Patrem, quo potui fervore ac studio, ut te divini sui spiritus superna luce perfundat, Numine afflare dignetur. — Curavi itidem, ut preces in toto qua late patet mei Eppatus spatio diligentissime peragerentur: et *sacro meo muneri deesse me turpiter crederem, nisi Vestrae Beatitudini testarer iterum iterumque de summa tam Cleri universi quam populi huius fidelis devotione erga Immac. V. conceptionem. Quo autem desiderio hae flagrent gentes pastorali meae curae*

subiectae, ut tamquam dogma res eiusmodi ab Apost. Sede decernatur, vires mihi desunt, ut verbis efferre queam. Propera, SS. Pater, ut quamprimum vota adimpleas universi mundi catholici, Eppatus cuncti, Cleri omniumque Christifidelium; et divino afflatus Spiritu declara iam tandem, B. Deigenitricem Mariam puram imo purissimam fuisse in primo suo conceptu. Nec te deterreat nunc temporis iniquorum et impietas et furor, qui cum Dei Filium oderint semper, SS. quoque illius Matri bellum inferre in reprobo suo sensu non dubitarunt. Barbastri, 13 April. 1850. *Iacobus.*

---

969. **AEppus Caesaraugustanus.** Venerandas Sanct. Vestrae literas Caietae postridie Kal. Febr. datas cum acceperim, Matriti commorans, munia Senatoris exercens, in illis praescripta adimplere protunc nullo pacto potui. Sed post duos menses elapsos in meam Sedem reversus, Epistolam Clero et populo scripsi Pastoralem, ubi quamvis de diversis ad Eppale Ministerium pertinentibus simul agebatur, de Conceptione Immaculata S. M. V. erat sermo praesertim sub praecepto, de solemni deprecatione Deo fundenda in omnibus Ecclesiis — ad impetrandam Sanct. Vestrae lucem de coelo. — Quoniam vero quid sentiat hac de re, quid etiam exoptet Eppus unusquisque, noscere Sanct. Vestra vel maxime cupiat, sensus meos votaque mea ferventia in praedicta Pastorali Idibus Iunii a. p. data non ambigue expressa continentur. In secundo etenim paragrapho et mente et corde nostra convictio fluit, sicque erat noster ad Clerum et populum sermo: „Intelligetis iam, Dilecti in Christo Filii, quantopere satisfactorium sit cordi nostro, respondere sublimibus inspirationibus sacratisque votis in hocce immortalis memoriae documento consignatis, quantaque sollicitudine vos exhortemur, ut exprimentes nobis desideria vestra sursum corda levetis atque oretis; orate itaque cum fervore, orate cum fiducia, ut sapientia Excelsi Pium IX illustret, illuminet eius intellectum, dirigat eius voluntatem, ut firmus perseveret in medio contradictionum, quae exsurgere possent in re adeo gravi, at-

que perveniat ad exoptatum terminum protectus valido brachio Omnipotentis. Amen. *Nostra fiducia est illimitata, solidissimoque innititur fundamento. Oracula divina loquuntur de muliere perfecta, in qua Divinae Maiestati placuit ostendere suam potentiam, et Archangelus illa ipsa confirmat tempore suae missionis. Patres Ecclesiae nobis reliquerunt traditiones hac de re venerandas. Concilia, decisiones Pontificiae, Academiae doctissimae monumenta historica, legesque irrefragabiles rationis et criticae, omnia demonstrant unanimiter ut veritatem inconcussam, Mariam fuisse sanctificatam in primo instanti vitae suae.* Scripturae Sanctae in pulcherrimis typis exhibent nobis mulierem per excellentiam ita dictam; iam verum exemplar perfectae creaturae non est Rebecca, neque sponsa ipsa Canticorum; necesse est altius ascendere, atque ad plenitudinem temporum, ad complementum promissionis primitivae pervenire. Maria est creatura specialis, pulchrior omni creatione, terra non est digna, ut sit scabellum pedum eius; lux eius excedit splendorem stellarum; peccatum vitam eius non inquinavit, peccatum non potuit Conceptionem eius maculare. Filius Dei, Sanctitas per essentiam, non potuit sumere hospitium in ventre mulieris contaminatae culpa, etsi ea foret culpa originalis. — Limites atque indoles Epistolae Pastoralis nos prohibent a danda hisce, quae indicavimus, immensa, cuius haec materia capax est, extensione, congerendisque textibus sacris, Patribus, Traditionibus, Conciliis et decretis Pontificiis. Admiranda ac erudita opera virorum eminentium tantam iam hodie lucem assumto, de quo agitur, tribuunt, ut de medio controversiarum, in quas illud conamina paralogismi audaxque pertinacia sophismatum involverunt, sublatum sit, lucemque demonstrationis ac gradum proximum attigerit, ut dogmatice definiri possit. Vidistis fundamentum tenerae spei nostrae; et si brevitatis causa alias rationes non modici ponderis heic omittimus, silentio tamen non prememus factum, quod coram oculis mundi forte non est grave, at coram oculis fidei sanaeque Philosophiae est gravissimum. *Quod Sanctissimus Pater noster praecise hoc momento crisis terribilis, quae universam pervadit Europam, Conceptionem immaculatam dogmatice definire intendit, apparet ut quiddam prae-*

ternaturale, sigillumque impressum habet inspirationis divinae. — Eodem tempore, quo Europa faciem gestat dilaceratam ac horribilem, et dies praenuntiat conflictibus praegnantes, atque signum praecurrens malorum in omnibus locis horizontis apparet: quo Urbs, in qua semper regnarunt Heroes, Caesares, Pontifices, thronum virorum evangelicorum cum dynastia criminum commutavit: quo cacumen Vaticani commotum est, inque sinu Urbis Sanctae principia dissolutionis inevitabilis pullulabant, quo sangvis effundebatur, Successorque B. Petri in terram hospitalitatis incognitus fugiebat, atque in eius absentia ferrum et ignis societatem inierunt ad stabiliendum terrorismum odiosissimum: quo in omni angulo Urbis audiebatur gemitus victimarum lamentabilis, Italiaque in fundamentis contremuit, et tota Europa mutationem subiit universalem atque stridor horribilis aedificii socialis, quod iam exsurgebat, insonuit: tunc, praecise tunc Sanctissimus Pater noster combinationibus diplomaticis non cedens, nec vim resistentem turbis invadentibus parans, vult immaculatam Conceptionem Mariae ut articulum fidei solenniter definire, et supersedendo remediis humanis accedit ante omnia ad Deum et Sanctam Matrem eius, cuius purissimam Conceptionem definire pergit, quemadmodum id potuisset facere, ac, ut naturaliter patet, posset temporibus magis pacificis. — Videte, Filii Dilectissimi, quo iure dixerim in negotio, quod nos occupat, characterem quemdam inspirationis resplendere. Circumstantia haec sane roborat spem nostram iam utique suffultam numero superabundanti argumentorum validissimorum, quae congeri possunt ad demonstrandum hoc mysterium, ex consensu generali Praelatorum catholicorum, ex opinione Doctorum, ex instantia, qua totus orbis christianus petiit ac porro quoque petit declarationem saepe dictam, e simultaneitate, qua ex omni parte voces solennes levantur, quae nubes scindunt et firmamentum coeli penetrant, e devotione universali erga hoc mysterium, e profunda denique pusillanimitate, qua correptam cernimus exiguam phalangem consternatorum maculistarum. Omnia haec dulcis instar praesagii sunt, desideratam declarationem obtentum iri, omnibus Catholicis, praeprimisque Hispanis, qui per tot saeculorum decursum eminuere ac etiam nunc eminent in devotione

erga hoc mysterium. — Ut sic fiat, coelumque in negotio hoc gravissimo illuminet Virum iustum, qui praeest Ecclesiae, mandamus: ut in nostra Sancta Ecclesia Metropolitana, atque in Ecclesiis Collegialibus, parochialibus, et reliquis nostri Archiepiscopatus cantetur Missa solennis votiva de Spiritu Sancto primo die festo ex non exceptis, postquam haec nostra Epistola Pastoralis percepta ac lecta fuerit fidelibus; tum ut novem sequentibus Dominicis cantetur „Veni Creator" post Missam Conventualem et Litaniae Omnium Sanctorum cum precibus consuetis, assistente Clero et invitatis Magistratibus; reliqua pietatis exercitia relinquimus zelo fidelium, qui illos ad flagitandum obiectum tam laudabile movebit: denique ut Clerus noster per respectivos suos Superiores nobis manifestet sensa, quae ordo Ecclesiasticorum et populus erga hoc mysterium fovent, notetque, si quae sunt, desideria obtinendae in hac re definitionis dogmaticae." *Literis nostris debita attentione perpensis, Clerus Metropoliticus atque Collegialis, necnon et Parochi quamplurimi illico rescripserunt, quodque fidelium pietas circa praedictum mysterium universalis sit, simul atque tenerrima, unanimiter asserentes; solemnitatem, qua festa Conceptionis ubique recoluntur; recipiendi in ipsis Ecclesiae Sacramenta consuetudinem longe lateque diffusam; ardentissimum denique populi desiderium ad id, quod Mariae Conceptio ab omni labe immunis solemniter decernatur, utpote facta apprime nota stabilire non dubitant.* Supervacaneum existimo pro tanto mysterio loca Scripturarum adducere; ipsa etenim Sedes Apost. novit, necnon et quid hac de re sentiant interpretes in signiori auctoritate pollentes, et Patres, Cyprianus nempe, Hieronymus, Ambrosius, Sophronius, Bernardus, Bonaventura, et Anselmus. Neque quamplurima, quae facile poteram, ad huius fidei antiquitatem stabiliendam commendabilia monumenta afferre conabor; nec B. Andream iuxta diaconos Achaiae hac de re praestantissime loquentem adducere ulla ratione contendo; nec Summorum decreta Pontificum, nec Patres Basileenses, immaculatam Mariae Conceptionem cultui Ecclesiae, catholicae fidei, rationi et Scripturae omnimode congruentem solemni decisione proculdubio declarantes; neque Conc. Tridentinum in Sessione 5, ubi declarat non esse

suae intentionis, in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Virginem comprehendere Immaculatam, etc. — Quod Peninsulam Ibericam attinet, seculi Potestates semper suam huic mysterio adhaesionem et legibus et exemplo exhibere iterato volentes, et insignia decreta Ferdinandi V, Elisabeth I, Philippi II, et Caroli III circa Virginis Conceptionem, necnon et aliorum Regiae Borbonidum stirpis pietatem, qua temporis transcursu undequaque fulgebant, nemo est qui audacter negare praesumat. Quoad nostram dioecesim Caesaraugustanam, Clerum populumque fidelem erga Imm. Conc. ferventi devotione pollere, et decisionis dogmaticae vehementi desiderio flagrare certum existimo, et indubitanter asserere nulla prorsus ratione timebo. Huic denique scripto finem ponam observatione quadam, cuius maius vel minus pondus atque momentum Ecclesiae iudicio submitto reverenter. Haec autem observatio ad proprietatem praecisionemque dictionis pertinere videtur. Maria ab originali peccato fuit semper immunis, animaque ipsius numquam illius fuit labe foedata. Decretum exemtionis ab ipsa aeternitate procedit: quo tamen tempore fuit adimpleta haeccine Divina voluntas? executane in tempore, in quo fuerit corpus Mariae generatum, an potius in momento, in quo corpori anima fuit infusa sacrosancta? hoc secundum est proculdubio tenendum: sed hic congruit observatio, quam supra innuere non timui. Si Zoologia, vel melius si physiologi in eo, quod hominum anima corporibus infundatur in ipso momento, in quo foetus concipitur, concordes invenirentur, tunc unum atque idem essent conceptio et animatio, et immaculatam definire conceptionem vel sine labe animationem idem omnino sonaret: idem esset Mariam in conceptione activa seu in conc. passiva immaculatam decernere; nam haec omnia ad unum eundemque actum vel saltem ad actus omnimode simultaneos reducta manerent. Cum vero historiae naturalis investigatores sibi nullo pacto cohaereant, sed contra in diversas partes circa tempus animationis abire videantur, et cum de primo vitae intrauterinae initio eiusque diversis periodis acriter decertetur; cum denique ulteriora physiologorum detecta possent forte cavillationibus occasionem praebere quammultis, *magnopere cavendum existimo, dog-*

maticam definitionem declarari locutione adeo cauta terminisque ita cunctanter et attenta mente volutis, ut audax et impia critices hodiernae severitas, quae omnia subvertere effrenata iactantia conatur, ostium obiectioni cuilibet clausum reperiat. Nobis certe, qui causam proximam transfusionis peccati originalis consistere in seminali generatione ab Adamo, in quo tamquam in capite morali Deus omnium eius posterorum voluntates inclusit in ordine ad observantiam vel transgressionem praecepti de fructu vetito, firma fide tenemus, nobis, qui decisionem Tridentinam, quod homines originale peccatum contrahunt cum in utero concipiuntur, reverenter admittimus: nobis, qui doctrinam Benedicti XIV conceptionem activam inter et passivam sapienter distingventis omnimoda convictione veneramur: haeccine explanatio supervacanea foret omnino, et conceptionem et animationem voces sinonimas haberemus: sed quoniam spiritus controversiae impudensque scepticismus etiam dogmata inconcussa pro suo lubitu in dubia vertere contendant, verba decisionis deberent gravi mensura pollere. Verosimile imo certum iudicare debemus, Ap. Sedem iuxta formam, qua exprimatur exoptata decisio, diem convenientem festo Conceptionis assignare sapienter curaturam. Si vero die 8 Dec. imm. Conceptio Mariae et eius Nativitas die 8 Sept. celebrentur, quaestio physiologica quaedam praeiudicata videretur; quia nempe Ecclesia idem atque unum esse formationis foetus et eius animationis momentum non obscure definiret, activam et passivam conceptionem eodem omnino tempore perfici Mariaeque corpus in toto Annae gestationis tempore sive novem mensium spatio animatum extitisse; quod quidem assertum in ordine saltem naturali, si Zachiae doctrinae non longo coelo distare videtur, Aristotelis tamen aliorumque Doctorum opinioni adversari in dubium venire non potest. Nobis, inquam, dogmata fidei, hominis superantia sensus, humiliter venerantibus, vox emanata sufficit ex Cathedra Petri: sed — hodierna et ficta peritia, quae abdita naturae se reserare praesumit, quaeque suo videre superbe, lucifera pelagus lampade lustrat atrum, simplicium contendit evertere mentes, corda magis, et in Ecclesiam sanctam odia fera fovens, saevaque bella vocans, quaelibet in posterum scientiae naturalis inventa circa foetus anima-

tionem contra dogma catholicum audebit explodere, mentis vertigine praestans. — Caesaraugustae, Idibus Aprilis 1850. *Emmanuel.*

---

970. **Eppus Gadicensis.** — Tametsi nunc mea responsio tarda iret, *meum desiderium omniumque votum, pientissimum vestrum desiderium, Ecclesiae universalis clamorem, votaque tot Pastorum ac illustrium pietate et doctrina pollentium virorum extemplo comitabatur.* — Nihil novum, B. Pater, in hac tam desiderata declaratione erit, nisi sigillum, quo Vos Caput et infallibile oraculum totius Cath. Ecclesiae Vestra suprema auctoritate hanc pro immac. conc. mysterio veritatem, alte in cordibus, cultu, laudibus, praeconiis, affectuque in illam praeclarissimo in hoc mihi commisso grege iamdiu infixam, novó splendore novaque devotione in dies erumpentem; probare munire ac consecrare dignemini. *Gaudeo, adeo piam opinionem in hoc Clero Gadicensi populoque fideli invaluisse, ut inter suas non contemtibiles glorias primam hanc teneant: se ab Apostolicis temporibus in hac Cathedrali Ecclesia festum de imm. Conc. celebrasse; suos Eppos ita pro huius veritatis declaratione insudasse, inter quos maxime illustris Franciscus Guerra Promotor et Legatus in Vestram S. Sedem missus fuerit a Rege Philippo IV, ut pro mysterii declaratione totis viribus incumberet.* Quo munere functus, vel ut sui amoris testimonium duo luculentissima plenaque sacrae eruditionis volumina edidit, quibus titulum apposuit: ‚Maiestas gratiarum BVM.' ubi nihil desiderare est, in probationem et munimen exceptionis Mariae ab omni peccati labe. Crevit in dies erga tale Mariae privilegium, nulli alteri datum, devotio; et extant et memoriae et testimonia inter nos devotissimae atque splendidissimae munificentiae, quibus omnes Civitatis Ordines hac in urbe celebrarunt idem mysterium. Valeat pro omnibus — liber, quo Gadicensis civis et filius *P. Didacus Granado* S. I. hanc Mariae gloriam dilucidavit ac defendit, usque nunc magno habitus in pretio ab omnibus Marianis. Valeat et extunc aedificantissima statio ad Monasterium Monialium S. Mariae de Conceptione, ad quam

hoc meum Cathedrale Capitulum sese cum Civitatis Senatu voto perpetuo obstrinxit a. 1662 et usque nunc complevit, processionaliter adeundi festivitatemque solemniter ibi celebrandi sequenti die eum, in quo Imm. Conc. festum totius Hispani regni sub hoc titulo Patronae, in suo Cathedrali templo celebrat. Sed quid de recentibus gaudiis referam? Clerus, qui antea ut in Praefatione Missae adderetur ‚Et te in imm. Conceptione' a Vestra pietate obtinuit; idem pro invocatione in S. Litania Lauretana petiit, obtinuit, celebravitque, Deo gratias agens, de Mariae hac nova gloria gaudens; — iam antea officio proprio Imm. Conc. Ecclesia Gaditana utebatur; adeoque non soli Clero sed et omnibus fidelibus praefixa erat in tale mysterium et Mariae immunitatem devotio; ut etiam familiaribus salutationibus, veluti proverbium omnibus Hispanis sit commune, sibi mutuo gratulari his vocibus amore erga immaculatam suam matrem et Patronam plenis ‚Ave Maria Purisima' — ‚Sin pecado concebida' etc. — Nunc iam quid ego de re ipsa sentiam, quidque exoptem, Vestrae Sanctitati perlucide ac devote exponere satago. A teneris annis ei Ordini adscriptus, cui BVMariae Matris Dei devotio et amor veluti vita sunt, scilicet S. Benedicti Monachorum Patris ac Magistri, ut lac Mariae devotionem suxi, constanter eam purissimam et immaculatam et proclamans et dicens, et profunda mentis et cordis fide concredens. *Quid ergo deest, nisi, ut Sanctitas Vestra desiderat, Vobiscum eam qua par est firmitate ut veritatem certissimam, fidei doctrinam, catholicum dogma et agnoscamus et conclamemus?* — Gadibus, 15 April. 1850. *Fr. Dominicus.*

---

971. **AEppus Toletanus.** — Magno perfusus gaudio, Sanctitati Vestrae asserere non dubito, *me huic sacro mysterio specialem a primaeva aetate devotionem habuisse, pro eo tuendo quamplurima in longo meae vitae curriculo iuramenta ex animo emisi; desiderio desideravi felicissimum declarationis canonicae tanti mysterii quamprimum lucescere diem;* pro his ferventibus implendis votis, dum Ecclesiam Cordubensem regebam, ab inclyto praed. Vestro Gregorio XVI, ut vox ‚Im-

maculata,' Praefationi Missae Conc. adderetur, humillime efflagitavi. — *Laetabundi omnes Sanct. Vestrae propositis libentissime respondere; omnes equidem — pro re supra modum grata et eorumdem erga SS. Virginem in hoc mysterio, quod velut divino instinctu tacti magnopere concelebrant, intimae religioni apprime consona, id testari curarunt firmissimis rationibus suas fulcientes sententias, vehementissimum, quo ardent desiderium, ut demum optatissima veniat dies, in qua mysterium solemniter definiatur, simul ostendentes; — idem ac unum est Ecclesiarum votum, idem ac unum Parochorum, idem ac unum Cleri et fidelium; una eademque est omnium in hoc mysterio fides; et denique una eademque pro ipsius dogmatica definitione aviditas perpetua.* Huius devotionis et fidei et desiderii antiquitatem non solum in hac dioecesi Toletana, sed in omni Hispanica natione quamplurimis validissimis testimoniis historicisque monumentis multis suis literis etiam comprobant. Vellem omnia Vestrae Sanct. transmittere responsa, quae quidem radicatae fidei in tanto mysterio solemnia documenta abs dubio sunt. Verum enimvero pro re iam adeo conspicua Sanct. Vestrae molestiam inferre absit a me; nihilominus *Capituli* meae S. Ecclesiae literas omnino praeterire non possum. Inter varias, quas affert rationes soliditate et illustratione refertas, plane asserit, *quod 1 Maii 1653 pergratum fecit iuramentum ad constantem piam et antiquissimam augusto imm. Conc. mysterio iucunde testandam devotionem,* quod quidem mysterium iam abhinc fere mille annis sub Gothorum Regum imperio tempore Toletanorum Conciliorum ad imitationem praeclarissimi AEppi D. Ildephonsi celebrare consueverat. Ipsum *Capitulum etiam magni pretii testimonia et peridonea, ut tutius adhibeatur iudicium de intenso Hispaniensis Ecclesiae pro dogmatica Conc. Imm. definitione desiderio, suis literis pariter adiunxit.* Sic se habent 18 Praesulum et 28 Capitulorum supplices libelli eandem definitionem dogmaticam a commendatissimo et iure optimo cunctis ubique laudato praed. Vestro Clemente XI enixe ac humiliter exposcentes. (In Monumentis nostris Marianis Sec. XVIII vulgantur.) Hae preces in eiusdem S. Ecclesiae Primatis tabulario accurate servantur; nam ex praecepto piissimi Regis Philippi V

de 19 Martii 1713, cui Aragoniae et Castellae generalia Comitia supplicarunt, ut pro maxima sua Immaculatae Virgini probe cognita devotione a Summo Pontifice mysterii definitionem imploraret, Capitulum opportunas ad Praesules et Ecclesias mandavit literas, repetens ab eis, ut propriam ex uniuscuiusque populi ipsis commissi sententiam detegerent, cunctisque testimoniis receptis et ad Regem missis, idem semitis et vestigiis perillustrium praedecessorum Philippi II, III, et IV item Caroli II inhaerens, conceptionis mysterium ad extremum definiri iterato rogarét. — Haesitabit nemo, haec testimonia fuisse semperque esse et venerabilium Praesulum et Capitulorum, ac etiam totius Hispanicae Ecclesiae et omnium huius Catholicae nationis fidelium, tanti mysterii enunciationem intimam mirifice peramantium. Istarum apographa literarum Sanct. V. conspicere laetantique animo legere res est minime dubia: pietas namque et devotio et vehementissima pro dogmatica definitione vota quam maxime in eis fulgent. At vero notatu admodum dignae ceterisque praelucent selectae et luculentissimae eximii Eppi Carthaginiensis Ludovici Ant. de Belluga et Moncada. Vir equidem celsissimus, Hispaniensis Ecclesiae decus, pastorali zelo fulgens, profunda plenus eruditione, ex operibus non paucis quae typis mandavit pro religione docenda, pro immunitate eccl. servanda, pro fidei catholicae et S. Sedis defensione, satis cognitus, et a Clemente XI amplissimo S. R. E. Cardinalium Collegio 29 Nov. 1719 invitus ac reluctans cooptatus. — De cetero autem, B. Pater, quid pro sacro imm. conc. mysterio proferre valebo? Nihil profecto, quod Sanct. Vestrae reipsa clarius non pateat. Sed delegatum munus obire grato nexu inpraesentiarum obstrictus, *festivitatis Imm. Conc. et Officii historiam, praecipue in Ecclesia Hispanica, summatim referam*, ita, ut et intima devotio, et pia fides, et ferventissimum pro definitione dogmatica votum plane intelligantur. Agnitionem veritatis mysterii cum ipsiusmet Ecclesiae exordio ortum duxisse, eamque a traditione Apostolica esse repetendam absque ulla suspicionis umbra potest affirmari, propugnantibus Scriptoribus certe gravissimis, huius assertionis fundamenta in variis inveniri Liturgiis, atque etiam in S. Andreae Ap. sen-

tentia, quam Ecclesia roborat, et plurimam ei auctoritatem conciliat, dum in solemni diei 8 eiusdem mysterii officio illa utitur, sine ulla intermissione ipsam sequentibus seculis tradens, itaque Deiparam ab omni labe originali fateri et tueri expertem numquam defuere fideles. In Curia coelesti purissimae BMV. festum initium cepisse S. Vincentius Ferrerius serm. 2. de Nat. affirmat: ‚Non credatis, inquit, quia fuit in Maria sicut in nobis qui concipimur in peccatis; sed statim ac anima eius fuit creata, fuit sanctificata, et statim Angeli in coelo celebraverunt festum Conceptionis.‘ In terris vero Apostolos divinitus illustratos idem festum celebrasse, ab ipsisque ac eorum discipulis in Ecclesia diffusum fuisse pie credere antiquae erga tantum mysterium devotioni maxime consentaneum est. Primum huius festivitatis inter Graecos reperitur vestigium Sec. V florente D. Sabba Abbate, nam officium disposuit, quo utuntur tam catholici quam schismatici, necnon etiam haeretici festivitatem unanimiter celebrantes. In Britannia et Gallia et Hungariae Regno hoc festum ex revelationibus nonnullis fidelibus BMVirgini vehementer addictis non semel factis sub mandato ipsum die 8 Dec. celebrandi iuxta S. Anselmum primordium sumsit. Verum inter Occidentales nationes Hispani prae ceteris festivitatem primo observarunt, fatentibus ipsis alienigenis, Hispaniae laudum quam maxime invidis. Certo certius est, Nationem Hispanicam ineunte Sec. VII primam reapse extitisse pro pia huic mysterio devotione inferenda et fovenda. Ex hoc igitur amplius et amplius roboratur, quod Ecclesia Toletana in praefato iuramento anni 1653 affirmare non dubitat. Tunc convenire facile conspicitur, hanc devotionem iam inolevisse a. 633, quo Concilium Toletanum IV actum est. In eo enim precum officiique divini Gothici, quo a primis temporibus Hispanica utebatur Ecclesia, post Arabum irruptionem ac cum christianis permixtionem ‚Muzarabe‘ nuncupati, instauratio Doctori egregio S. Isidoro Hispalensi AEppo commendatur, cuius in Rituali immaculatae conceptionis extat Sacrum: quod quidem iuxta nonnullorum iudicium ab ipsomet S. Isidoro, secundum alios vero ab eius discipulo inclyto D. Ildephonso, Ecclesiam Toletanam transacto eiusdem seculi dimidio moderante, BVirginis supra modum studiosissimo,

miro eius cultus amplificatore, fortissimoque puritatis originalis ac ipsius dignitatis vindice, dispositum creditur; quin desint alii eandem S. Ecclesiam huic venerando mysterio inprimis fuisse sacratam asseverantes. Sed in ipsa Conceptionis festum etiam post Arabum occupationem, prout temporum asperitas patiebatur, perseverasse procul dubio est; etenim Civitate a. 1085. Alphonso VI imperante, eius victricibus subacta armis, Bernardus primus AEppus rec. mem. Praesul virtute doctrina ac zelo pastorali insignis non solum de laudibus BMV. multoties sermonem ad populum habuit, verum etiam ut imm. conc. piissimus cultor C. Ildephonsi imitator mirificus, inter alia festum devotius celebrari statim decrevit, quod quidem ipse singulari adimplebat solemnitate. Tot inter graves ac contentiosas quaestiones, quas multis retro seculis de imm. Virg. conceptu laudum et celsitudinis Mariae invidus suscitavit draco, cuius caput ipsa Virginum Regina contrivit, Deo venerandis suae providentiae consiliis sic permittente, ut satius veritas tanti mysterii fulgeat, et ut amantissima eius Mater maioribus efferatur praeconiis maximoque colatur obsequio, ipse Deus paulatim velum plicavit, ut interea seculorum cursu erga purissimam suam Matrem ardentem zelum nitide ostenderent fideles, donec felix ac opportuna perveniat dies, hanc gratissimam veritatem exploratam et perspicuam conspiciendi. In Catholica Hispania iucundissima Conceptionis mysterii devotio rapido cursu diffluit, et nunc adeo propagata feliciter reperitur, ut nullus adsit populus, ne Deo dicam fidelis, qui huius devotionis praxi non honoretur, ita ut quotidie fiat talis mysterii crebra ac placida professio; formula namque est consveta nationalis salutationis nemoque sacerdos concionem incipit, quin SS. Altaris Sacramentum et Mariae immac. Conceptionem una cum fidelibus laudet prius. Iam a 1541 dignissimus Praesul Pacensis Vincentius Estebanes Confraternitatem ad singulare BMV. privilegium testificandum et custodiendum in sua erexit Ecclesia, necnon ineffabili huic mysterio altare consecravit. Eodem fere tempore perillustris *Ferdinandus de Cabrera Eppus Cordubensis* imm. conc. festum in Cathedrali annuis redditibus sancivit. Sequenti seculo Catholicorum Regum aetate *Petrus Gonzalez de Mendoza AEppus Toletanus,* magnus Hispaniae Cardinalis merito cognominatus,

domus suae sacellum, quod tunc struebat, Conc. Imm. mysterio sacravit. Celeberrimus aeque ac venerabilis *Franciscus Ximenes de Cisneros* eius in Sede successor, Cardinalitia dignitate itidem auctus, vir omni laude semper cumulandus, Virgini Immaculatae impense devotus, primam *Confraternitatem Conceptionis* titulo honoratam ad eiusdem mysterii perpetuam memoriam a. 1505 in suo AEppali sacello instituit ac multis decoravit privilegiis, *Congregationemque Monialium sub invocatione BMariae sine labe conceptae* insigniter promovit, cuius primum coenobium Toleti erigendum iam a. 1489 Summus Pontifex *Innocentius VIII* Constitutione ,Inter innumera' piissimae Beatrici de Silva, Dominae Lusitanae clarissimis ortae natalibus — concesserat; quae quidem Congregatio alacriter ac mirifice statim per Hispanias dilatari coepit. Postmodum vero Praesulum zelo fideliumque pietate tot sunt stabilitae Confraternitates, ut perdifficile esset numerare. Templum fere nullum est, ubi vel SS. Virginis imago sub mysterio Conceptionis non colatur, aut altare aliquod erectum non sit. Hispanici Reges devotionem et pios ac religiosos huic mysterio cultus omni tempore extendi curarunt. (Fuse proponit, quae reges pro favore imm. conc. praestiterunt, quae iam superius per plures Praesules proposita, hic praeterimus.) — — Virgo Deipara teneri amoris intimaeque devotionis Hispaniae Regum erga purissimum sui conceptus mysterium numquam obliviscitur, semperque memor cum sit, singulare omni tempore eis contulit munimen, ut quaquaversus et latissime fidem protenderent, et innumeros qui tenebrarum caligine idolorumque immundo vexabantur cultu, mystico Ecclesiae ovili adunarent. Simulque portenta sunt multiplicia, quibus Deus O. M. fastigium huic devotioni addere videtur, infinitaque auxilia et gratias et beneficia fidelibus cunctis purissimo Conceptionis mysterio ex animo et firmiter adhaerentibus, eiusque gloriam et celsitudinem canentibus quotidie propitius impertitur. Nemini ergo videatur novum, B. Pater, fideles omnes peculiariter Hispanos Catholicorum Regum hortatu et exemplo et impulsu, et Pastorum exquisita sollicitudine pioque zelo susceptos eximiam huic venerando mysterio devotionem et radicatam fidem, vehementissimum veluti afflatum pro ipsius dogmatica definitione desiderium omni

tempore prodidisse. Re quidem vera ad astra extollantur usque celsissimae dotes, quibus haec SS. Virgo ab initio temporum in secula et ultra fuit decorata; obteruntur omnes et langvescunt si Conceptionis Immaculatae singulare privilegium eis nitorem splendentem non confert. Aliter si Coelorum Reginam nunc confitemur, potestati tenebrarum subditam fuisse fateri tenemur; si nunc gratiae matrem, irae filiam antea; si nunc peccatorum Advocatam, primum peccatorum conservam; si Deiparam nunc, prius eius hostem; si S. Spiritus Sponsam, antea draconis mancipium; si nunc aeterni Patris praedilectam filiam, antea a daemone possessam invitis ac reluctantibus confiteri est necessum. Asseratur viriliter, SS. Virginem a contagio originali minime fuisse maculatam, et beatam ex omni parte; purissimum ipsius corpus perfectissimae suae animae semper et omnimode extitisse submissum; in gratia fuisse confirmatam, quin unquam hac de causa hocve singulari privilegio ne venialem culpam commisisse. Asseratur, quod omnium virtutum infusis habitibus et ornata et locupletata semper fuit, et ex hoc pulcherrima coram Altissimo extitit, et plenitudine gratiae ita referta est, ut omnibus Sanctis haec uberrima copia non concipitur: hae praestantiae et ceterae excellentiae quamplurimis efferantur laudibus: si primaevam contraxit maculam, hoc sufficit, ut omnes fulgorem amittant. His bene perpensis, *ipsa etiam ratio ad credendum et confitendum, Mariam ab omni labe immunem in primo Conceptionis instanti, omnes necessario ducit*: miram ac felicem arcam, quae sola meruit a communi liberari naufragio; hortum conclusum, ubi infernalis draco adire nequivit; arcam incorruptae trabis purissimo circumamictam auro, in qua nulla extat fex; sicut enim Christus secundus Adam concipitur, ita veneranda Virgo Maria fuit secunda Eva ab omnipotenti manu Dei munditer egressa. Expediebat iuxta *S. Anselmum* Mariam ea puritate lucescere, tantummodo Dei essentiali puritati secundam; sic enim decebat fortunatae Virgini ad altissimam Matris Dei evectae dignitatem. Ex immaculata Virgine oportuit nasci Deum, ita fuisse est confitendum. Ab infinita Dei potentia ac virtute effici valuit, ab infinita Dei sapientia peractum fuit. E contrario de Virgine Maria haec sancta gratissimaque

eloquia praedicari nequirent. Totam pulchram esse atque in ea non fuisse maculam; Dominum eam possedisse initio viarum suarum, quin momento ullo infernali draconi subiiceretur; in plenitudinem Sanctorum fuisse detentam; Iesum Christum Filium eius ex ea veluti florem a radice nullatenus infecta nasci; fundamenta ipsius in montibus sanctis, non vero in monte esse iniquitatis; Civitatem sanctam et novam descendentem de coelo, a Deo paratam ut Sponsam ornatam viro suo; puram et mundam nulla labe foedatam fuisse, quae eiusdem coruscationem offunderet; sicut auroram consurgere in tenebrarum caligine minime properantem; Principis filiam esse, cuius gressus sunt pulchri valde, quatenus gratia ab initio magnifice illam excoluit; pedis calcaneo serpentis contrivisse caput, cuius morsus numquam eam vulneravit; lunam sub pedibus eius non advesperasci, sed illam sub ipsa conspexisse, quoniam peccati nox ei obscuritatem non attulit: — haec aliaque permulta testimonia ex *S. Scripturis* depromta, quae de BVM. certe dicuntur, ipsius puritatem originalem a primo suae animationis aut existentiae momento sine labe vel umbra peccati evidenter demonstrant et concludunt. Verum quidem est, Ecclesiam coelesti, quo fruitur in omnibus expediendis rebus afflatu, propter observantiam quibusdam viris adversam opinionem tuentibus, eam hucusque damnare noluisse; sed tamen ipsa Ecclesia magnopere gratam sibi esse sententiam puritatis originalis Mariae propugnantem, aperte semper exhibuit, iam tunc praesertim, cum immac. conc. festum instituit, et saepenumero firmavit, et officium divinum et huius mysterii Sacrum concessit cum ceteris aliis indulgentiis et gratiis a Summis Pontificibus uberrime ac iucundissime elargitis. Et non solum Ecclesia tanti mysterii fidem placitissimam sibi esse monstravit, imo etiam pro certa habere voluit: sic enim adversa ruit opinio, utpote omnimoda destituta probabilitate. Quippe cum Ecclesiam in morum regulis designandis nec fallere nec falli posse perspicuum sit, cum etiam extra dubium positum extet, cultum Sanctis debitum tribuere, et superstitiosum aut indebitum avertere et damnare de regulis morum esse: numquam nec celebrare festum nec officium et Sacrum concedere Ecclesia decrevisset, si de piissimae huius senten-

tiae et fidei certitudine et securitate recte non indicasset. Post explicitum patensque munimen, quod huic sententiae semper Ecclesia contulit, neminem latent, B. Pater, perpetua desideria ardentissimaque ipsius Ecclesiae vota pro mysterii Conc. Imm. solemni ac dogmatico iudicio, opportunum tantae declarationis diem in venerandis divinae providentiae consiliis diu absconditum omnibus fidentissime expectantibus. *Basileense Concilium* Sess. 36. hanc sententiam ut piam et cultui ecclesiastico, et S. Scripturae, et fidei catholicae, et rectae rationi apprime consonam approbari et tueri ab omnibus catholicis debere, quin pro opposita sententia propaganda quidpiam docere aut enunciare ullo modo quis auderet, solemniter declaravit. Summi ac devotissimi Pontificis *Sixti IV* celeberrimae Constitutiones omnibus sunt notissimae; quidquid teste veridico ac doctissimo Cardinali Sfortia Pallavicino in *S. Tridentino Concilio* accidit, scitur; in decreto de peccato originali Sess. V. declarant Patres, non esse S. Synodi intentionis comprehendere beatam et immac. V. Mariam Deigenitricem, sed longe secus Constitutiones Sixti IV sub gravissimis poenis esse servandas. Et ita hoc decrevere post controversias et contentiones adductas sub egregio et perillustri viro Hispano Cardinali *Francisco Pacheco* Giennensi Eppo, flagrantissima sua erga BV. devotione vehementer impulso, et a meritissimis Theologis etiam Hispanis e Soc. Iesu *Didaco Lainez*, et *Alphonso Salmeron*, quos Paulus III P. M. ad Concilium miserat, summe fulcito et roborato. — Summorum Pontificum tuentium et foventium ac fidem mysterii propugnantium declarationes hactenus iteratas conspicimus. Eruditas, disertas, et innumeris ac validissimis rationibus plenas de praeclarissima Virginis excellentia tractationes in medium afferre, quae a Scriptura S. et traditione, ab Ecclesia et Conciliis, a Patribus et Theologis amplissimum tutamentum et robur suscipiunt, facillimum esset. Notabile profecto extat Syracusani *Benedicti Plazza* e S. I. opus vere aureum Panormi 1747 sub titulo: Causa Imm. Conceptionis etc. in quo causam et piam de immac. conc. Deiparae V. sententiam securam adeo esse, ut ad certitudinis theol. moralis gradum ad minimum pervenerit, recte concluditur. Post longum 100 annorum spatium his-

ce nostris diebus polemica dissertatio de Immac. Conc. a sapientissimo et piissimo Cardinali *Aloysio Lambruschini* soliditate ac expolitione permaxima in lucem prodita est. Novissime disquisitio theologica de imm. V. M. Conceptu — a *Ioanne Perrone* S. I. nuper scripta, intentissime revera laborata et perpolita, et adeo gravibus innixa auctoritatibus et rationibus, ut in re tanti momenti ad imm. conc. mysterium definiendum nihil supersit desiderandum: praesertim si quamplurimis et Cardinalium et AEpporum et Epporum, et Ecclesiarum, et Ordinum Regularium precibus postulationibusve, quae in eiusdem operis indice primo diligenter copulantur, ut in Praefatione Missae de Conc. BMV. vox ‚Immaculata' addatur, et in Litania Lauretana singulare praeconium ‚sine labe originali concepta', attentius animadvertitur. Tam pii universalisque clamoris fons aut origo solummodo a profunda et radicata omnium de immaculato Virginis conceptu convictione repeti debet. Posteaquam ad hoc pervenimus extremum, *perspicua et luce meridiana clarior mysterii Conc. Imm. existit certitudo, iamque nullus adest ambigendi locus.* In eo disserendo ac enucleando sociatis viribus incubuerunt simulque conspirarunt Scriptura S. et veneranda Traditio; oecumenica nationaliaque Concilia, et SS. Patres; et Summi Pontifices; et tot praeclari Scriptores pietate illustres, virtute insignes, eruditione commendati; tot percelebrium Universitatum gravissimae sententiae; tot Praesulum et Capitulorum ingeminati clamores; tot validae ac strenuae Ordinum Regularium, etiam FF. Praedicatorum, propugnationes; tot supplices Regum petitiones; tot revelationes atque miracula pro hac firmanda devotione patrata; ipsamet Ecclesiae generalis praxis ac devotio: singularis alacritas, summumque gaudium, quibus afficiuntur fideles, dum Conceptionis festum celebratur, in Hispania praecipue, ubi piissimus erga Virginem affectus ex intimis praecordiis nascitur, ita, ut nihil praeter fidei symbolum tam certo credatur. Haec omnia, quin alia validissima exponam momenta, pro mysterii dogmatica definitione una voce conclamant. Asseri valet, B. Pater, Deum controversias et disquisitiones exoriri permisisse, ut veritas mysterii Conc. Imm. ipsius Matris fulgida appareret, veluti Sol vividos emittens radios ad nubes,

quae ei nitorem adimunt caliginemque offundunt, dissipandas et dissolvendas. Si enim iam laudatus *Cardinalis de Belluga* suis literis vehementer urgebat, et pro definitione solemni dogmatica tanti mysterii clarissimo ac devotissimo *Clementi XI* enixe deprecabatur, ut fide divina credi inciperetur, quod plusquam humana pie credebatur; si inter alias, quas pro suo muniendo voto tunc exhibuit causas, miserrimum Ecclesiae statum comparavit, ut devotione crescente una pariter cum fidelium votis potentissimum Virginis iuvamen omnes sentirent, quanto magis nunc huius mysterii declaratio optari et fieri debet? Quot haereses postmodum exortae? quot calamitates, quot conflictus? quot perturbationes, quotque mala ex omni genere non sustinuit Ecclesia et hodie non patitur? Tantae declarationis necessitas gravior nunc redditur, ut inter aerumnas et infortunia, quae undique ambiunt et premunt, praevalidum Deigenitricis munimen sit potentius Ecclesiae, sit magis propitium fidelibus, quorum et honor et dignitas et amplitudo et puritas BMV. tantum interest. Sanctitati Vestrae optatissimam hanc efficiendi declarationem singulari tot perillustrium praedecessorum, qui pro hoc venturo die orbi catholico quam maxime placito suspiria ab imo pectore laxarunt, erat custodita gloria. Pro tanta tamque gratissima re humillimas quoque meas ad Sanct. Vestram preces fidentissime eveho, benigne eas cooptari spero; iisdem verbis, quibus piissimus Cardinalis (Belluga) ad suas finiendas literas utitur, utar etiam ego; haec enim geminatio est mihi longe honorifica apprimeque iucunda. Possibile utique minime est alia aptiora inveniri verba, magnum ac intimum quo flagro de solemni imm. conc. iudicio desiderium certe quidem exprimentia. (Sequuntur verba Eppi Carthaginensis Belluga ad Clementem XI a. 1714. directa, quae suo loco iam retulimus.) Quondam Ephesi, B. Pater, ad magnae Ecclesiae Deigenitrici sacratae ostium ubi venerabiles Eppi in Concilio erant congregati, et per ipsius circuitum quamplurimi aderant fideles, pulcherrimam Virginem Mariam esse Deiparam definiri impatienter praestolantes; cum, exeuntibus Patribus, sic decretum fuisse scierunt, protinus omnes maximo transvecti iubilo, ad eorum pedes provoluti, innumeros amplexus et oscula gaudii lacry-

mis permixta, ob praestantem Virginis dignitatem ac excellentiam, quam in definitione servarunt et conclamarunt, ipsis porrexere gratissimi. Nunc Cath. Ecclesiae fideles omnes in circuitu Vestrae Sanctitatis conspicere mihi videor, impatienter vocem supremam et errori minime obnoxiam audire exoptantes, vocem, inquam, Imm. Conc. mysterium solemniter definientem et articulum fidei dogmatice declarantem. Iam enim a permultis hoc de fide creditur definitum, aliique suae devotionis ardore perciti nondum esse declaratum non parum mirantur. *Diutissime ergo desideratam Sanct. Vestra proferat vocem,* vocem in virtute, vocem in magnificentia, vocem iustitiae, solaminis, praeconii, exultationis; fideles cuncti ferventissimi velut Ephesini, et tamquam ipsi ad sacros pedes Vestros procumbentes, atque prae gaudio collacrymantes Supremum Ecclesiae Pastorem, qui sua piissima cumulavit vota, incessanter laudabunt ac benedicent, et gratitudinem conceptu difficillimam attamen iucundissimam patefacient. Unusquisque inceptum opus feliciter conclusum cum videat, Iacobi ad filium Ioseph iterabit verba: Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam et superstitem te relinquo. Quoniam purissimae ac beatissimae Virginis immaculatae conceptionis mysterium ab Optimo, Maximo, fortunato ac devotissimo Pio IX fidei articulum, ut vehementissime cupiebam, declaratum adspexi et derelinquo, singuli dicent et ego inprimis: iam laetus moriar. *Iesus Christus, Deus ac Dominus noster, — ipsiusmet SS. Virginis intercessione adductus, Vestrae Sanct. lucem adferre dignetur, ut ita hoc quamprimum decernat.* Haec sunt ardentia vota mea; haec tot insignium praeclarissimae ac celeberrimae Ecclesiae Toletanae Antistitum, gloriosi praedecessoris S. Ildephonsi erga BV. sine labe originali conceptam devotionis haeredum; haec perillustris eiusdem S. Ecclesiae Capituli pro tanti mysterii cultu omni aetate studiosissimi; haec religiosissimi Cleri, puritatis Virg. Mariae acerrimi propugnatoris; haec denique Catholicorum totius dioecesis fidelium, qui semper mysterio addictissimi Imm. Conc. festum sancta hilaritate concelebrant. — Matriti, 26 April. 1850. *Ioannes Iosephus.*

---

972. **Eppus Segobricensis.** Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Verba haec, quae nobis instar clypei veritatis fuerunt diuturno tempore tribulationis Beatitudinis Tuae, in iis quippe solis invenimus veram consolationem, eadem hodie repetimus, et sine intermissione repetemus tota vita nostra; infallibilis enim promissio Dei iamiam est pro bono Ecclesiae suae in sacra persona Beatitudinis Tuae complenda, spectantibus et admirantibus Principibus, Guberniis et populis omnibus globi huius terraquei. Beatitudo Tua periodo temporis valde notabili imperterrite ambulavit semper sub alis protectionis specialis et extraordinariae Dei, qui Ecclesiam fundavit roboravitque sangvine suo; sub eadem protectione alarum firmam Tuam Sedem Romanam victor ascendisti; mysterium sane inintelligibile sapientibus et potentibus saeculi, quod tamen humilibus sequacibus religionis unice verae Dei-Hominis crucifixi instar evidentis veritatis practicae affulget. Beatissime Pater, dolor, dum est vehemens, sigillum imprimit labiis ita, ut omnis discussio atque tractatio, praesertim de rebus, quae nec cogitari sine intensissimo gaudio possunt, sit impossibilis. His verbis solummodo volumus Beatitudini Tuae significare motivum silentii, quod observavimus circa quaestionem, quam nobis per Encyclicam Tuam diei secundae Februarii anni praeteriti proponere dignatus es, videlicet, quaenam sit devotio ac opinio nostrorum dioecesanorum erga mysterium immaculatae Conceptionis Sanctissimae Virginis Mariae, quale eorum desiderium, ut pia haec fides dogmatica evadat, qualia denique sint sensa nostra et rationes pro declaratione solenni ac canonica. Deo sint laudes, hodie iam in reditu Tuo ad Sedem triumphali exultamus moderato gaudio, quod cor dilatat, labiaque aperit, beneficium, quod nobis Deus per intercessionem amatissimae Matris suae Mariae in hac lachrymarum valle aliquando concedit, tumque iam est animus ad contestandum clare et sincere, quid sentiamus. *Clerus et populus Dioecesis nostrae reperitur inde a remota antiquitate, et ex principiis incognitis animatus fervore et devotione praecellenti erga immaculatam Conceptionem Sanctissimae Virginis Mariae, pauciora-*

que in tota hac Dioecesi deprehenduntur vestigia contradictionis, quam in aliquibus aliis Dioecesibus huius Peninsulae etiam ex iis temporibus, quibus doctrina favens mysterio erat controversa, parumque prudenter hinc et inde est disputatum. Apud nos, Beatissime Pater, Conceptio immaculata Virginis Mariae est ita recepta, eodemque ordine servata, sicut ceterae veritates, de quibus veri fideles nunquam admiserunt vel umbram alicuius dubii. Confirmat assertum hoc electio, qua sancta haec Cathedralis Ecclesia a suis primordiis in sigillo documentorum suorum impressam habet imaginem Mariae immaculate conceptae; templum ipsum ab immaculata Conceptione est appellatum, quemadmodum et alia novem templa Parochialia in aliis novem locis Dioeceseos. Beatissima Virgo est simul Patrona principalis et specialis civitatis nostrae episcopalis sub hoc titulo dulcissimo. Postquam nos per Epistolam nostram circularem praecepimus fieri preces publicas et solennes, ut Beatitudo Tua nobis imposuit, pro feliciori successu declarationis huius mysterii tamquam articuli fidei: nostri fideles universim intellexerunt, a Supremo Pontifice Vicario Iesu Christi ordinari per totam Ecclesiam catholicam festum in honorem Gratiae, in qua concepta sit Mater Dei, et reapse celebrarunt festum cum devotione magna et exultatione, nihil attendentes ad differentiam, quae est inter propositionem a suprema auctoritate Ecclesiae pro articulo fidei declaratam et non declaratam. Hoc est, quod referre possumus de pia fide et affectibus dioecesanorum nostrorum erga purissimam Conceptionem Creaturae inter omnes privilegiatissimae, ineffabilis Mariae, quae etiam dignata est fieri Mater nostra; unde concludere licet ad desiderium vehemens, quo filii Divae Dominae in hoc regno ardent, ut a Spiritu Sancto, qui non potest Tibi Beatissime Pater non assistere, inspiratus hunc honorem Beatissimae Virgini Mariae exhibeas. E parte nostra, Sanctissime Pater et Magister universalis omnium fidelium, cum dolore et rubore ac timoribus magnis (loquentibus nobis cum Beatitudine Tua nihil est in corde recondendum, rivulum nostrum, quo aquae turbulentae et amarae decurrunt, integrum remittimus immenso Tuo oceano) meminimus temporum, de quibus in hoc angulo nostro ignoramus, num iam sint praeterla-

psa, quibus personae primi subsellii eo suam operam apud Curiam Romanam dirigebant, ut Sanctissima Virgo Maria declararetur pura et sine macula, iidem tamen eodem tempore non cessabant subvertere Societatem Iesu, primum illud antemurale militantis civitatis Dei, Ecclesiae catholicae apostolicae Romanae. Ante paucos dies devotis illis Mariae, sublimibus illis politicis mille elogia ad fastidium usque resonabant: discipuli illi Mariae, qui se tales esse gloriantur usque ad novissimum tempus erant occupati negotiis maximis..... Sanctissime Pater, confidimus in Divina Providentia, credimusque Sanctitatem Tuam esse Argos sacrum Ecclesiae catholicae. Fortasse cor nostrum est exiguum, et certe intellectus noster limitatus: ad eum, qui vices Dei in terris gerit, confugimus pro obtinenda consolatione, pace, et indulgentia errorum nostrorum. *Concludimus cordialiter ac humiliter, quantum possumus, supplicantes, ut Beatitudo Tua prosequatur, atque terminet negotium declarationis pro dogmate fidei, Sanctissimam Virginem Mariam, Matrem Dei et Dominam nostram uisse: conceptam sine macula peccati originalis!* Quanta cum exultatione acclamabit Ecclesia usque ad consummationem saeculorum Summo Pontifici suo Pio IX :, Invenit Mariam, invenit vitam et hausit salutem a Domino.' — Segobricae, 10 Maii 1850. *Fr. Dominicus.*

---

973. **Eppus Ebusiensis.** — Quod ad nostri *Cleri populique fidelis devotionem erga imm. BV. Conc. et utriusque desiderium, ut eiusmodi res ab Apost. Sede decernatur,* attinet, *fidem facimus: et illam esse ab omni retro antiquitate fervidissimam, et hoc in omnibus Cleri nostri membris ac fidelibus flagrantissimum.* Nec mirum, nam *inter Hispanos haec circa praedictum mysterium devotio est veluti innata,* ut in literis supplicibus ad Clementem XIII Rex noster Carolus III asserebat, et *ab huius Regni Catholici theologis sapientissimis, et Eppis, et Regibus haec fidei definitio nedum exoptata, sed in ipso C. Tridentino et apud Sedem Apost. scriptis doctissimis et precibus enixis tribus abhinc seculis fuit promota ac postulata. Nos demum,* quod nostram propriam spectat sententiam et vo-

luntatem, quam scire Vestra Beatitudo exoptat, *verum esse* ,S. Matrem D. N. I. C. a peccati originalis labe fuisse in ipsa eius conceptione praeservatam,' *et rationibus, et SS. Patrum ac theologorum auctoritate, et universali totius orbis catholici circa hoc mysterium publico ac solemni cultu in dies crescente,* quem Sedes Apost. nedum probavit, sed et innumeris spiritualium gratiarum concessionibus promovit ac fulsit, ac coelum ipsum innumeris miraculis confirmavit, *fundati ex intima convictione affirmamus, et, ut a B. V. haec veritas in fidei dogma erigatur, ardenter desideramus.* — Ebusi, 16 Maii 1850. *Basilius Antonius.*

---

974. **AEppus Granatensis.** — Ubiprimum tuas literas excepi, eas hispane redditas in vulgus edidi, quae quidem omnium civium, ad quos pervenere, magnum gaudium et plausum excitarunt. Insuper eisdem literis quamdam adieci brevem institutionem in laudem et commendationem immac. Deigenitricis conceptus, precesque publicas indixi. — Preces istas ingenti fidelium frequentia, eximiisque pietatis ac devotionis significationibus exolutas fuisse, omnes aperte dicunt et confirmant, praecipue vero singuli ecclesiarum superiores, a quibus testimonia accepi etiam de devotione, qua Clerus populusque erga imm. V. conceptionem sit animatus, ac desiderio, quo flagret, ut eiusmodi res ab Apost. Sede decernatur. De hoc, B. Pater, multa et sane praeclara recensere possem: tantum vero dicam aliqua ex iis, quae praestantiora mihi videntur. Et ut a *Civitate Metropolitana* exordiar, omnibus ad eam venientibus patet ante portam Illiberitanam campus spatiosus, in cuius medio surgit *columna marmorea,* — super quam extat collocata *imago eiusdem V. Matris cum expressa advocatione de Conc. Imm.* — Magnificum hoc monumentum, ut eius inscriptiones palam testantur, a piissimo *Senatu Civitatis* erectum fuit *in titulum et egregiam ostensionem sui assensus interni de puritate originali Deigenitricis Mariae, in signum etiam et perenne memoraculum publici iuramenti de tuenda huiusmodi originali puritate,* quod una cum capitulo Eccl. Cathedr. a. 1618 Senatus nomine sui et omnium civium emisit

in manibus AEppi Philippi de Tassis, mei praedecessoris, eiusdem puritatis perillustris assertoris et propugnatoris; in nobile insuper trophaeum obtentae victoriae ex illis doctoribus, qui tunc temporis praefatam BV. originalem puritatem evertere pugnaciter conabantur; in demonstrationem praeterea stabilis ac numquam delendae gratitudinis fidelium populorum erga eandem Virginem Matrem sine peccato conceptam, cuius potentissimo auxilio catholici Reges nostri Ferdinandus et Elisabetha muniti urbem hanc expugnaverunt, Agarenorumque tyranicum dominium debellantes eos in suam potestatem redegerunt, non sine magna S. Matris Ecclesiae gloria et amplificatione. Quod autem beneficium istud divinitus fuit collatum ad commendandam purissimam V. Mariae conceptionem, omnes generatim pio devotionis affectu crediderunt ac etiam nunc credunt. Et merito quidem, constat enim ex historicis fidedignis, quod praelaudati nostri Reges Catholici post longam et successu irrito huius Civitatis obsidionem votum emiserunt, primum in ea templum dedicandi in honorem immac. conc. BVirginis, qua auxiliante victores urbem ingressi Maurico imperio ex Hispania eradicato, grato et memori animo quod SS. Virgini promiserant, fideliter reddiderunt. Porro praefatus Senatus Granatensis in quodam suo decreto solemniter edito die 31 Dec. 1617 testatur, se iuramentum, de quo supra, emittere sanxisse, non solum ob suam ferventem devotionem sed etiam ob antiquas traditiones asserentes, quod supradicti reges catholici hanc urbem obsidentes, illam purae Conceptioni Dominae nostrae devoverunt, statimque ac ipsam victricibus armis subegerunt, *Confraternitatem de imm. Conc.* fundarunt, seque primos sodales professi sunt, quorum exemplum imitantes etiam viri nobiles et optimates confraternitatem mirifice auxerunt, firmiter stabilierunt, specialique honore cumularunt. Hoc in statu fluxit sita in *Ecclesia FF. Minorum Observantiam S. Francisci*, splendide nitens per duo secula, nunc autem extincta iacet, eo, quod praefata Ecclesia a radicibus est miserabiliter eversa. Verumtamen Deo providente illius vices nunc implet ac sustinet alia, quae viget in *Ecclesia Monialium tertii Ord. Si Francisci*, titulo de Conceptione insignita, olim *a Leone X*

quampluribus indulgentiis pro ipsam devote visitantibus locupletata. In ea igitur canonice fuit erecta a. 1757 *Confraternitas de imm. Conceptione,* quae ab eius initio usque in praesentiarum apprime clarescit, tum ob ingentem sodalium multitudinem, inter quos complures perillustres viri sive ecclesiastici sive seculares semper numerati fuere hodieque numerantur, tum ob affectum, quo sodales ipsi utriusque sexus hilari perlibentique animo voto se obstringunt defensandi mysterium de illibato Conceptu Deiparae, quam ut specialem Dominam atque Matrem festivis clamoribus extollunt; tum ob magnificam pompam, qua sodales et eorum exemplo plurimi ex aliis fidelibus festum de eiusmodi mysterio per novem dies mense Decembri celebrant ac praeterea die octava ceterorum totius anni mensium in Ecclesiam concursant ferventer avidi plenariam lucrandi indulgentiam a *Pio VII* in perpetuum concessam. Accedit, quod cuncta eius altaria ex indulto *Benedicti XIV* in perpetuum duraturo sunt privilegiata pro singulis animabus confratrum et consororum defunctorum Propter quae omnia Ecclesia ista magni apud cives Granatenses habetur, et continuum eis praestat incitamentum ad memoriam mysterii de conceptione recolendam eiusque cultum servandum et augendum. Existit etiam alia valde spectabilis *Ecclesia in monte Illipulitano* ‚Vallis Paradisi' nuncupato, — pro uno Abbate et Canonicis, aliisve ministris, et pluribus iuvenibus collegii Seminarii. Omnes vero, quotquot in Ecclesiam cooptandi sunt, solemne, priusquam adsciscantur, iuramentum emittunt his verbis: ‚Immunitatem purissimae Conc. BVM. a primo animationis instanti toto ex animo defendam, etiamsi pro eius propugnatione sit vitam necesse libare.' — Amplum hoc aedificium suis sumtibus exstruxit venerabilis meus praedecessor *Petrus de Castro et Quinnones* AEppus dein Hispalensis, qui propriis ipse manibus primum templi lapidem iecit his verbis inscriptum: ‚Mariam culpa originalis non tetigit.' — Quanta qualiaque praeclarus ille Antistes gesserit pro maiori huius mysterii gloria et exaltatione, prorsus est inenarrabile. — Cum sub initium Sec. XVII nonnulli theologi pium cultum hunc convellere niterentur, AEppus venerabilis, cum nulla alia valentior medela sibi visa fuisset, quam

dogmatica Sedis Ap. de veritate mysterii definitio, ad eam modo consentaneo postulandam nullis pepercit curis et laboribus. Stimulavit ad rem diligentissime perquirendam multos perinsignes theologos, — huiusce consilii praecipuos Hispaniae Antistites conscios fecit, a quibus responsa accepit obsequiosa, suffragantia, simulque gratulatoria. Consimiliter ei rescripserunt Senatus tam Granatensis quam Hispalensis, Dynastae, Ministri Regii, ac praecipue Rex *Philippus III,* qui illum ad rem strenue aggrediendam incitavit literis datis die 4 Oct. 1616: ‚Licet generaliter in meis regnis purissima Conceptio Dominae nostrae colatur, scio tamen certo, quantum in hac causa insigniter emineas, quantoque zelo et pio affectu eam cures pertractare ac promovere; quod vere laeto animo tibi gratulor pariterque defero quidquid mea auctoritate valebo, ut ipsam piam causam de illibata Conceptione Romae per tuos procuratores prosequaris.‘ His ergo praemunitionibus et adiumentis animatus ingeniosus Praesul duos eruditissimos viros a se delectos Romam misit, quos *Paulus V* benigne suscepit ac audivit, et post longam accuratamque discussionem decretum edidit die 31 Aug. 1617 ‚SS. Dominus noster‘, omnibus prohibens contrariam sententiam defendere. — Mortuo Paulo V novas preces iussit per legatos suos offerri *Gregorio XV,* — et obtinuit 1622 decretum ‚SS. D. noster‘ prohibens omnibus, ne de cetero etiam in sermonibus et scriptis privatis audeant de opinione contraria agere seu tractare. Haec autem, B. Pater, ex authenticis documentis in praedictae Ecclesiae Collegiatae archivis existentibus desumta idcirco narrare opportunum duco, ut commemorem non modo fervidum inclyti mei praedecesoris, catholicorum Regum, totiusque Hispanae gentis zelum pro exaltatione immaculati Deiparae conceptus, verum etiam eximiam Rom. Pontificum erga huiusmodi mysterium propensionem. Contraria enim sententia ablegata fuit per Paulum V a templis et scholis, ac per Gregorium XV etiam a privato humano commercio. Interea tamen vetus pia sententia nusquam non edicebatur atque plausibiliter praedicabatur, solemni Ecclesiae ritu confirmabatur, atque ab omnibus fere catholicis religiose credebatur teste *Alexandro VII,* qui 1661 dignanter exauditis *Philippi IV* Regis et omnium fere Hi-

spaniae Epporum precibus, piam sententiam apertissime dilucidavit firmiusque corroboravit in sua Const. ‚Sollicitudo omnium Ecclesiarum.‘ Demum ex quo *Clemens XI* in sua Const. ‚Commissi nobis‘ a. 1708 mandavit, ut festum Conceptionis ubique terrarum ab omnibus Christifidelibus servaretur et celebraretur sicut alia festa de praecepto, magnopere fuit sententia pia exaltata usque ad apicem certitudinis theologicae, nihilque iam deest pro fidei assensu praeter expressam Ecclesiae definitionem, ut communiter tenent recentiores theologi. Ad rem congruum mihi videtur apponere, festum Conceptionis in Hispania sicut de praecepto fuisse celebratum longe ante Constitutionem Clementis XI a. 1708 editam. — Nunc autem qua devotione Clerus populusque fidelis erga huiusmodi mysterium sit animatus, ex apertissimis signis, quibus festum colit, liquido claret. Nulla enim totius anni sacra festivitas splendidiori pompa in Ecclesiis peragitur. Attamen in Cathedrali, cuius Canonici iurant defendere immac. Virg. conceptionem, cultus magnifice resplendet. Consonant cum Clero ceteri de populo fideles, inter quos etiam negligentes in observantia festorum vix ullus existit, qui diem imm ac. Conc. non sanctificet. — En, B. Pater, quomodo se habeat Cleri populique fidelis istius Dioecesis devotio erga illibatam Deiparae Conceptionem. En quanto flagrat desiderio pro maiori eius exaltatione, superabundabitque gaudio, si tua Sanctitas rem ad fastigium evexerit, illam (imm. Conc.) apostolica auctoritate veluti Cath. Ecclesiae doctrinam definiendo. Restat, ut ad ea tua postrema verba respondeam, quibus a me sciscitaris, quid de re ipsa sentiam quidque exoptem. *Sentio* itaque *BVMariam in primo instanti, quo eius anima creata est et corpori unita, a peccato originali, divina gratia praeveniente, puram fuisse ac immunem, et exopto, quod ista Deiparae praerogativa tamquam articulus fidei a Sanct. tua definiatur.* Sentio, inquam, BVirginem fuisse sine peccato conceptam: idque me perpetuo defensurum iam pridem solemniter iuravi, pro certo habens, hanc veritatem in Verbo Dei tum scripto tum tradito contineri. In hanc sententiam praedecessores meos a multis retro seculis convenisse, perspectum habes atque exploratum. (Memorat *Paschasium*, et *Petrum de Castro*, iam laudatos.) Quan-

tum vero creverit ex illis seculis ad praesens in hac dioecesi sicut et in universali Ecclesia existimatio, fides, devotio et cultus erga huiusmodi mysterium: sufficienter exposui. Quapropter cum divinum officium persolvo, toto corde credo ea, quae ore profero, dum dico: ‚Imm. Conceptionem Virginis Mariae celebremus, Christum eius praeservatorem adoremus Dominum.' Hanc veritatem credo, non quidem illa suprema certitudine, quae fidei catholicae est propria, et in hac re nondum definita locum habere nequit, sed ea certitudine, quae dicitur theologica et moralis, digna firmo assensu cuiuslibet viri sapientis atque sensati. Et reapse BVirginis assumtio corporalis in coelum quamvis nondum sit ab Ecclesia ut articulus fidei proposita, eius tamen certitudinem nemini licet contemnere vel in dubium revocare, ut docent Theologi apud *Benedictum XIV* lib. 2. de fest. c. 8. Idem proinde censere oportet de imm. Conceptione, cuius festum nunc eodem modo in universa Ecclesia colitur. Non ita res se habebat, cum *S. Bernardus* celebrem illam epistolam contra cultum immac. Conc. scripsit. Sed ipsum cultum perfirmiter roborat atque confirmat. Ut enim recte ratiocinatur Benedictus XIV:, Praecipuus scopus S. Doctoris fuit auctoritas Apost. Sedis, qua inconsulta invectam vidit festivitatem in Ecclesia Lugdunensi, ac propterea si viveret, et ad imm. conceptionem Sedem Apost. esse intelligeret propensiorem, eiusque auctoritate in tota Ecclesia hanc peragi celebritatem videret, disciplinam hanc Romanae Sedi tantopere probatam statim amplexurum, cuius iudicio epistolam illam subiecerat.' Citat sapientissimus Pontifex pro hoc argumento Cardinales *Bellarminum* et *Sfondratum*. Sed mihi videtur, B. Pater, illos aliosque auctores, qui ante a. 1708 scripsere, superari quam maxime a recentioribus in efficacia eiusmodi argumenti. Illi enim de festo a Clero celebrando loquebantur, isti vero de ipso festo atque de lege Clementis XI illud colendi tamquam de praecepto observata ubique terrarum ab Eppis, Clericis populisque fidelibus, publice ac solemniter profitentibus Deiparae sanctitatem non utcunque sed praecipue ac designate in primo suae conceptionis instanti, ut expresse declaravit Alexander VII asserens, quod hoc sensu et non in alio quocunque a nonnullis auctoribus excogitato festivitas

ista ab antiquo fuit celebrata. *Cum igitur Ecclesia Christi sit columna ac firmamentum veritatis,* sancta et infallibilis in rebus fidei et morum, ad quas pertinet virtus religionis et divinus cultus, *impossibile est eam errare, dum tolerat, consulit, diversis modis promovet, imo universali praecepto mandat cultum immac. Conceptionis.* Quapropter Theologi recentiores unanimi suffragio docent, hanc rem esse a Deo Ecclesiae revelatam, idque ita clare ac luculenter constare, ut iam ab Apost. Sede possit definiri. Sic ego itidem sentio, valde mihi persvasum habens, huiusmodi definitioni hisce temporibus nihil obstare, quin plurimum conferre posse ipsam ad maiorem Dei gloriam incitandam et promovendam. Ex quo enim immaculata Virginis conceptio tamquam articulus fidei canonice decernetur, Deus, qui magnus est et laudabilis nimis in suis operibus ac praecipue in Sanctis eius, mirabiliorem ac laudabiliorem se nobis exhibebit in sanctitate et iustitia originali gloriosissimae Virginis Mariae, quam ut Reginam Angelorum et Sanctorum omnium invocamus. Profecto in illis speciali decore imago Dei fulget, proptereaque apposite vocantur coeli qui enarrant gloriam Dei et confitentur mirabilia eius: Maria tamen adeo illos tum dignitate tum sanctitate praecellit, adeo quoque Unigenito Filio Dei quem ipsa genuit plenum gratiae et veritatis, similis extitit non modo carne sed etiam spiritu, salva praestantia eiusdem Dei Filii, ut merito laudari possit, sicut vapor virtutis Dei, emanatio quaedam claritatis Omnipotentis Dei, ideo nihil inquinatum in ea invenitur; candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius. Porro inter multiformes innumeras sublimesque laudes ac congratulationes, quibus dignissima est Virgo Maria, illa, quae eiusdem gratiam sanctificantem et caritatem respiciunt, potissimum obtinent locum. Idcirco quantumvis gloriosa sit Assumtio in coelum cum corpore redivivo ac incorruptibili, gloriosior tamen est Conceptio cum anima a corruptione peccati per gratiam sanctificantem mirabiliter praeservata. — Exiliter Mariam laudant, qui peccati macula deturpatam iudicant, licet in momento proximo post Conceptionem mundatam; in peccato enim non mora sed foeditas est aestimanda; quocirca praestat vel tota aeternitate coelo esse exulem et infelicem,

quam uno momento peccatorem. Ideoque B. Maria (ut verbis utar Sfondrati,) ,malit non esse Virgo, non esse Dei Mater, non beata, non creaturarum omnium Regina, quam vel uno momento Deo exosa, expersque gratiae, et peccato foedata esse, nec esse innocens. In hoc ergo momento vertuntur omnia, quae Virgini nostrae carissima et pretiosissima sunt. Dic de illa quidquid volueris, tantum ne appelles peccatricem et filiam irae, hoc Virgini plus dolet, fuisse corruptam.' Quod autem ad utilitatem spectat Ecclesiae militantis, minime dubitari potest eam copiosos collecturam fructus ex laudibus BVirgini sub Conceptionis titulo tributis; docemur enim in Postcommunione Missae ,Egredimini' Deum deprecari, ut, qui Mariae Conceptionem iubilando celebrant, fructum centuplum suae devotionis accipiant. Proinde donec istiusmodi Conceptio canonice definita fuerit tamquam omnino sancta et immaculata, laudes BVirgini sub hoc titulo tributae merito speciali ac proprio actus fidei divinae cumulabuntur, ferventiores erunt, Filio Dei eiusque dignissimae Matri gratiores, uno verbo Ecclesiae militanti utiliores. Equidem verbis exprimi non potest, quam dignanter, benigne, dulciter et amice sese habeat BVirgo erga Filii sui suosque devotos amatores. Ipsa diligentes se diligit, atque carismatibus satis abunde instruit, disponitque servos suos, ut benedicti Filii sui et Spiritus S. sint habitatio et templum. Ipsa fuit gratia plena, ut de plenitudine eius omnes creaturae accipiant, largoque coelestium donorum imbre infundantur. Ipsa est Mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei, atque in ipsa est gratia omnis viae et veritatis, omnis spes vitae et virtutis. Cum ergo BVirgo tantis a Deo facultatibus sit locupletata, quam maxime sperandum est, ut huiusmodi sibi gratissimis laudibus et obsequiis propitiata et devicta, illos suos misericordiae oculos ad nos convertens, a malis, quibus in praesenti luctuosissima teterrimaque tempestate premimur, potenter eripiat. — Granatae, 19 Iul. 1850. *Lud. Ant. Folgueras et Sion.*

---

975. **Eppus Conchensis.** Inspectis Vestris SS. Literis, quas dedistis Caietae die 2 Febr. 1849, tantum gavisi fuimus, quantum qui maxime. Post homines natos nihil unquam simile contigit nec ad hilaritatem Catholico-Romanorum Praesulum excitandam, nec ad populi Christifidelis iubilationem efficiendam, uti Vestra piissima motio, divini magnopere erga Dei Matrem amoris facibus aestuata, ad inquirendam existimationem sententiam et desiderium Ecclesiae Dei per totum qua late patet orbem diffusae, ut infallibile vestrum prodeat oraculum consolatrice effans voce: De fide est, Theotocon Mariam ab omni prorsus peccati originalis labe immunem fuisse suo in conceptu. Momentum hoc prosperum, iucundum, et usque ad deliramentum laetans non tantum, sed in Hispaniarum regnis vere ineffabile, — in Vestra et meae per Vos sollicitudini commissa dioecesi, pristinorum Patriarcharum expectatione expectatur per vener. Senatum nostrae S. Basilicae et per Clerum et plebem cunctam gregis huius Vestri. Huiusmodi asseverationem proculdubio ostendunt preces, Vestra superiore ordinatione indictae, mea diligentia peractae, et ad ter Sanctum et Maximum Omnipotentem Deum in pennis alacrioris devotionis simul et exultationis mirifice delatae, in quibus indiscriminatim per BVMariam, quam Iberi omni tempore adiutricem habemus, omnes ad unum exoravimus, ut in omnem terram exeant voces Vestrae, et in fines orbis terrae Vestra prodeant verba in sensu optato, non ad Hispaniarum tanti cum definitione mysterii erga Dei Matrem dilectionem augendam, nec ut fidei definitio devotionem Deiparae adaugeat, quia ambo ad perfectionis plenitudinem pervenere; sed ut aliis in nationibus eo mysterio gloriae ingentis, et honoris non parvi apud Iesum Christum, utpote gratiae splendoribus exuberantem in sua Matre ab ipso suae vitae exordio per Vos solemniter acclamata par, si fieri potest, et dilectio et devotio adhibeatur. Hucusque, Pater SS. dulces teneraeque cordis mei affectiones et lingvae et oris vices gessere. Sed cum a Vestra Beatitudine cupiatur, quid in tanti momenti negotio sentiatur a nobis et exoptetur, operae pretium mihi facturus videor, si mentis meae convictiones queam tametsi strictim attingere, ut nostram sententiam exponamus. Similis nautae,

qui prima vice pelagi in dimidio sese conspiciens profunditatem undarum, quae usque ad horizontem undequaque decurrunt sub pedibus, et coelestis spatii immensitatem supra caput ut intuetur, anxius, moerens, confususque nescit quo ratem dirigat: eodem modo Vester Conchensis Eppus, B. Pater, innumeris et inenarrabilibus SS. Patrum testimoniis circumamictus ad mysterium immac. Conc. SS. Mariae V. stabiliendum, et volentes omnia e pulvère levare, et verentes ne molestia supremam Vestram considerationem afficiamus, trepidamus exordiri. Sed naturali Vestrae benevolentiae innixi, et insigni desiderio, quo flagratis, tam magnum negotium ad frugem perfectam provehendi, ex horto concluso, quem satan semper invisit, (numquam vidit) et quo Deus tantum perambulavit, brevi manu aliena folia secernentes, tantum ramos hos colligemus, quos Boanerges in hac nostra Hispania plantavit, ut possitis et Vos placidam et decoram rosam Iericho quae tametsi fuerit inter spinas, nihilominus ab eis minime fuit lacerata, in omni sua viriditate, splendore, et odoris svavitate cuncto terrarum orbi ostendere ex Vestra altiore et principe Cathedra. In ecclesiasticis negotiis gravitatis haud dubiae, et in quibus discretio scrupulosa, et pervigil disquisitio, et attentio nimia exiguntur, gloriosus S. Ioannes Chrysostomus hanc solutionem praebet: ‚Est Traditio? nihil quaeras amplius.' Supra hanc sententiam, quae a theologis omnibus communiter usurpatur, indefesso pede per stadium curramus. *Est Traditio,* B. Pater, *non solum ecclesiastica, sed etiam apostolica et divina, ut potius dicam, Virginem filiam Beatorum Ioachim et Annae ab ea totam pulchram oculis Altissimi, et sine macula et sine ruga peccati Adae conceptam fuisse.* En, Pater Sancte, per secula phalangem Macedonianam, ut ita dicam, quae hanc doctrinam usque in hanc diem ex Christi Ecclesiae incunabulis et vivae vocis oraculo et calami auxilio et adstruxit et docuit et transmisit. In *I Seculo S. Iacobus minor* (Liturgia), *S. Marcus* (Liturgia ad Aegyptios), et *Andreas* (morti iam proximus suis filiis quasi extremum legatum de immaculata Virginis perpetuae puritate sententiam tradidit), Apostolorumque discipuli *Ignatius* Antiochenus (ep. ad Ioannem et Christiferam Mariam a

D. Bern. memoratis serm. 7 in Ps. 90), et *S. Dionysius* Areopagita. (ep. ad Paulum praecept. suum.) In *II Seculo S. Iustinus M.* (quaest. ad orthod. 136 et expos. fidei de Trin.), et *S. Irenaeus.* (Lib. 5. c. haer. cap. 19. et l. 3. c. 33.) In *III Seculo S. Hippolytus M.* (orat. de consumm. mundi), *Origenes* (hom. 7 in Matth. c. 1. — hom. 3. in 2 c. Matth.), *D. Gregorius Neocaerareensis* (tres serm. de Annunt.), *S. Cyprianus* (or. de Chr. nativ.), *S. Dionysius Alexandrinus* (ep. in Auct. Bibl. vet. PP. t. 2.), et *Chrysippus* quidam Hieros. presbyter. (serm. de laud. Mar.) In *Sec. IV S. Athanasius* (t. 3. Serm. de SS. Deip.), *Titus Bostrenus* (in c. 1. Luc.), *Ephraem* (serm. de laud. Mar.), *S. Basilius M.* (Liturg. et serm. de Incarn. Chr.), *S. Epiphanius* (serm. de laud. BM.), *S. Ambrosius* (in Ps. 118 et hom. de Cain et Abel), *S. Gregorius Nyssenus* (hom. 18 in Cant.), *D. Hieronymus* (ep. de Assumt. — super Ps. 77. — super Is. 9.), *Timotheus* presb. CPnus (or. de Simeone), *Sophronius* Hieros. Patr. (or. de Angel. excell. et ep. ad Sergium), *Ioannes Hieros.* (lib. de inst. Monach. c. 32.), *Caesarius* (dial. 3.), et *Chrysostomus.* (Liturg. et serm. de Annunt.) In *Sec. V S. Augustinus* (ad fr. in eremo c. 2. — tract. de 5 haer. c. 5. — l. de Symb. expos. et or. Domin. — serm. 2. et 18 de Chr. nat. etc.), *Maximus* Taurinensis (hom. de Dom. in Ram.), Poëta *Sedulius* (l. 2. opp. Pasch. de Virg.), *Cyrillus Alex.* (Brev. Rom. lect. 3. de Conc.), *Proclus* Cyzicensis (hom. in C. Ephes.), *Theodoretus Ancyranus* (hom. de nat. Serv.), *Basilius* Ep. *Seleuciae* (or. de Verbi incarn.), *Theodoretus* (in c. 6. Cant.), *Eusebius Emisenus* (serm. de Nat.), *S. Leo* Papa (serm. 1. 2. de Nat. Salv.), et *D. Petrus Chrysologus.* (serm. de Annunt. et serm. 144.) In *Sec. VI Anastasius Sinaita* (l. 2. anagog. contempl. et l. 6.), et *Andreas Cretensis.* (hom. 1. de Virg. dormit.) In *Sec. VII Hesychius* Hieros. (or. 2. de S. M. Deip. *Syn. II Nicaena* (Act. 6.), *S. Antiochus* (Pand. Script. hom. 21.), *S. Eligius* (hom. 2. in Purif.), *Venantius Honoratus* (Symb. expos.), et *Cosmas* Hieros. (Theog. hymn. 1. 5. 6.) In *Sec. VIII Germanus* Hieros. theor. rer. eccl. et epist.), *VI Syn. Generalis* (Act. 8.), *S. Ioannes Damascenus* (Menol. Graec. or. 1. de Nat. Dom. — 3 or. de Nat. Mar. — 5 de dorm. — l. 4. de fide orth. c. 15. — or. 2. de Dom.) *Conc. Francofortense*

(ep. ad Epp. Hisp.), *Syn. VII Generalis* (Act. 2. et ep. Adr. ad Tharas.), *Paulinus* Aquileiensis Eppus (l. 3. c. Felic. et l. 6.) et *Albinus Alcuinus*. (l. 3. de Trin. et l. 6. c. Fel. Urgel.) In *Sec. IX S. Nicephorus CPnus* (ep. ad Leon. 3.), *Ionas* Ep. Aurel. (l. 1. pro def. SS. Imag.), *Theophanes Graecus* (hymn. de Annunt.), *Strabo* Fuldensis Monachus (Glossa in c. 35. Exod.), et *Ioannes Ausbertus*. (serm. de Matre Creat.) In *Sec. X Leo* Imp. Philosophus sapientissimus (or. de Virg. Conc.), *Georgius Nicomediensis* (or. de Virg. Conc.), *Idiota* (Contempl. de Virg. Deip. c. 3. 4. 6.), et *S. Fulbertus* Ep. Carnotensis. (serm. de Nat. Virg.) In *Sec. XI S. Petrus Damianus* (serm. de Annunt. Assumt. et Nat.), *S. Anselmus* (ep. 2. ad Cor. c. 5. — lib. de Conc. c. 18. 27. — ep. ad Epp. Angl.), *Petrus Abbas Cellensis* (l. de panibus c. 21.), *Ivo Carnotensis* (serm. de Nat. Dom.), et *S. Bruno* dignissimus Carthusianorum Patriarcha. (in Ps. 105. et serm. de Nat. V.) In *Sec. XII Rupertus Abb. Tuitiensis* (l. 3. et 6. in Cant. et l. 7. de glor. Trin.), *Potho* presb. Prunensis (l. de magna Sap. domo), *D. Bernardus* (non obstante ep. ad Lugd. conficta et fabulosa, in serm. de Nat. Chr. de Coena Dom. — serm. 4. super Salve Reg. — serm. 4. de Ass. et serm. de verbis Apoc.), *Hugo de S. Victore* (l. 3. Miscell. tit. 125. et serm. 47. de Ass.), *Richardus Victorinus* (serm. Necdum erant abyssi, et l. 2. de Emman. c. 28.), *Petrus de Riga* (carm. de Evang.), *Adamus Victorinus* (prosa de Virg. Ass.), *Petrus Lombardus* (in 3 Sent. §. 4.), *Petrus Comestor* (sermo sup. Is: Primo tempore), *Arnoldus Carnotensis* (tract. de laud. Virg.), et *Petrus Blesensis*. (instr. fil. ad Sold. — serm. de Magd. — serm. 2. de Ass.) In *Sec. XIII Conc. Oxoniense* apud Anglos (Can. 1.), *Honorius Augustodunensis* (sup. Cant. 2.) *Alexander Halensis* (l. de pura Conc.), *Hugo Card.* (super c. 1. Luc.), *Albertus M.* (l. de Mar. laud.), *D. Bonaventura* (serm. 2. de BVM.), *Petrus de Tarantasia* (in 3 Sent. dist. 3.), et *Rupertus de Rusia*. (in 3 Sent. dist. 3.) In *Sec. XIV Ioannes Duns Scotus* (in 3 Sent. dist. 3. q. 1.), *Guilelmus Varro* (de Conc. Serm. 4.), *Augustinus Anconitanus* (Comm. ad Cant. BVM.), *Petrus Aureolus* (lib. de conc. pura), *Antonius Andreas* (in 3 Sent. dist. 3.), *Hervaeus Natalis* (in ep. 2 ad Cor. c. 5.), *Franciscus Mairone* (in 3 Sent. dist. 3.

art. 3.), *GuilelmusOkkam* (serm. de Conc.), *Monatous* (in 3. dist. 3. art. 1. et serm. de Conc.), *Nicolaus Liranus* (super verba: Spir. S. superveniet), *Adamus Ioddam* (in 3. dist. 3. qu. 1.), *Bartholomaeus Pisanus* (tract. de Virg. Deip. 3.), *Ioannes Bacon* (in 3. dist. 3. art. 1. 2. 3.), *Taulerus* (serm. de Purif.), *Paulus Venetius* (tract. de imm. conc.), *Landulphus Neapol.* (in 3. dist. 3.), *Hugo de Castronovo* (in 3. Sent. dist. 3.), *Armanus* (tract. de pura V. conc.), *Ioannes Vitalis* (defens. BV.) *Robertus Lincolniensis* (in 3. dist. 3.), *Ioannes de Basilea* (in 3. dist. 3.), *Gerardus Antiochenus* (in 3. dist. 3.), *S. Birgitta* (l. 1. revel. suar. c. 9.), et *S. Elisabetha Hung. Regina.* (apud Pelbart. l. 4. Stell. p. l.) In *Sec. XV Petrus de Candia* (serm. 4 de Conc. et in 3. dist. 3.), *Ioannes Montesonus* (iuxta Iaquinum hist. Franc. post retractationem), *Conc. Basileense* (Sess. 36.), *S. Bernardinus Senensis* (tr. de BV. serm. 51. de Sal. Ang.), *Petrus Apollinaris* Poëta (carm. de Nat. Virg.), *Nicolaus Batavus* Abbas Panormitanus (apud Andr. Barbatiam), *Ioannes Bassolis* (in 3. dist. 3. qu. 1.), *D. Laurentius Iustinianus* (tr. de casto conn. Verbi et animae c. 7.), *Petrus Thomas* Carmelitanus (tr. de Conc.), *Sixtus IV* (Extrav.), *Leonardus de Nogarolis* (off. de pura Conc.), *Pelbartus Temesvar.* (Pomoer. l. 4. Stell. Mar.), *Petrus de Aquila* (in 3. dist. 3.), *Michael de Bononia* (lib. de pura V. Conc.), *Alexander Nequam* (in 3. dist. 3. qu. 1.), *Baptista de Ferraria* (in 3. dist. 3.), *Fridericus Nameas* (hom. 85 de SS.), *Nicolaus Cusanus* (l. 8. Exercit. super: Sicut lilium — l. 5. serm.), *Dionysius Carthusianus* (in 3. dist. 3. qu. 1. et tr. de laud. V. Deip.), Auctor anonymus libri: *Dormi secure* (serm. de pura V. Conc.), *Ioannes Picus* (lib. de arte cabal.), *Innocentius VIII* (confirm. relig. Mon. de imm. Conc.), et *Facultas Acad. Parisiensis.* (contra Ioannem a Veri.) In *Sec. XVI Academia Moguntina* (iuram. de imm. conc.), *Alexander VI* (Extrav. Illius qui), *Franciscus Petri* (serm. de Conc. pura), *Nicolaus de Nisa* (serm. duo), *Oliverius Maillard* (serm. un.), *Hugo de Pratofloridos* (serm. de Annunt.), *Chlichtoveus* (tr. de imm. conc.), *Thomas Illyricus* serm. 3. de Incarn.), *Ioannes Maburnus* Bruxellensis (tit. 24. alphab. 56.), *Dominicus Pico*, (claus. 3. serm. 23. de prodigo), *Tartaret* (in 3. dist. 3.), *Nicolaus de Orbell* (in 3. dist. 3. q. 1.),

Conc. Tridentinum (Sess. 5. de pecc. orig.), *Pius V* (Const. Speculum.), *Cornelius Mussus* E. Bitontinus (in c. 5. ep. ad Rom.), *Michael Hillaret* (in sacr. laud. de pura Conc.), *Franciscus Fevardentius* (schol. ad Iren.), *Gregorius XIII* (bull. c. Baium), *Turrianus* (ep. ad I. Amiotum), *Theodoretus Pelto* (tr. 6. de pecc. orig.) *Bellarmiuus* (t. 3. Contr. l. 4.), *Ioannes Lorinus* (ad Ps. 95.), *Benedictus Iustinianus* (in c. 2. ep. ad Tim. et c. 2. ep. ad Hebr.), *Cornelius a Lapide* (in c. 5. ep. ad Rom.), *Card. Magontius* (Mon. Mar. 2.), et *Iulius Mazarinus.* (in Ps. 50 disp. 96.) Et in seculis XVII, XVIII, et praesenti quis cultores et assertores simul immac. Conc. BMV. enarrare audebit? Tale propositum adgredi esset cum Archimede velle oceani littorum arenas numerare. Sed apertum sit apud vos, B. Pater, omnes istos piissimos virtute et sapientia celeberrimos viros, cum aliis innumeris, quos in praedictis seculis silentio gratia brevitatis tradidimus, conceptum BMV. almum et nitidum et purissimum immaculatum nuncupavisse. Mirum fortasse Christi vicem in terris gerenti videbitur, inter tot tamque praeclaros Ecclesiae militantis duces non conspicere Scholarum Angelum *Aquinatem Thomam.* Animi ex nostri deliberatione perfecta belligerum talem et armatum fortem in silentium revocavimus, et hunc in locum ponere decrevimus, eo *ut ab omnibus conspiciatur solus in defensionem atrii domus vivificae Dei, seu asserens Deiparam Mariam liberam fuisse a peccati originalis communi contagione ipsomet suae conceptionis instanti. Bernardinus de Bustos* S. Thomae de expositione Ang. Salut. haec verba producit: ‚Maria purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.' Eundem locum citant *Canisius* et *Salmeron*, qui affirmat, Card. *Ioannem a Turrecremata* verba ita cognoscere, et *D. Thomam* piae sententiae adfavere. Nam codices illi, quibus hodie utimur, peccatum originale Virgini affigunt. Solet etiam pro imm. conc. citari D. Thomas in c. 5. ep. ad Gal. c. 3. ad illa verba: Non dicit in Seminibus. Nam *Henriquez* in antiquissimis codicibus haec verba se deprehendisse affirmat: ‚Excepta B. Virgine, quae omnino a peccato immunis fuit originali et veniali.' Etiam locus iste, ut hodie in novis editionibus iacet, vitiatus apparet. — Idem Angelicus Doctor in I. dist. 45. q. 5. art 3. ad 3.

ita scribit: ,Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, et nulla contagione peccati inquinatum sit: et talis fuit puritas BVirginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit, fuit autem sub Deo, in quantum erat in potentia ad peccandum.' Quid expressius? apertius quid? B. Pater. Haec verba, quorum luculentam expositionem habemus c. 10 ed. opp. S. Doctoris Antverpiae a. 1613, per scelestam nefariam et execratione dignam manum *Cosmae Morelles* ex Ord. Praed. cuius diligentiae cura editionis commissa fuit, — vitiata apparent. Eadem pia mens D. Thomae constat in eodem I Sent. dist. 57. q. 2. art. 4. ubi persimilis sibi S. Doctor, cum sibimet obiecisset illa verba Anselmi: ,Decuit BVirginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi,' in solut. 3. ita occurrit: ,Ad illud, quod obiicitur de BVirgine, dicendum est, quod differt puritatis augmentum et caritatis; augmentum enim puritatis est secundum recessum a contrario, et quia in BVirgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad summum puritatis; sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, quae est in aliqua creatura, quantum in se est.' Per haec et alia S. Doctoris fragmenta non temere opinamur, Summam theologicam Doctoris tanti corruptam fuisse, et praecipue, quia auctor Dominicanus, qui eodem seculo quo D. Thomas vel paulo post diem supremum obivit, scilicet *Bromiardus* aliter refert, quae leguntur III partis q. 17. art. 2. Et P. Theophilus Reginaldus in Syntagmate de libris propriis Hispanum *Bernardum de Foro* dum Romae fuisset ad causam imm. Conc. urgendam, cum corruptionem notasset, accusavisse de tanto crimine Cosmam Morelles coram P. Max. Paulo V, qui Cosmam male verbis accepit, et haec Pontificis obiurgatio Morellesium induxit ad rumpendam plagulam papyraceam et ad restituendum in sua vera integritate fragmentum, quod vitiare cupiebat. Doctor Angelicus, B. Pater, ut alter Phoebus fugatis nebulis, quae in operibus suis per manus scelestas et execratione dignas sparsae fuere, clarior oculis Vestris eluceat, et similiter vobis appareat Mater Dei in negotio gravissimo immac. suae conceptionis circumamicta Sole Scholarum. Ex hac Doctoris Angelici defensione

sponte fluit haec cogitatio: Circa Conc. immac. BMV. discrimen erat inter Catholicos Scriptores, et qui talem praestantiam Deiparae negant, videntes bilancem ex parte sua deficere, voluerunt ingens immensumque pondus doctrinae tanti Doctoris dolose et ignobiliter in lance sua collocare. Fuit enimvero disceptatio catholicos inter auctores circa rem, de qua agitur, sed adde, quod auctores oppositae sententiae ad nostram sint in numero unus pro mille; eorum doctrina nova in Ecclesiae historia, sua novitate in dedecus incidit, nam asserentibus SS. Augustino et Isidoro, illa, quae non sunt scripta sed tradita, custodimus, quae quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia suluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. — Iuxta hanc auctoritatem supra dicta discrepantia *traditionibus Hispanis* fugata erit. In Hispana Ecclesia conspicies, B. Pater, *fontem traditionis ex ipso Hispaniarum Patrono B. Iacobo Maiore Apostolo manasse*, quae fortis Mardochaei adinstar adeo crevit, ut in tempore ortus controversiae, quam deploramus, fuerit iam non rivulus exiguus et parvi momenti, sed flumen magnum et profundum, quod Ibero potentius novitatem ex Gallis venire conantem trans Pyrenaeos montes sistere fecit. Primus, qui in hac prima catholica natione immaculatum Conceptum BMV. docuit, fuit *S. Iacobus Maior Apostolus*, teste eius discipulo *B. Thesiphonte*, uno ex septem apostolicis viris Hispaniae cultoribus, in his libris, qui nuper nostra memoria Granatae non procul ab Illiberi in Montis sancti antro reperti sunt. In his enim S. Thesiphon ex B. Iacobi doctrina sic loquitur: ‚Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta praeservata fuit a peccato originali in primo instanti suae conceptionis, et libera ab omni culpa.‘ Alio in volumine haec leguntur: ‚Nequaquam Angelus Virgini diceret: Ave gratia plena, si in originali peccato fuisset concepta.‘ Et in ipso haec sententia S. Iacobi inspicitur: ‚Mariam non tetigit primum peccatum.‘ Horum librorum quanta sit fides et auctoritas, non adeo meum est explorare, cum id iam alii diligenter et feliciter praestiterint. Doctrina Apostoli et eius discipuli sicut pluvia in vellus super Hispanos descendente, ab eis festum imm. Conc. ipso Apostolorum tempore agi coepit. *Flavius Dexter*

filius S. Paciani Eppi Barcinonensis, qui floruit a. 392, in sacro Theodosii Imperatoris Senatu regio ut maximus consiliarius, in suo Chronico haec verba profert: ‚A Iacobi praedicatione celebratur in Hispania festum immac. Conc. B. Mariae.' Unde aperte constat, hoc festum Apostolorum seculo non tantum fuisse celebratum in Hispania, sed etiam eius solemnem celebrationem viguisse tempore Flavii Dextri. Cui rei fidem facit aliud testimonium *Pauli Orosii,* qui sub Flavii Dextri tempus apud nostrates Hispanos floruit a. 425. Hic enim in Epist. ad Eutochium, ut citat Fr. Mauritius de Villa probata, vel ad Hibiodorum, ut dicit Bernardus de Bustos, sic ait: ‚Coram Deo novi, et in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam devote Mariae gratia imploratur, et dies Conceptionis eius celebratur.' Ex quo apparet, per dictum salutis nostrae annum 425 festi illius celebrandi morem nondum excidisse. Quin potius eum morem sartum tectumque ad usque Isidori tempora perstitisse, ex quo sibi aucupari videntur, qui hunc in suo Missali Mistarabico, quod iussu Concilii Toletani IV reformandum susceptum est, ex doctrina nationali et ex propria sententia peculiare officium de Conceptionis festo conflavisse asserunt. Prima Lectio Isidoriani officii sumitur ex c. 2. Prov.: Dominus possedit me etc. Et in Praefatione haec leguntur verba: ‚Dignum et iustum est, Omnipotens Pater, tibi in honorem Conceptionis gloriosae V. Mariae etc.' Et infra: ‚Cum multiplex illa Angelorum legio, ceteraque Sanctorum omnium, Virginum, Martyrumque concio, sive terrestris beatorum multitudo in hoc Conceptionis gloriosae festo non cessant clamare etc.' Altera vero oratio, quae est inter extremas, sic se habet: ‚Domine Iesu Christe, qui sic Matrem honorificasti, quamque Conceptionis eius gratia coram te suffragatricem incomparabilem invenimus etc.' Ex his videre est, festi huius celebritatem ortam heroica Apostolorum aetate devenisse ad Sec. VII cum omni honorificentia, laetitia et maiestate. Accedat, dignissime Cephae successor, gravissimum aliud testimonium sanctissimi viri unius, quod compilatio simul et confirmatio istius narrationis esse potest. *Marcus Maximus* Historicus et Christianus Vates, qui ex Monacho S. Benedicti Caesaraugustanus AEppus creatus fuit, Sisebuto in Hispania regnante, inter alia poëmata luculentum dedit hymnum,

ubi de apparitione illa, in qua Virgo Deipara D. Iacobo Ap. Caesargustae visendam sese praebuit, verba faciens sić scribit: ,Ostendit illi se hilarem, — Suoque Natalitio — Conceptionis aureae — templo manent encomia. — Conceptionis hunc diem — Iacobus Hispanos docet, — Et praedicat ceu ceteri — Ab omni labe liberam. — Hinc mos habet principium — Hunc celebrandi iugiter — Populis Iberis diem — Qui durat usque hodie.' Si doctrina ab Apostolo Iacobo tradita serie non interrupta, immani ferocitate Romanorum Imperatorum despecta, ad Gothicum imperium in Hispaniis transierit: videamus quod in dissidiis nationum barbararum, quae huius regni dominationem inter se contendere, Gothis super Silingos, Svevos, Alanos et Vandalos victoriam decertantibus, ipsam doctrinam Apostoli accrevisse. *Concilium Toletanum IV*, quod B. Isidoro commisit munus reformationis officii divini et purissimae Deiparae Conceptionis, de Rege Gotho Sisenando hanc laudem affert : ,Cuius devotio nos ad hoc decretum salutiferum evocavit.' Et infra: ,Definitis itaque his, quae superius comprehensa sunt, annuente religiosissimo Principe.' De Chindasvinto APraesul Rudericus sic effatur: ,Instituta B. Isidori firmiter observari fecit.' Postmodum *Conc. Toletanum XI*, quod Concilii IV decreta confirmavit, de Wamba Rege asserit: ,Cuius ordine collecti, etiam studio aggregati sumus, qui ecclesiasticae disciplinae his nostris seculis novus reparator occurrit.' In ismaëlitica inundatrice incursione alma devotio erga purissimam et immaculatam Conceptionem BVM. ut familia Noëmi in aliis tantis arcis salvata fuit, ut pectora Hispanorum stetere; et in Gothica restauratione a Pelagio incepta eadem doctrina et devotio auctum sequitur cum Isidoriano officio et eo et Missali Mistarabico in captione Toleti per Alphonsum VI Castellae Regem suppresso, nihilominus piissima sententia robur acquirit. *Iacobus* cognomento *Saracenorum debellator* ad oppositam non dicam sententiam sed rabiem, quae in Galliis serpere incipiebat, remorandam Iosue ipso callidior, ne a recentibus Gabaonitis plebs sua deciperetur, devotionem immac. Conc. V. Mariae auxit, initium praebens Ordini regio de captivis redimendis, qui protectrici suae sub auspiciis imm. conc. huius mysterii festum cum octava habuit, iuxta Silvestrum de Saavedra; addentibus Ioanne de Mariana et Guimeran, dispo-

sitorem rerum svaviter ad servandum mysterium imm. conc. sine macula in Hispania per Iacobum Aragoniae Regem fortiter egisse. Exitiale virus trans Pirenaeum exagitatum per serpentem, qui morsu apprehendere Deiparam nequivit, eo quod ad caput suum conterendum munda ex ore Altissimi prodivit, opinio, inquam, quae etiam cum pietate prolata piarum aurium est offensiva, quae asserit Matrem Dei in communi anathemate Adae et suae posteritati fulminato involutam fuisse, Gallis iam infectis, Iberiam inficere molitur. Sed ecce, *Ioannes I Aragoniae Rex* ut alter Esdras et Nehemias alter antemurale suae Ierusalem i. e. mysterium imm. conc. adhibuit ex corde regiis suis ordinationibus, aiens: ‚Huius itaque Beatae Conceptionis BV. colimus ex puro corde mysterium, et eius festivitatem solemnem, quam Regia Domus nostra quolibet anno devota exultatione concelebrat, et perinde perpetuam nostri praedecessores illustri memoria recolendam statuerunt.' Et infra: ‚devotionem iamdudum in cordibus suis de tam Sacratissima Virginis conceptione adaugeant.' Et subdit: ‚Et nos utique dedicavimus confratriam.' Demum Eliae spiritu inflammatus, adversus tantum mysterium oppugnantes sic apostrophatur: ‚Taceant vociferatores inutiles, disputatores stulti erubescant de tam praeclara et immaculata et pura Conceptione Virginis violenta producere argumenta.' Sileat, B. Pater, oratio circa eandem rem Philosophi Leonis, qui in Oriente imperavit, et sileat coram Hispano Rege universa terra. Sed non omnis egregius amator immac. conc. B. Mariae dilectionem et sapientiam Regis Aragoniae Ioannis I cum videat, ut Regina Saba alloquatur Salomoni isti; ‚Maior est scientia tua et sapientia tua, quam rumor quem audivi.' Et plebi suae: ‚Beata gens, quae tua est sub ditione, quia non fecit Deus taliter omni nationi, nec iudicia sua sic manifestavit eis.' Venia impetrata pro hac hispani mei amoris effusione, filum iterum sumamus. Cum devotione et propugnatione imm. conc. BMV. Hispania immaculata fuit labis ipsam Deiparam labefactare cupientis, cura et diligentia piissimorum suorum Regum. Nam *Ioannes II R. Aragoniae* in lege ab ipso lata hanc assertionem confirmat aiens: ‚Insequens vestigia ill. et seren. Principum vener. mem. D. Ioannis Regis, Martini Regis, et semper

victoris Regis Alphonsi et ill. D. Mariae suae coniugis tunc vicem gerentis dicti Domini, qui feliciter regnat hodie, ex quibus unusquisque diversis temporibus fecerant leges, statuta, et multas laudabiles ordinationes in additione honoris et reverentiae gloriosae Virginis D. N. et sanctae suae Conceptionis.' Et *Marineus Siculus* memoriam faciens huius et alterius legis, quae habetur libro de trophaeis regni Aragonum, pietatem Ioannis II sic demonstrat: ,Festum quoque de BV. Conceptione sicut et alia eius festa celebrari summa cum veneratione praecepit, et, nequis Virginem in peccato originali fuisse conceptam, neque publice neque privatim dicere auderet.' Regum Austro- et Gallico-Hispanorum pietatem et reverentiam commendare esset calamum in infinitum dirigere: et pro primis loquatur Imperator Occidentis et Hisp. Rex Carolus XI, pro reliquis Carolus III indelebilis memoriae. Iste sua regna Hispaniarum et Indiarum sub protectione BV. immaculatae collocavit, et ille Confraternitates regias circa tam almum mysterium instituit. Sed si Praesulum et Regum testimonia non sufficiunt, mentem Ecclesiae Hispanae et suorum divitum hominum et cunctae plebis ostendunt Hispani insignes scriptores et oratores sacri: *Prudentius* (in Apotheosi), *Fulgentius* (serm. de dupl. Nat. Chr. et de laud. Mar.), *Ildephonsus* (de partur. V. M.), *Dominicus a Guzman* (de Sacr. Corp. Chr.), *Antonius* Lusitanus communiter *a Patavio* (serm. Dom. 1. p. Epiph. et Dom. 3. Quadr.), *Raymundus Lullius* (tr. de pura V. conc.), *Vincentius Ferrerius* (de conc. Nat.), *Alphonsus Tostatus* (super prol. D. Hier.), *Bernardinus de Bustos* (Mariale), *Ioannes a Turrecremata* (in 3. dist. 3. q. 1. et l. de imm. Conc.), *Toletus* (in Ioan. 3. ann. 9. — Luc. 10. ann. 119. — in c. 5. ep. ad Rom.), *Sanctius Porta* (Mariale et serm. de Conc.), *Franciscus de Ossuna* (serm. de pura Conc.), *Ovando* (in 3. dist. 3.), *Michael de Palacios* (in 3. dist. 3. q. 1.) *Ludovicus de Carvajal* (de imm. Conc.), *Thomas a Villanova* (serm. 1. de Ass.), *Dominicus a Scoto* (l. de nat. et gr.). Et ex *Societate Iesu*: *Ignatius a Loyola, Iacobus Laynetius, Alphonsus Salmeron, Maldonatus, Pererius, Gabriel Vasquezius, Valentia, Martinus del Rio, Henricus Henriquez, Ioannes Fernan, Sebastianus Barradas, Ioannes Pineda, Petrus de Ribadeneira, Ioseph a Costa, Petrus de Morales, Ioan-*

nes Salas, Ioannes Ossorius, Ludovicus a Ponte et Conchenses *Petrus de Ojeda,* et *Ferdinandus Salazar* (quos omnes in *Literatura* recensemus.) Pateat Vestrae Paternitati SS. non tantum istos, sed alios plurimos Hispaniae filios egregios assertores fuisse conceptus immaculati Virg. Mariae in Annae utero; nam ex exemplo Academiae Valentinae digno in Universitatibus et Gymnasiis et doctores et magistri et iurisconsulti, et Parochi solemniter Deum in testem adhibent, antequam peculiari suo munere fungantur, se credere et propugnaturos esse tam almum mysterium, quia de facto tale est apud Hispanos. Et, si secundum S. Irenaeum cum disceptatio est in aliqua quaestione, oportet in antiquissimas occurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et perliquidum est, nonne, Pater Beatissime, haud sumes quod in Ecclesia Iacobi Maioris Apostoli certum et perliquidum semper fuit? Absit. (Aliquid deest in praesenti constructione.) Superest, ut perpauca de nostro grege ad Vestram efformandam sententiam enarremus. Devotio erga immac. Conc. BVM. adeo radicavit in hoc populo honorificato Conchensi, quod sit vere et absque hyperbole pars praecipua suae christianae haereditatis. In pauperum tabernis sicut in turribus magnatorum, in pagis illiteratis ut in civitatibus studio et arte cultis, per omnes absque sexus discrimine et conditionis varietate *B. Deipara sumitur* ex antelucano *pro terra, quam benedixit Dominus,* ut averteret captivitatem Iacob, et quam possedit ab initio; *pro mundo, quem valde bonum et mundum Deus Christo creavit,* ut paradisum hominis secundi; *pro arca Noë,* quae in diluvio culpae universam terram et excelsos sanctorum montes operiente, elevata fuit in sublime et nullatenus submersa fuit, nec intus tacta per aquas; *pro rubo Moysis,* qui inter flammas illaesus et splendorem et nitorem cum igne acquisivit; *pro virga Aaron,* quae inter ceteras sola germinavit et floruit; *pro throno,* quem ad occupandum digne *divinus Salomon* sibi fecit de ebore et vestivit auro fulvo nimis: *pro nubecula Eliae,* quae de mari salsugine et amaritudine pleno dulcis ascendit; *pro terra Gessen,* quae cum mundi Aegyptus in tenebris densissimis iaceret, solis luce sola fruebatur; *pro columna nubis deserti,* quae decorata solis luce per diem,

tota nocte illuminatione ignis maculam obscuritatis nescivit; *pro vapore*, de quo Sapientia dicit: est enim virtutis Dei et emanatio quaedam Omnipotentis Dei sincera, et ideo nihil inquinatum in eam incurrit; *pro speculo sine macula* Dei maiestatis; *pro columba perfecta et immaculata* iuxta hebraicum textum; *pro luce*, quam fecit Deus Verbo suo ad chaos de humanitate eliminandum; *pro horto concluso*, ubi cinnamomum et myrrha, casia et gutta, terebinthus et cypressus, oliva et palma, quercus et platanus, rosa et lilium cum sint, et foetor et corruptio ad sua moenia non accessere; *pro fonte signato*, ex quo Deus bibit; *pro Urbe sancta*, quam ipse Deus fundavit; *pro templo Divi Salomonis*, ubi ad ingressum non pontificis Iudaei sed ad introitum Regis gloriae ornatum fuit mane diluculo auro gratiae et setine virtutum et cedris donorum: *pro thymiamate odoriferante* inter Arabiae aromata; *pro manna* ex coelo descenso ad Iesu nutrimentum: *pro domo aurea* adinstar eius in Apocalypsi descriptae, ad inhabitandum per Deum constructa; *pro amica Dei*, ad quam alloquens ipse venit, et deserto non existentiae ad vitam progressa fuit deliciis affluens, innixa super dilectum suum, circumamicta sole, luna et sideribus; *pro secunda Eva* de costa munda ex mundo limo condita; *pro Esthere sponsa*, quae in conspectu mentis aeterni Assveri, ut se praebet, ad genus humanum ex Aman inferni eliberandum, videt sceptrum humiliatum et audit magnifica verba: Non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est; *et demum pro Iudith*, quae ad Holofernem abyssi, *pro Iahele*, quae ad Sisaram averni, et *pro Muliere*, quae ad caput serpentis conterendum ut eques Apocalypsis ad vitam venit: vincens ut vinceret. Ea est fides, B. Pater, quam publice et per domos noster Senatus ex hac Basilica sancta, et Clerus huius matricis Civitatis et ceterarum Paroeciarum, et Optimates, et plebs cuncta uno ore profitentur, nam patres nostri annunciaverunt nobis ab omni retro antiquitate. Hac in aetate per vestigia piorum nostrorum maiorum praesens generatio feliciter progreditur. *Etiam nunc tanto in vigore est et adeo subsistit adhaerens Hispanorum praecordiis devotio erga immac. conceptum SS. V. M. ut infantuli non indigeant illo Scripturae consilio*, ‚Interroga patres tuos et dicent tibi.' Matres praecipue, quibus·

cum crescit dilectio et devotio, maximum munus matrum statuunt in eo, ut ubera sua sugentibus inter oscula blandimentaque ad aures indesinenter dicant: ‚Ave Maria purissima', et ad responsionem excitantes prosequantur: ‚sine peccato concepta.' Post quam lactentes haesitante voce loquelae primitias Deo per immac. conceptum Deiparae offerunt. Hac salutatione simul prolata Matres suam Catechesim inchoant hac vere Hispana oratione: ‚Benedictum et laudatum sit altaris mysterium, et pura et munda Conceptio Mariae SS. absque macula conceptae originalis peccati primo in instanti naturalis sui esse.' Ex ore infantium et lactentium perfecit et perficit Deus laudem Genitricis suae in hac Ecclesia Conchensi contra inimicos eius immac. Conceptus. Propterea absque admiratione passim atque passim auditur haec salutatio ex Hispana traditione composita, quam parvuli in Civitatibus, et in rure etiam iuvenes ac senes Sacerdotibus et Optimatibus frequentissime dirigunt: ‚Ave Maria purissima', respondentibus istis: ‚sine peccato concepta.' Ex hac congenita Hispanorum devotione et consuetudine procedit, ut vix videre sit, non dicam Urbem, oppidum sine templo, templum absque altari, et domum sine icone Conceptus immaculati. Inter quae memoriam facere licebit effigiei, quam apportarunt Equites militiae S. Iacobi versus annum 1193, quae etiam nunc asservatur in domo Urcesensi; — et *Missalis mixti* secundum consvetudinem Ecclesiae Conchensis, quod typis Ioannis a Canova Conchae traditum fuit a. 1559, complectens Missam propriam de imm. V. Conceptione; et inter monumenta sub tam glorioso titulo per pietatem erecta constat templum in oppidulo Villaconejos Conceptui immac. V. M. dedicatum et literis Pont. Innocentii XIII munitum. *Deiparam Virginem fuisse primo suae almae Conceptionis instanti intemeratam, illibatam, immaculatam et immunem ab omni prorsus, etiam levissimo originalis eccpati halitu, est similiter sententia, doctrina, et ampla ac profunda convictio huius parvuli inter Vestros filios Conchensis Eppi.* Quare si haec aliquid ponderis in Vestra elucubratissima et sapientissima consideratione habere potest, *acclinis piis Hispaniae et universalis Ecclesiae traditionibus exopto,* desiderio desidero, impetro, obsecro, exoro, et iterum atque iterum sup-

plex rogo, ut ad honorem Iesu Christi, ad gloriam Mariae Deiparae, et laetitiam triumphantis et militantis Ecclesiae, et ad satanae et satellitum eius maiorem confusionem *definire velitis infallibili Vestra voce: Mariam Virginem immaculatam fuisse primo glorifico instanti, quo in ventre suae matris Annae fuit concepta, et semper et pro semper immunem, liberam, et praeservatam ab omni peccati originalis labe.* — Conchae, 12 Mart. 1850. *Fr. Firminius.*

---

2. *Pro definitione conditionata.*

976. **Eppus Lucensis.** (Lugo.) Profundissima cum reverentia venerabundus percepi Encyclicam Sanctitatis Tuae de die secunda Februarii a. c. per manus Nuntii Apostolici in his regnis Archiepiscopi Thessalonicensis ad me directam, qua Sanctitas Tua praecipit ac rogat, ut omnes Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et reliqui Praelati totius orbis christiani in omnibus suis Ecclesiis indicant ferventes preces publicas a toto Clero saeculari ac regulari celebrandas, excitando ad eas etiam auctoritates civiles et totum populum fidelem, ut Divinus Spiritus supremum Caput Ecclesiae illuminare dignetur, quo cognoscat, num iam tempus advenerit, quo doctrina: Mariam Sanctissimam meritis Sanctissimi sui Filii praeservatam fuisse a culpa originali, tamquam articulus fidei declaretur, quemadmodum id plurimi Praelati, Universitates ac regna integra mundi christiani desiderant. Quod ad hunc Episcopatum Lucensem pertinet, nullas traxi moras, quominus pia desideria Pastoris universalis Ecclesiae implerem, et quidem tum propter obsequium, quo determinationes illius tam a me, quam a grege meo semper acceptantur, tum etiam propter innatam Hispanis propensionem, amplectendi omne id, quod ut maxime honorificum Matri Dei, Patronaeque nostrae cognoscitur. Quia vero et mea humilis opinio exigitur non solum de doctrina ipsa, verum etiam de convenientia et utilitate declarationis eiusdem, fortasse non

est ex hac parte tam generalis consensus. In Hispania non dantur gradus academici in scholis, nec conferuntur praebendae aut beneficia ecclesiastica, coniuncta cum cura animarum, vel sine illa, nec patet aditus ad iudicia, praelaturas aut officium aliquod specialis cohonestationis, ad dignitates et munera superiora civilia ac militaria, sive etiam regia, quin praecedat iuramentum expressum defendendi mysterium immaculatae Conceptionis Sanctissimae Virginis. Clerus porro saecularis et regularis omnium dominiorum hispanicorum utitur officio et missa propria de Conceptione, adoptatis inde a temporibus Caroli III, cum exclusione romani aut alterius cuiuscunque officii, in quo honores singularissimi Matris Dei, eiusque Puritas originalis minus expresse contineantur. Deinde *ego non existimo*, — (et simili mecum modo iudicant aliqui theologorum nostrorum maxime celebrium), — *esse necessarium aut conveniens procedere nunc ad declarationem, quam nonnulli tenera sua devotione erga Virginem Sanctissimam permoti a Sanctitate Tua exorant;* quia per huiusmodi declarationem minime cresceret devotio ac fiducia illimitata in protectionem Reginae Angelorum, imo declaratio haec restringeret quodammodo meritum spontaneitatis, qua pia illa sententia adoptatur, quin sit dogma fidei; credere utique possumus, obsequium nos praestare Dominae, dum illi titulum Puritatis originalis attribuimus, intelligentes, maiorem esse hunc honorem, quam si illa fuisset solum liberata a culpa iam contracta filiorum Adam: nihilominus in hoc iudicio possumus errare, quemadmodum erraremus credentes, magis fore honori Iesu Christo, eiusque Matri, si nonnisi a mulieribus sanctis originem duceret, et non numerarentur in eius genealogia etiam Thamar, Rahab, Ruth et Bersabee, quatuor mulieres e populo iudaico ipsa culpa inhonesta maculatae. Unde apparet, quam diversum sit iudicium hominum a iudicio Dei, quod cognoscere possumus tantum per revelationem in Sacris Literis et constanti Traditione antiquorum Patrum contentam, prout ea ab universa Ecclesia intellecta est et nunc intelligitur. *Existimo* itaque, Beatissime Pater, *spectatis rationibus obiter indicatis, non esse sufficienter in Scriptura Sacra constantique Traditione expressum, Sanctis*

simam Virginem a massa universali, quae in Adamo peccavit, esse exemtam; neque esse conveniens, licet ego in iudicio, quod protuli, fallerer, piam illam sententiam ut articulum fidei declarare. Si tamen Sanctitas Tua aliter iudicaret ac definiret, ego ut fidelis et obediens Sanctae Ecclesiae romano-catholicae filius mentem et cor meum decisionibus supremi eius Capitis ultro subiiciam. Audeo tamen Sanctitatem Tuam rogare, ut, si pia illa fides velut dogma declarabitur, Sanctitas Tua temperamentum, quod maxime opportunum iudicabit, adoptare dignetur, quo magnus defensor Ecclesiae Sanctus Thomas Aquinas locum distinctum ac honorificum, quem Ecclesia ipsa illi occasionibus maxime solennibus semper tribuit, porro quoque retineat. Interim non cessabo cum Clero et populo Dioecesis huius rogare Deum precibus et orationibus, quas ipsis imposui, ut Sanctitatem Tuam in hoc negotio, de quo agitur, illuminare dignetur, quemadmodum etiam, ut velit Ecclesiae concedere pacem et tranquillitatem, Beatitudini Tuae incolumitatem, Mariae Sanctissimae augmentum verae gloriae, principibus christianis concordiam, propagationem fidei sanctae catholicae sanaeque moralis Evangelii, quibus felicitas, quae in hac vita haberi potest, est alligata. — S. Visita de Deza in Eppatu Lucensi, 10 Sept. 1849. *Fr. Santiago.*

---

977. **Eppus Zamorensis.** — Parochi pro suo munere *unanimiter et perspicue profitentur, tam ipsos quam populum sibi commissum pro immaculata stare Conceptione, et ferventissimum habere desiderium solemnis iudicii, quo Summus Pontifex tandem decernat sicuti dogma catholicum, VMariam absque labe originali fuisse conceptam.* — Superest etiam nunc exhibere, quid de tanti re momenti interrogatus sentiat Eppus, quid porro exoptet. Difficilis valde ultraque vires suas prima exponenti videtur pars. Attamen praecepto etsi praegravi libentissime obediens, exiguitatem potius quam scientiam in se ipso recognoscens, timide dat illud. Equidem si de pia doctrina et devotione erga imm. V. Conceptionem tantummodo ageretur, dubitationi locus esset nullus. — Verumtamen haec

pia sententia privata et quasi communis in Hispania ab altera valde admodum differt, quam ut catholici orbis Eppus ferre quodammodo cogitur. Diversae quippe et ampliores relationes, multiplices simul ac graves inquirendae occurrunt quaestiones: sed feliciter iamdiu reperiuntur dilucidatae praecipue in luminosis scriptis Praelatorum et Theologorum Hispaniae, speciatim doctissimi et pientissimi Eppi Oxomensis, quando Hisp. Reges Philippus III et IV apud Summos Pontifices Paulum V et Gregorium XV missis etiam extraordinariis Legatis vehementer flagitarunt pro definienda controversia de imm. BMV. Conceptione. Horum vestigiis et Theologorum fere omnium, qui post SS. C. Tridentinum prò hac doctrina copiose scripsere, insistens, Ecclesiae Sedisque Ap. ac nuperrime Vestrae Sanctitatis propensionem demisse venerans, praevio maturo examine, petito consilio Capituli huius almae Ecclesiae Cathedr. tamquam de negotio arduo, invocato iterum divino auxilio, *sententia servi Vestri — haec est: ut ab Ap. Sede solemni iudicio decernatur, SS. Deigenitricem imm. V. Mariam absque labe originali fuisse conceptam.* Ad modum quod attinet definiendi, eximia prudentia et sapientia Vestra aestimabit, quod aequius fuerit, idemque super verborum formulis; et id unum supplex exopto, *ut nulla inuratur nota contrarii placiti patronis*, *qui floruerunt ante et post praedictum Conc. Tridentinum.* — Zamorae, VI Id. Iul. 1849. *Michael Ioseph.*

---

978. **Eppus Tarraconensis.** — Totus *Clerus populusque fidelis* meae curae commissus *exoptant, ut Sanctitas Vestra inter fidei dogmata referre dignetur gloriosissimam hanc BMV. praerogativam,* S. Scripturis tam clare fundatam, constanti SS. Patrum traditione roboratam, totius populi christiani visceribus medullisque radicatam, tot prodigiis e coelo confirmatam, naturali etiam rationi conformem, Hispaniae palladium, decus, patronam, salutandique formulam, quamque patres nostri nosque omnes ut inconcussam semper defendimus, in quam denique Apost. Sedem manifeste inclinare

conspicimus. *Haec mea sententia est,* quam multoties in Academiis iuramento firmavi, pro qua etiam defendenda Magnam Regalis Ordinis Caroli III Crucem accepi, quam nihilominus supremo S. Sedis iudicio submitto; haec etiam sententia est fratris nostri *Eppi de Ibira,* qui me rogavit, ut hos sensus suo suique cleri populique Ibirensis nomine ad Sanct. Vestrae pedes deponerem; haec etiam decessorum meorum sententia semper fuit, qui, ut immaculati conceptus festivitas magna solemnitate in hac Metrop. Ecclesia veneraretur, semper pro viribus curarunt. *An vero opportuna sit occasio ad hanc solemnem declarationem procedendi, atque an expediat, ut directa vel indirecta definitio edatur, Sanctitas Vestra, qui in universalis Ecclesiae specula constitutus de toto hoc negotio plenissime instructus iudicare potest, melius cognoscet.* — Tarraconae, Idibus Sept. 1849.

---

979. **Eppus Maioricensis.** — Quamvis vel ab accepta sollicitudinis parte Eppum non lateret, qua Clerus populusque suae dioeceseos devotione erga immac. V. conceptionem sit animatus, nihilominus ut gratius obsequentis animi officium Sanctitati Vestrae persolveret, curavit diligentius Cleri sententiam populique sensa explorare, necnon antiquitatis vestigia inquirere, queis certius posset dignoscere, quaenam fuerit a remotis retro temporibus in insula Balearium maiori erga immac. Conceptum pietas, cultus et observantia. Ac profecto *difficile dictu est, quanta nunc temporis inter omnes hac de re vigeat consensio, ut nemo sit, qui decus adeo eximium B Virgini non deferat, non omni obsequiorum genere praedicet, non etiam pientissimo desiderio flagret, ut quantocius ea ratione definiatur, quam Apost. Sedes, supremus controversiarum iudex ac doctrinae fidei magistra, tutiorem et Ecclesiae universae sensui et traditioni magis consonam iudicaverit.* Tantus enim iampridem omnium animos ardor invasit, ut nullum aliud BV. mysterium altius in cordibus fidelium radices fixerit, nullum quod maiori ac unanimi votorum conspiratione prosequantur, colant, revereantur. Ita quidem testantur Reli-

giosorum domus, sanctimonialium coenobia, pia sodalitia, confraternitates, templaque ac oratoria permulta sub advocatione huiusce mysterii iam inde a longaeva aetate erecta. — Perpetuis huius mysterii laudibus tum templa tum privatae aedes singulis fere momentis resonare audiuntur; passim per vicos repetita cernitur ipsius imago vel depicta coloribus vel elaborato marmore expressa; antiqua devotionis obsequia denuo renascuntur, novaque in dies pietas suggerit, ut non immerito perennis eius cultus dici queat. Optimum siquidem morem, qui apud Hispanos invaluit, a maioribus inductum et omni cura retinendum, sese invicem iis verbis salutandi ‚Ave Maria purissima, sine labe concepta,' ne temporum quidem calamitas apud eos extingvere potuit, qui usu familiari religionis sensa ostendere non verentur; et gratia a s. m. decessore Vestro Gregorio XVI die 16 Febr. 1838 huic dioecesi concessa, ut in Praefatione Missae de BV. Conceptione vocem illam ‚Immaculata' palam enunciare liceret, nedum postulantis Eppi, sed Cleri etiam totiusque populi vota adimplevit. Nec mirum, si memoria recolatur, qui quantusque fuerit pro tuenda Matris Dei ab originali noxa immunitate zelus fervensque pietas antiquorum *Aragoniae* Regum, quorum olim imperii exigua ditio fuere Balearicae insulae, quique indictis legibus piam sententiam acclamarunt, dissentientibus concionandi et disserendi contrario sensu libertate sublata. Illorum autem regum edicta grato libentique animo a Maioricensi populo accepta legimus, quia etiam a clarissimis Antistitibus, Canonicorum Capitulo, religiosis familiis et rectoribus primoribusque civitatis diligentius obsecundata. Nam eodem fere tempore, quo Ioannes I Aragoniae Rex de peragendo quotannis *immac. Conc. festo* die praeceptum iniungebat, festum idem *dioecesano Kalendario,* Praesule Ludovico de Prades, a Capitulo Maioricensi *solemne inscribebatur.* Anno postea 1451 *Magistratus civiles lata lege et poenis indictis cavebant, ne quidquam in publicis concionibus aut privatis colloquiis proferretur, quod piae de immac. conceptu sententiae detrahere posset;* imo quo clariora suae pietatis argumenta ederent, *a. 1629 solemni sese sacramento manciparunt immac. conceptioni ubique profitendae et propugnandae,* eam in univer-

salem primariamque patronam ac protectricem ingenti cum populorum gratulatione nuncupantes. Prisca huiuscemodi Cleri populique Maioricensis sensa haud parum incrementi sumsisse creduntur ex iis, quae pro pia sententia scripsit *Raymundus Lull* e tertio S. Francisci Ordine, qui apud scholam ingenio et apud concives fertur martyrio clarus; sed illud potius referre iuvat ad operam indefessumque laborem B. *Alphonsi Rodriguez* e S. I. quem constat summis viribus et contentione adlaborasse, ut alte omnium animis erga SS. Virginem devotio insereretur, ac praecipuus tribueretur honor purissimae eiusdem ab omni labe conceptioni, cuius cognitionis firmiorem certitudinem a coelo hausisse saepius affirmavit, quamque ab hominibus maiori qua possunt frequentia ac solemnitate celebrari gratissimum Christo et Matri Mariae dictitabat. Pauca haec delibasse sat sit de antiqua, universali, et imis visceribus cunctorum Maioricensium insculpta devotione; unde S. V. probe dignoscet, quid in re tanti momenti Clerus populusquqe credat, veneretur et exoptet; nimirum tota dioecesis maiorum vestigia prosecuta ne dicam praetergressa, absque ullo dissidio in eo sensu superabundat, quo norunt omnes hodierna die universam christianam rempublicam quasi intus agente anima, Spiritu S. nempe sibi promisso, duci et arripi erga BVirginem, ut quaecunque sublimiora sanctiora ab omni vel umbra peccati remotiora de Matre Domini in bonitate sentiat, eamque totam pulchram in primo conceptionis suae instanti velut extasi per instinctum pietatis rapta contempletur, et ab omni humanae corruptionis contagione secretam singulari Dei gratia ex praevisis Filii meritis in liturgiis, litaniis, hymnis etc. et omnimoda ratione, qua cordis affectiones exprimi solent, laetabunda praedicet et testetur. Quamobrem nullatenus dubitat Eppus Maioricensis, quin oves sibi commissae solemne Sedis Ap. de immac. conceptu iudicium libentissime exciperent, et, quantum in Domino expedit, vehementer exoptent. Atque *pientissimis hisce votis, desiderio, sensui toto corde, ut tandem animi sui sententiam prodat, adhaeret etiam Maioricensis Eppus, qui probe novit, quanti in rebus, quae ad fidem pertinere quoquomodo possint, faciendum sit criterium illud, quod haud incongrue instinctus pietatis*

afflante Divino Numine cordibus fidelium inditus nominatur, sensus nempe unanimis pastorum fideliumque, sive universae Ecclesiae Catholicae, tunc praesertim, quum Scriptura S. Sanctique Patres, praecipui traditionis testes, aut omnino silent, aut subobscure loquuntur, aut non ita inter se in re testanda consentiunt, ut eorum sententia certo dignosci queat, neque satis eorum ope constare possit, quid fuerit ab initio cath. Ecclesiae traditum. Nullum profecto in Scripturis testimonium reperitur, quod ita aperta traditio explicuerit, ut dogmatico ferendo iudicio par sit et stabile fundamentum, etiamsi in aliquo sensus quidam ceu germen in semine forsan delitescat. — Patres nonnulli piae sententiae videntur refragari, praesertim *D. Bernardus*, et *Angelicus Doctor*, quorum dicta contra eorum intentionem extorqueri a propugnatoribus immac. conceptus S. Antoninus Florentinorum AEppus asseruit; alii, ut D. Bonaventura, nunc uni nunc oppositae videntur favere sententiae. *Mirum autem est et cogitatu dignum, SS. Patrum effata, queis immac. conceptio in specie saltem impetitur, utplurimum scripta prolatave reperiri, quum tamquam doctores ac theologi Verbi Divini scripti aut traditi luce de doctrina fidei dissererent, contra vero quae pro singulari Virginis privilegio adduci consveverunt, cuncta fere desumi ex concionibus, orationibus, hymnis et laudibus, quum nimirum cordis affectum erga benignissimam Matrem potius quam mentis iudicium, pietatis sensa magis quam animi sententiam proderent.* Quinimo quae sibi invicem quorumdam Patrum verba pugnare deprehenduntur, ea fortassis ratione inter sese conveniunt, ut alia Scripturae et Traditionis, prout eorum oculis obversabatur, obscuritatem testentur, alia sensum intimum explicent, quo duce ab initio nascentis Ecclesiae Patres et Scriptores orthodoxi tot eximiis laudibus et ingentibus praeconiis Virginis Matris integritatem ab omni labe extulerunt, quin tamen aliquoties mysterium Conceptionis explicite enunciarent. Neque enim micare dicenda sunt traditionis vehicula, Patrum nempe dicta, Ecclesiae praxis, sacrae liturgiae, et consensus seu persvasio fidelium de praecellenti adeo privilegio, quum ea oculatissimi Bernardus et Aquinas, clari Virginis praecones, non viderunt. Latebat

equidem in corde et aliquando velut in flammas effusus sese prodebat divinus ille ardor ac sensus intimus, quo ad extollendam et celebrandam Matris Dei dignitatem et excellentiam, qua maior sub Deo nequit intelligi, tota ferebatur Ecclesia; germinabat, fovebatur, crescebat indito pietati calore de immac. conceptu sententia, sacros externi cultus ritus, Academias, et fidelium animos pedetentim invadens; verumtamen haud ita celeri gradu pervasit doctorum ingenia, qui scholastica methodo, ducibus praesertim Aquinate et Sententiarum Magistro, tum biblica, tum antiquorum Patrum de originali noxa testimonia evolvebant, quos inter Card. Caietanus, Melchior Canus, aliique praestantissimi Theologi numerantur, donec indicto parti adversae a Summis Pontificibus silentio et Conceptionis festo sancito, nulla hodie superest regio, civitas, collegium et communitas, quae totis praecordiorum medullis mysterium illud non veneretur. Quamquam ergo aliqui fortasse non desint, qui corde et externa praxi immaculatum conceptum sincere colentes, ut pontificiis decretis obsequantur, interiori tamen mentis iudicio eidem tamquam dogmati revelationis non assentiantur, e quorum numero fuere Petrus de Herrera et Vincentius Ferre, quorum manuscriptae elucubrationes tum fortassis alibi, tum certo Salmanticae extant: nihilominus inpraesentiarum adest absdubio communis fidelium sensus, adest magisterii vivi Pastorum cum illorum votis consensio, adest in Ecclesia universa animorum Mariae privilegium profitentium mira conspiratio, cui uni criterio, ac tutissimo quidem mysterii sub velamine Scripturae et involucris primaevae traditionis obscure delitescentis placuit Spiritui S. clariorem processu temporis revelationem reservare. Eo autem, B. Pater, haec spectant, ut, dum veritati imm. Conceptionis, suum proferens iudicium, ita subscribit Eppus Maioricensis, ut aliter sibi Spiritus S. Catholicam Ecclesiam deseruisse videretur, difficultates etiam passim indicet, quae ex dogmatica definitione oriri possent ob numerum et auctoritatem Doctorum insignium dissentientium, ob invidiam impactam oppositae sententiae, cuius reprobatione haud perpauci offendi possent, et tandem, nisi aliter Supremi Pastoris prudentiae, Sancti Spiritus quasi manu ductae, videatur, quia *cogitanti Eppo non satis causae*

occurrit, quare tutissima via a Conc. Tridentino et decessoribus Vestris sine iactura imo cum maximo pietatis emolumento trita reliquatur, queis nihil decidere visum fuit aut dogmatice definire, quod antea decisum non esset, instantibus tunc temporis Eppis, coetibus religiosis, florentibus Academiis, potentissimis Regibus ac Principibus de Ecclesia bene merentibus. Profecto cultus tanti mysterii adeo per totum orbem invaluit, ut vix longius dogmatica definitione deduci queat, quemadmodum alia etiam Nativitatis et Assumtionis V. Mariae mysteria, quae in antiqua traditione solidissimum fundamentum habent, ubique terrarum celebrantur, quin usquam fideles anxii fuerint et solliciti de definitione eorum dogmatica, haud quidem sacrarum rerum incuria affecti, sed eo, quo feruntur et prosequuntur divinam Matrem, obsequio contenti. Attamen, B. Pater, Sanctitas Vestra in summa Ecclesiae specula collocata, et ad supernam lucem tum Apostolatus officio, tum singulari in Dei Matrem pietate propius accedens, afflante Divino Numine intelliget certoque dignoscet, qua ratione oporteat immac. Conc. sententiam confirmari, aut solemni iudicio plus minusve directe definiri; quod quidem Sanctitatis Vestrae iudicium, qualecunque illud sit, firma nixus spe sibi pollicetur Eppus Maioricensis fore, ut cunctas vincat difficultates, omnia mala declinet, fidelibus exultationem pariet, dormientes et sopitos excitet, pravorum reformationem morum cum sincera in Virginem devotione promoveat, ac tandem ita misericordes oculos amantissimae Matris in filios suos convertat, ut quemadmodum cunctas haereses sola interemit, sic velit turbulentissimas malorum procellas, quibus iactatur Petri navicula, compescere et dissipare, Sanctitatemque Vestram in portum deducere, diuque incolumem ad universalis Ecclesiae bonum servare. — Maioricis, 24 Sept. 1849. *Raphael.*

980—1001.

Responsa Praesulum Portugalliae ad Encyclicam Pii IX de Imm. Conc. BMV. a. 1849—1850.

1. *Pro decisione absoluta.*

980. **Eppus titularis Capoverdensis seu Viridis Capitis.** (Ad Internuntium Ulyssip.) Profundissimo cum respectu percepi heri per manus Exc. V. Literas Encyclicas Suae Sanctitatis, et in nexu earum complexus dicendum habeo, *quod praerogativa Immaculatae,* quae ob tantos tamque singulares titulos ad Matrem Dei pertinet, non obstante eo, quod dogmaticam Ecclesiae sanctionem non habuerit, *semper, inde ab immemoriali tempore credebatur per omnes fideles, et in specie per Portugallos,* et qua talis proposita, imo iuramento firmata in Universitatibus et scholis publicis horum Regnorum, in summo respectu et veneratione habita apud Corporationes religiosas, et ab his sub hoc titulo Immaculatae Conceptionis assumpta fuerit qua advocata suorum Ordinum, qui gloriabantur se vivere sub protectione Mariae; aegre ferendo, quod in Conciliis, ubi ea de re agebatur, titulus hic non sit per Ecclesiam decisione sua sanctionatus. Quod ostendit, quanto cum solatio exciperetur, si S. Sedes iis tribueret, quod tantopere desiderant, persuasi, quod si canonica decoratio per titulum hunc augustum tanto tempore dilata fuit, id Providentia divina e finibus ignotis reservaverit seculo nostro, ut Matrem Dei speciali hoc titulo decoratam videat: novum exhibendo misericordiae suae et benignitatis erga homines argumentum, offerendo iis in Matrem, Reginam, et protectricem Virginem, quae nihil communis habet cum participatione peccati primi hominis per gratiam Filii sui sanctissimi. Pura, sancta in primo instanti suae Conceptionis, exstirpat haereses, dissidentes et sacrilegos confundit, unitque supremo Pastori Ecclesiae, formando hac ratione unum pastorem et unum gregem, ut appareat eotum lux illa, iustitia et pax, quam I. C. in terras adtulit. O, si S. Sedes hunc fecerit passum, quomodo current omnes populi ad osculandam supremi Patris et Pastoris manum, bonum adeo desi-

deratum eis tribuentem! Quomodo orabunt Coelos, ut felices concedat Pontificatui suo dies! Quomodo impressum manebit in cordibus populorum charactere indelebili. En sensus populi huius fidelis; en mei, qui *non haesito sangvinem meum effundere pro defensione huius veritatis! Maria fuit concepta sine peccato originali in primo instanti suae conceptionis, privilegio Filii sui, ei soli concesso.* Ulyssipone, 15 Aprilis 1849. *Fr. Hieronymus.*

---

981. **Eppus electus Capoverdensis Summo Pontifici.** Navicula D. Petri agitata, quamprimum preces ad Deum fundere peroptimum ac necessarium est, sicque implorata Dei protectione pericula devitare, eiusque auxilium obtinere ad inimicum Patris familiae debellandum delendumque. Fidem mei gregis, virtutem pietatemque cognosco: ea de causa cum illo ante altare pronus publice rogationes emittam, ut Paraclitus nobis praesertim affulgeat in re gravi Deiparae V. Mariae sub Conceptionis titulo, ab Ecclesia Dei stabiliendo. Libenter Vobis, B. Pater, refero, iamdudum a Sec. XIV Conceptionem immaculatam V. Mariae in sacello ad id designato coenobii Trinitatis Olisiponensis sub auspiciis D. Elisabeth coniugis Dionysii Regis celebrari. Quamplurimas parochiales Ecclesias sub invocatione Conceptionis Mariae invenimus in hoc regno; maiora Tribunalia et in aliis Oppidis domus, vulgo ‚Cara de Camara' appellata habent imaginem Virginis de conceptione pictam in maximo honore. — Recuperato ab Hispanis Regno statim piissimus Ioannes IV salutatus Rex Portugalliae se totumque regnum in protectione Mariae V. de Conceptione collocavit, votum tributumque Ecclesiae Parochialis Conceptionis sitae in arce Opidii vulgo ‚de Villa Vicosa' emisit, lata lege ad id confirmandum die 25 Mart. 1646, idque S. Patri Urbano VIII notum fecit. Conimbricensis Academia seu Universitas nulli gradus academicos nisi prius praestito Conceptionis V. defendendae iuramento statuit. — Quid tibi, SS. Pater, me interroganti circa Imm. conc. mysterium dicam? *Confiteor, me maximis Pontificibus, SS Patribus, et eximiis Doctoribus adhaerere,*

omnibus non discrepantibus et laudantibus imm. conc. Deiparae Mariae; quod semper venerabile, quod ubique sanctum, quod ab omnibus traditum, temere in dubium revocarem; igitur humillime Vestram opinionem ab alto excelsoque solio proficiscentem amplector, tutum medium inoffenso pede tenere iudico; si non, Vestra Sanctitas mihi erranti rectum iter edoceat, quo ire oportet. — Antistes, Clerus populusque Lusitanus puro corde imm. Conc. veneratur, de quo tuum cor magno gaudio afficietur, nil ultra. — Villa Franca de Oliva, 17 April. 1849. *Patritius.*

---

982. **Vic. Capit. Pacensis.** Statim ac ad me — pervenit ven. Epistola Encyclica, — *ad concionem vocavi Parochos ac Presbyteros istius Civitatis,* ut ex ore ipsorum possem exaudire eorum svasionem et devotionem, eorumque desiderium hac super definitione, quo Beatitudinem tuam huius rei certiorem facerem. Lecta igitur auditaque attente, devota et illa submissione quae debetur tantae rei tantoque Auctori, Epistola, *omnes una voce et imo cordis affectu exclamarunt: se non solum cupere sed efflagitare etiam atque etiam Apost. Sedem, ut tale hoc negotium decernere dignetur in honorem SS. Virginis, solemniter iudicando, Dei Matrem sine labe originalis peccati fuisse conceptam.* Talis enim fuit svasio, dixerunt, Patrum C. Tridentini, ut clare liquet ex dictis ipsorum in Sess. 5 de pecc. orig. Quinimo addiderunt praeterea, se hanc quaestionem in suis animis iamdiu habuisse ut ratam, quamquam revera nondum diremta fuisset ab Ecclesia vel ex Cathedra solemni iudicio, cuius tamen decisionibus ac decretis super hac re obedire parati erant, si quando aliter ab eadem decerneretur, quod non erat sperandum; atque *insuper etiam oves suas non solum in ea persistere sententia, sed pie credere illam iampridem fuisse ab Ecclesia constitutam.* Et haec est, B. Pater, communis opinio totius dioecesis Pacensis, qua Omnipotentis Dei auxilio maxime congratulor, etiam quia illam defendere debeo ex vi iurisiurandi, quo me obstrinxi in Academia Conimbricensi pro Iuris Canonici gradu obtinendo, praeterquam

quod ipsam sponte quidem defendissem, etiamsi minime obstrictus. — Pace Iulia, 28 April. 1849. (Idem Vicarius literis 14 Ian. 1850 petiiit a Sede Apostolica admitti, ut die 7 Dec. festum imm. Conc. praecedente *Vigilia Conceptionis cum Missa propria* celebrari possit.)

---

983. **Vic. Gen. Pinelensis.** Obligationes subditi quamvis indigni, infimi, et peccatoris, sed eo non obstante filii S. Abbatis Claraevallensis; professio interna et externa, quam feci dum regeneratus fuissem salutari aqua Baptismatis sanctae Religionis Iesu Christi Salvatoris nostri; devotio, quam toto corde consecro Matri Sanctissimae, omnibusque Sanctis Aulae coelestis; provocatio demum, qua me Sanctitas Vestra honorare dignata est, imo suave praeceptum mihi impositum, ut sine meritis, sine lumine, sine doctrina, quasi filius egressorum, tamen de praesenti regimini huius Episcopatus admotus, deposcunt: ut ad pedes Sanctitatis Vestrae votum meum et opinionem meam depromam super gravi quaestione: an definiri debeat qua dogma fidei Immaculata Conceptio Virginis Mariae Matris Dei; omnia haec, omnia sunt motiva, o Domine, quae exigunt a me implementum, et ut qua actualis Rector Pineliensis huius Dioecesis satisfaciam obligationi huic piae non minus quam religiosae. Velint Coeli, ut possim loqui, ut convenit pro gloria Dei, et debito respectu Sanctitatis Vestrae. — Doctrina adeo sapienter evoluta per Rev. P. Perrone Emin. Card. Lambruschini, multasque alias habiles pennas nihil sinit desiderari, quominus pro toto orbe catholico definiatur qua dogma fidei Immaculata Conceptio Sanctae Virginis, in quantum eorum argumenta adeo sunt clara et evidentia, ut facillima inductione appareat, praeter piam fidem, harum mysteriosarum idearum conclusio. *Credo* igitur o Domine! *et valde desidero, ut definiatur qua dogma quaestio ista. His ipsis desideriis et piis sensibus est animatus universus Dioeceseos huius Clerus, omnesque fideles* pusillum hunc gregem constituentes, qui omnes sunt obedientissimi subditi S. V. quia eos reperio pia hac fide imbutos, et ardentissima devotione erga Imma-

culatam Conceptionem Virginis Mariae. — Pinel, 14 Nov. 1849. (Idem Vicarius literis Kal. Febr. 1850 petiit indultum S. Sedis, celebrandi die 7 Dec. *Vigiliam Conceptionis BV.)*

---

984. **Eppus Elvensis.** — Populus Elvensis, maiorum suorum aemulator egregius, semper et ubique *immac. Conceptionem Virginis* maxima veneratione prosecutus est, *a veraque religione procul existimat, qui de hac excelsa praerogativa quoquo modo addubitaverit.* Quoad humilitatem meam, *hoc mysterium mihi tam certum ac deliberatum est, ut sine timore aliquo, imo ferventer et ex toto corde eidem adhaerere plena exultatione congaudeam.* Evidens et ineluctabile huius rei *argumentum necessaria consecutione descendit 1. a S. Scriptura,* ubi Gen. 3. legitur illa Omnipotentis Dei contra serpentem comminatio: ‚Inimicitias ponam etc.' Haud dubie est haec (mulier), ut tota retro profitetur antiquitas, BVMaria, quae draconis nequissimi caput contrivit, et secundum Origenem neque persvasione serpentis decepta est, neque eius venenosis afflatibus infecta. Res autem non ita se haberet, si aliquantisper sub peccati iugo BV. premeretur. Per se patet, et mihi plane videtur inconcussum. 2. *De BMV. Maternitate SS.* Haec singularis excellentia re quidem ipsa ad praesentem scopum congruenter accipitur; cum enim ab aeterno secundum sapientissimae Providentiae consilium in generis humani reparationem BVirgo praeelecta esset, ut in sinu suo Verbum Divinum nostram indueret mortalitatem, Omnipotens Deus, qui omnia svaviter ac sapienter disponit, haudquaquam in eius conceptione notam et opprobrium permitteret, quod in ipsum Verbum, caro factum, itidem redundaret. Decebat, inquit S. Anselmus, ut Christi conceptio de Matre purissima fieret: nempe decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius. Denique *ab integro SS. Patrum coetu,* qui revera cum in aliquo dogmate adserendo simul

omnes conspirant, tamquam divinae traditionis depositarii, gravis ac decretoriae sunt auctoritatis et plenam fidem faciunt. Brevitatis causa innumeros opus est silentio praeterire: aliquos tamen memorabo, et inprimis *S. Dionysium Alexandrinum*, qui in Ep. contra Paulum Samos. ait: ‚Erat enim cum Apostolis in die Pentecostes etiam Domus illa Dei magna, manifestus mons Dei, Deipara Maria, et qui novissimis diebus propter nos venit, non in fulgore ignis, sed conceptus in ventre Virginis Mariae, superveniente Spiritu S. in eam, Matrem incorruptam, a pedibus usque ad caput benedictam servavit, sicut ipse solus novit modum conceptus et ortus sui. Qui enim e coelo descendit Unigenitus Deus, Verbum, gestatum est in utero, et genitum ex paradiso virginali habente omnia.‘ Pergit ipse: ‚Neque alius in tabernaculum eius verum introivit, nec exivit, nisi solus Dominus; et signata est porta tabernaculi integra et incorrupta et immaculata: manu enim Dei clausa est, et digito eius signata est. Neque Summus noster Sacerdos manu hominis est ordinatus, neque tabernaculum eius ab hominibus fabricatum, sed Spiritu S. firmatum est, et virtute Altissimi protegitur illud semper laudatissimum Dei tabernaculum, Maria Deipara et Virgo.‘ Consonat *S. Hippolytus M.* orat. in illud ‚Dominus pascit me,‘ ubi in hunc modum eandem doctrinam profitetur: ‚Porro autem arca ex lignis, quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator. Per hanc enim putredinis et corruptionis expers eius tabernaculum significabatur, quod nullum peccatum genuit. Dominus autem peccati expers erat, et ex lignis petrefactioni non obnoxiis secundum hominem, h. e. ex Virgine et Spiritu S. intus, et foris tamquam purissimo Verbo Dei auro contectus.‘ Idem plane et aperte prosequuntur *Origenes*: ‚Non indiget Christus Patre super terram, incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis. Non indiget Matre in coelis, immaculatam enim et castam habet Matrem in terra.‘ — *S. Ambrosius*, cuius oraculo BVirgo agnoscitur et collaudatur ut virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit; — ac tandem *S. Bernardus,* qui signate ait: talem Deus voluit esse Virginem, de qua immaculata Immaculatus procederet. — Prae tanta evidentia in *Ephesina* Synodo, multisque aliis,

quae summa pietate et observantia venerantur, concorditer et magno plausu recognoverunt Patres immac. BV. conceptionem, et in *Tridentina,* etsi de hoc mysterio sermonem ex composito non haberent, declaraverunt tamen non esse suae intentionis comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Deigenitricem. *Pontifices Maximi,* religione quidem ferventi omnique doctrina valde eruditi, idem ipsum datis literis comprobarunt, et graves poenas contra refractarios inflixere, quas Tridentinum quoque approbavit. *Regulares* et *Universitates,* ac praesertim *Conimbricensis,* ab omni memoria usque in hunc diem eandem veritatem defendere ac tueri etiam cum iuramento promisere. Hic denique ac toto orbe catholico sub titulo imm. Conc. templa consecrantur, monasteria constituuntur, et quotannis a fidelibus omnibus hoc mysterium ss. festiva solemnitate celebratur. Potuissent autem Pontifices et Concilia, haec omnia auctoritate sua firmando, a vera iustitia declinare, ac falsis praeiudiciis et errore teneri? Absit tam nequiter opinari, Ecclesia Dei, inquit S. Augustinus, quae sunt contra fidem, vel bonam vitam, nec facit, nec approbat, nec tacet.' *Satis ergo evolutum arbitror mysterium de immac. V. conceptu, ideoque suffragium pro sua solemni definitione non dubitanter vulgare praefestino.* — Olisipone, 29 Maii 1849. *Fr. Angelus.*

---

985. **Eppus Angrensis.** — Huiusmodi argumentum (de obiecto Encycl. Febr. loquitur) ita a plurimis viris pietate doctrinaque praestantibus illustratum ac disceptatum est, ut Apost. Sedem eiusdem definitionem nondum statuisse mirandum sit. At Ecclesia Sancta a Divino Spiritu semper directa ac opitulata, quamvis hanc sententiam fidemque, BVMariae Deigenitrici admodum decoram gloriosamque, ab initio amplecteretur, ac inter cunctos Christifideles summopere modisque omnibus fovere curaret, numquam tamen, dum aliquot mysterii huius adversarii extiterunt, ad praefatam declarationem de fide pervenire opportunum duxit. Nunc vero, cum plurimo-

rum Antistitum, Canonicalium Collegiorum, necnon Religiosarum Sodalitatum frequentes ac iteratae postulationes in eandem sententiam conveniant, praesertimque *inclytus Praedicatorum Ordo veteri dissidentia aspernata idipsum sentiat*, peroptet, ac efflagitet: nihil, ut arbitror, praedictae definitioni obsistere potest, dum omnium voluntates, desideria, sententiae et vota hac in re mirabiliter consentiant. Et profecto, quod meam dioecesim attinet, veraciter gaudenterque asserere possum, — *nullum omnino esse, qui piissimam hanc sententiam et fidem perstudiose non teneat, ipsamque a S. Ap. Sede ut inconcussum dogma ac firmissimam Ecclesiae doctrinam statutam pleno corde libentioreque animo non exoptet.* Deinde, ut meam sententiam, votum, desideriumque humillime patefaciam, *non haesitantibus verbis profiteri libet, quod plura S. Scripturae loca, venerandae traditionis monumenta, necnon SS. Patrum testimonia, Conciliorumqae suffragia hanc veritatem ac fidem mihi indubiam certissimamque reddunt.* Et insuper, cum in Seraphico Ordine solemnia vota nuncupassem, iureiurando BVMariam absque labe originalis peccati fuisse conceptam defendere promisi, etiamsi totum sangvinem vertere vitamque profundere opus esset. Quid plura? *nihil mihi acceptius, nihil iucundius, quam immaculatae Virgini Deigenitrici huiusmodi debitum honorem ab Apost. Sede quantocitius sancitum videre.* Exinde enim BVirgo potentissimo suo apud Deum patrocinio, summaque benevolentia ac miseratione sua impulsa, Ecclesiae Sanctae, Beatitudini tuae, ceteris Antistitibus, cunctisque fidelibus permulta auxilia, dona, muneraque coelestia et opportuna, ut mihi spes maxima subest, obtinere dignabitur, quibus nos procellosis turbulentissimisque hisce temporibus plurimum indigere nemo non sentit. — Ponta Delgada, 23 Iul. 1849.

---

986. **Eppus Algarbiensis.** — Humilem responsionem meam in duas dividam partes: in prima de sensu, devotione ac desiderio fidelium huius dioecesis circa mysterium imm. Conc. eiusque definitionem; in secunda super eodem argu-

mento meam sententiam proferam. I. *Huius dioecesis fideles tam ecclesiastici quam seculares mysterio imm. conc. Deiparae V. haereditaria tamquam devotione a maioribus accepta addictissimi sunt.* In eorum mentibus et cordibus a longissimis temporibus quasi dogma ab Ecclesia definitum, scriptum vel fixum manet hoc mysterium. Nulla dubitatio, nulla sententiarum dissensio, nulla sensuum vel affectuum oppositio; sincera ac pia credulitas, et cultus devotissimus erga S. Virginem Immaculatam deliciae sunt omnibus. Volvuntur anni, mutantur tempora et omnia: non tamen immutatur hic honor BVirgini tributus; de quo praeclarum praebent testimonium innumerae ecclesiae, seu templa, innumera etiam sacella, monasteria, sodalitia erecta, dicata, et instituta in honorem immac. conceptionis; ac sincera devotio et gaudium, quo fideles continenter eiusdem solemnitatem mysterii colunt ac venerantur. A maioribus sane tradita haec pia devotio. *Perantiquus est* enim *in hoc regno et dioecesi cultus purissimi mysterii*: illius origo in tenebris remotiorum aetatum ita absconditur, ut cuivis humanae diligentiae eam detegere impossibile sit. Nam Arabum invasione eorumque funestissima occupatione notitiae omnes, vel rerum antiquarum vestigia sive ad Ecclesiam sive ad Statum pertinentia deperdita sunt. Notum est autem, *Reginam Elisabeth,* decus et delicias Lusitanorum, circa a. 1320 sacellum sub titulo imm. Conc. in coenobio Trinitariorum Ulyssiponensium aedificari suis sumtibus fecisse, celebrationemque eiusdem festi magna pietate promovisse. Illud vero festum iamdudum in eo regno erat introductum: B. Elisabeth Regina id commendavit ac promovit, sed non noviter introduxit. *Perantiquum est etiam desiderium Lusitanorum circa definitionem huius mysterii,* quod variis temporibus et occasionibus fuit manifestatum, et praesertim in *solemnibus regni Comitiis Ulyssipone habitis a. 1646. Ibi Magna Mater immac. Conceptionis praerogativa totius Regni Praeses et Patrona tunc fuit designata. Tres Regni Status ad defendendam immac. Conc. usque ad ultimum vitae discrimen iureiurando sese obstrinxerunt,* addentes ea verba: ‚Quicunque huic solemni voto ac iuriiurando obviam ire audacter tentaverit, si civis, alienigenum faciemus, ac nulla mora interposita

a finibus nostri imperii volumus amandari; si rex ipse fuerit, irae Omnipotentis Dei ac nostrae subiaceat imprecationi et nostrorum seriem interrumpat.' Quare purissimi mysterii definitionem, iam a seculis vehementer desideratam, cum Beatitudini tuae ac Sedi Ap. persolvere placuerit, maxima exultatione ac veneratione ab omnibus accipiendam fore fidelibus nullatenus dubitare licet. II. *B Virginem in passiva quam vocant conceptione sua ab originali peccato privilegio specialissimo fuisse praeservatam, eamque veritatem esse proxime definibilem mea est sententia.* Ut aliqua veritas ad Christianam Religionem pertinens dogmaticae esse queat definitionis obiectum, minime necessarium est, ut ea expressis verbis in Verbo Dei revelato contineatur; sed plane sufficit, si in ipso implicite saltem habeatur; quod duplici modo fit. Nam aut aliquid ex veritatibus expresse revelatis vi necessarii nexus deducitur, vel in Verbo Dei implexius ac subobscurius indicatur, quod clariore dein conceptuum explicatione evolvi potest, ac veluti delitescens in apertam lucem proferri. Non desunt *S. Scripturae textus, e quibus imm. Conc. sententia necessario nexu deducitur, in plurimis aliis ea implexe vel subobscure continetur.* Traditio ab Ecclesiae incunabulis, Doctores, sensus Ecclesiae et Sedis Apostolicae, consensus omnium fidelium, ac synodales decisiones pro ea pugnant: *cum nec Traditio, nec aliquis antiquorum Patrum, nec ullus Bibliorum textus proferri possit, quibus ipsa veritas expresse impugnetur.* In eorum omnium testimoniis meae sententiae fundamenta exquiram. — *Praecipuum divinum oraculum, a quo ea pia veritas expresse vel clarissime deducitur, est Gen. 3, 14. 15: Inimicitias* etc. Inimititiae illae a Deo stabilitae inter mulierem et serpentem, ac inter benedictum fructum illius et perniciosum fructum huius clarissimum praebent argumentum praeservationis BV. Actio illa, qua benedicta mulier caput serpentis seu peccatum contrivit, quid aliud significat, quid aliud svadet, nisi victoriam, qua de perversa serpentis sagacitate BVirgo triumphavit? Non esset enim adeo insignis ac memorabilis victoria, nec adeo absoluta inimicitia, quam inter tentatorem et mulierem victricem asserit divinum eloquium, si BVirgo aliquando peccato fuisset obnoxia, eo videlicet temporis puncto, quo

primum fuit concepta per infusionem animae in corpus. Solum hoc divinum oraculum rem totam conficere potens est, si advertatur, illa verba, quae denotant BVirginem immunem fuisse a morsu serpentis, ipsiusque caput sive originale peccatum contrivisse, prius dicta fuisse a Deo, quam sententia ferretur in virum et mulierem, ut intelligamus, BVirginem a communi maledictione fuisse praeventam (fors: praeservatam). Unde etiam clarum manet, nec debito contrahendi peccatum originale unquam subiacuisse, cum non fuerit comprehensa in pacto, ex cuius occasione incurritur illud peccatum. Per mulierem intelligi BVirginem minime dubitandum; in feminino enim *ipsa* legerunt Divi Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, ac plerique omnes catholici: unde apparet, ita olim in 70 lectum fuisse; et licet nunc in recentioribus editionibus 70 interpretum habeatur masculinum *ipse*, scilicet filius mulieris, tamen res in idem recidit; quia tunc in Christum Dominum caput serpentis conterentem primario referenda est victoria, secundario autem purissimae eius Genitrici, per quam ipsum benedictum Filium misericorditer habuimus. Ceterum analogia et sensus verborum divini textus magis mulieri quam semini favere videtur, aut saltem utrique simul, ita ut mulier cum semine suo sit de daemone vel peccato latura triumphum. 2. *Privilegium praeservationis BV. ab illis verbis Cant. IV*: *Tota pulchra es* etc. *expresse ac triumphanter deducitur*. Ea enim verba literali etiam in sensu intelligi de BV. non tantum de Ecclesia, receptissimum est apud Patres et Doctores. Ipsa Ecclesia ea divina proloquia in sua liturgia BVirgini tribuere et consecrare non dubitat. Cum vero ibi dicatur, eam non modo totam pulchram esse, sed etiam in illa non esse maculam, plane deducitur, labem originalis peccati in illius anima locum numquam habuisse. Tota dicitur pulchra, quia BV. pulchra est non in parte sed in toto, et macula peccati sive mortalis sive venialis sive originalis non est in ea, nec unquam fuit, nec est nec erit. 3. Memorabilia sunt etiam verba Eccl. 24: Ab initio et ante secula etc. quae iuxta communem intelligentiam et Ecclesiae applicationem de BV. dicta sunt. Et ne dubitetur de ea agi, sequentia verba audiantur: Tunc praecepit et dixit mihi Creator etc. quae proculdu-

bio de Virgine sunt intelligenda. Nec obstare potest, quod verba illa de Sapientia Dei eiusque Filio praecipue intelligantur: nam Scriptura multiplices admittit sensus, et omnis Scriptura de BVirgine intelligi potest; ait enim *D. Bernardus:* ‚Et ut breviter concludam, de hac et ob hanc, et propter hanc, nempe Mariam, omnis facta Scriptura est, propter hanc totus mundus factus est.‘ In eadem intelligentia consonant Patres *Damascenus, Damianus, Nicolaus Richardus,* quamplurimique alii tam antiqui quam recentes. *Novum* etiam *Testamentum* solida nobis ad fulciendam piam sententiam suppeditat argumenta. I. Luc. 1. salutatur BV. ab Angelo *gratia plena.* Habemus in hoc divino eloquio non aenigma, non figuram, non metaphoram, non allegoriam, sed literam sane expressam. Si enim gratia plena absolute, sine exceptione vel limite dicitur in Evangelio, nulla dubitandi ratio superest, quin plenitudine gratiae BVirgini concessa, praeservationem etiam ab originali peccato includi confiteamur: quoniam si ipsi S. Virgini originalis deficeret innocentia, plena gratia perfecte dici non poterat. Dicitur autem plena gratia, quia numquam fuit vacua, plena iam tunc quando ab Angelo salutata, plena quia originale peccatum minime noverat; si enim agnovisset, semper retinuisset maculam contractam; plena, ut summum dicat plenitudinis per positivum explicatum, sicut in Ioannis Evangelio Verbum dicitur plenum gratiae et veritatis. Quidquid igitur sive gratiae sive privilegiorum statum BVirginis decet, totum ei concessum fuisse negare non licebit. Si enim humani favores iuxta utriusque iuris regulas quantum verborum proprietas patietur ampliandi sunt: quanto magis Dei liberalissimi erga BVirginem gratiae et favores extendendi sunt? decebat autem quam maxime statum BVirginis, ut statim ab omni peccato immunis fuerit, ne dicamus Dei Matrem aliquando fuisse diabolo subiectam et Dei inimicam. II. Hoc beneficium praeservationis a macula tam magnum fuit, ut non immerito potuerit BVirgo, ubi se Matrem Dei nuncupari audivit ab Elisabeth, illud Canticum concinere: Magnificat etc. quia tunc Christum experta est esse salutare suum, et Salvatorem modo excellentissimo. ‚Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.‘ Huius prophetiae veri-

tas ex eventu dilucida manifestaque est: ab omnibus seculis celebranda, praedicanda, et invocanda erit sanctitas, virginitas, humilitas, maternitas, atque immac. conceptio BV. ‚Quia fecit mihi magna etc.' Quae mirabilia haec, quae BVirgo adeo extollit, et omnipotentiae et sanctitati Dei tantum tribuit? Incarnatio Verbi in utero Virginis opus fuit omnipotentiae Dei: praeparare Virginem et ab omni labe peccati etiam originalis praeservare opus fuit sanctitatis Dei. III. Potentissimum etiam plurimis videtur illud D. Pauli testimonium Rom. 1, 15: ‚Sed non sicut delictum ita et donum, si enim per unum delictum multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.' Quoniam 1. cum Apostolus asserit multos, non omnes, mortuos esse, aliquem fuisse praeservatum a generali lege intelligi vult; et 2. si gratia Dei superabundavit in eius extensione, opus est, ut aliquis sit ex humana natura, qui a gratia sanctificatus, et ab Adami peccato immunis sit. Quem autem nisi Deiparam Virginem hoc specialissimo favore ac privilegio functam esse asserere possumus? Permulti alii SS. Scripturarum textus, quos referre longissimum foret ad probandam BV. immunitatem, mirabiliter conspirant: ex praedictis autem pii veritas mysterii facillime deducitur; nec aliis indigemus, cum a Traditione veritas plenissime edocta, sancita declarataque fuerit. Ut veritati divinis eloquiis contentae omnem vim et lucem adimere possint, adducere consveverant adversae opinionis fautores aliquas generales regulas, quibus universaliter asseritur, omnes in Adamo peccasse, et a Christo omnes fuisse redemtos: ut sunt verba Pauli Rom. 3, 23. 5, 12. — 1 Cor. 15, 22. — 2 Cor. 12. — Verum iis omnibus una adaptanda est dilutio, eas videlicet sententias secundum communem legem esse intelligendas, et illis duntaxat accomodandas, qui nullo peculiari privilegio dotati eundem communemque omnibus sortiti sunt exortum. At vero ab hac subiectionis ad peccatum lege Christus Dominus a natura, et BVirgo speciali gratia exemta est, quae nisi exemta fuisset, illi utique subiacuisset. Perperam igitur hae Scripturae trahuntur et applicantur ad S. Virginem, quae divinae gratiae praerogativa ab illa hominum universitate exclusa est. Quod ne arbi-

trarium censeatur, aut gratis assertum, conspiciantur illa gratiarum dona praeter communem legem illi indulta; cum sine parentum carnali commercio non possit progigni soboles. Ipsa autem Spiritu S. foecunda concepit prolem, contra naturae leges nec in conceptu nec in partu amisit virginitatem, nec tristitiam nec dolorem habuit quando suum peperit Filium, tandem omnes homines anima a corpore soluta in pulverem rediguntur, SS. autem Virginis corpus cum anima assumtum est in gloria, ut absque haesitatione adstruendum est. Si igitur in his, quae in vita eius et felici obitu gesta sunt, eam vidimus communi legi subiectam non esse, quare id non fatebimur in primo vitae exortu fuisse factitatum? quare ex multis id unum consimile non colligemus? At etiam addi potest, non sic Scripturae textus involvere omnes homines in peccato originali, ut non etiam aliquando dent occasionem suspicandi, aliquem exemtum esse. Propositiones igitur praefatae nullatenus impediunt, quominus ab earum generali dispositione eximatur S. Virgo: aliter diceremus SS. Tridentinam Synodum omnino errasse, quatenus asserit, in decreto peccati originalis suae intentionis non esse comprehendere BVirginem. Quid plura? Generales dispositiones ad non verosimilia, i. e. ad ea, quae specialiter quis non comprehenderit, non extendi in iure pro axiomate habetur; ideo commodam admittunt applicationem, nempe exceptionem vel dispensationem vel ex iure vel ex privilegio; ut e. g. in illa generali propositione Divi Iacobi c. 3, 2: in multis offendimus omnes; et 1 Cor. 15, 51: Omnes resurgemus in novissima tuba, etc. In hoc sensu scripsere *Theophilactus, Augustinus, Thomas, Fulgentius, Suarez,* et alii quamplurimi memorantes illud eloquium Esth. 15, 13: Non pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est. Communis est igitur firmissimaque sententia, BVirginem exceptam ac privilegiatam esse a praefatis generalibus propositionibus. Oportet nunc, ut videamus, quae in hac materia fuerit *SS. Patrum* sententia, unde S. Traditionem accepimus, et quorum auctoritas in rebus fidei ac disciplinae semper invocanda est et consulenda. Certum est nempe primis duobus seculis de hoc argumento Patres expresse non esse locutos. Ab eorum autem silentio contra nostram doctri-

nam concludi nihil potest. Eam tamen plane generatim esse professam et acceptam ipsum indicat silentium et eorum verborum interpretatio. In his enim seculis BVirgo ab omnibus colebatur tamquam Mater Dei, copiaque gratiarum plena, nulli alii creaturae concessa. Nulla controversia, nulla disputatio circa eius immunitatem exorta est tunc: si enim appareret, et a Patribus propugnata esset BVirginis praerogativa, et eorum scripta haberemus. (Sensus huius constructionis est dubius, videturque in originali aliquid deesse.) Causa silentii nulla alia fuit, nisi communis ac firma sententia de BV. immunitate. Fundatur hoc argumentum in *epistola presbyterorum et diaconorum Achaiae circa martyrium Andreae* Apostoli, quae ipsius Apostoli sequentia refert verba: ‚Et propterea quod ex immaculata terra creatus fuerat primus homo, necesse erat, ut ex immaculata Virgine nasceretur perfectus homo.' Quibus BVirginem immaculatam esse ab eius origine perfectissime manifestatur. Circa huius documenti sinceritatem et veritatem nulla hodie dubitatio admittitur. At illud solum sufficeret ad probandum, immunitatem BV. temporibus apostolicis generatim esse professam. Nobis autem non deficiunt testimonia ad eandem veritatem sustinendam, reiectis etiam omnibus, circa quorum genuinitatem suspicio quaevis maneat. Etsi in secundo seculo *Iustinus M. Irenaeus* ac *Tertullianus* de mysterio expresse non sunt locuti, tamen sensus, verba et doctrinam communiter adstruunt, quibus eos ad praefatum mysterium addictos fuisse facile deducitur. Praeclarissimum autem testimonium eiusdem mysterii dederunt in seculo tertio *Divi Cyprianus* in dialogo cum Tryphone, *Gregorius Thaumaturgus* in lib. adversus haereses, *Dionysius Alexandrinus* in lib. de Carne Christi, *Methodius*, *Hippolytus*, sicut etiam *Origenes*, qui in hom. in cap. 1. Matth. expresse ait: BVirginem serpentis venenosi afflatibus infectam non esse. Praeterea in liturgia Graecae Ecclesiae istius vel praecedentis seculi BVirgo omni ex parte inculpata appellatur: quae verba et alia similia vel aequipollentia variis in illius partibus inveniuntur. In quarto seculo sententiam pro immunitate BV. prodiderunt *Amphilochius* Iconii Eppus, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Epiphanius*, et *Ephremus Syrus*, a quo

BVirgo appellatur immaculata, intemerata, incorrupta, et prorsus pudica, atque ab omni sorde et labe peccati alienissima, Dei Sponsa, et Domina nostra; et tandem *Augustinus.* In seculo quinto expresse ac resolute de mysterio loquuntur *Cyrillus Alexandrinus, Maximus Taurinus, Proclus CPnus, Petrus Chrysologus, Faustus Regiensis,* et *Sabbas* Abbas. In seculo sexto eandem veritatem tenuerunt et praedicarunt *Fulgentius, Hesychius* et alii. In seculo septimo et sequentibus *Ildephonsus, Andreas Hierosolymitanus, Ioannes Damascenus, Paschasius, Ioseph Hymnographus, Ioannes Geometra,* ac *Petrus Damianus* eandem doctrinam professi sunt. In XI Seculo *D. Anselmus,* suae aetatis oraculum, non solum piam sententiam edocuit ac sustinuit in Serm. de Ass. sed in Comm. ad c. 12 Cor. ita scripsit: Omnes mortui sunt in peccatis sive originalibus sive voluntate additis, nemine prorsus excepto, demta Matre Dei. Tandem in Sec. XII et XIII *Richardus a S. Victore, Petrus Blesensis,* ac *D. Bonaventura* eandem piam doctrinam illustrarunt et edocuerunt. Ultimi S. Doctoris verba expressiora esse non poterant, sic enim loquitur serm. 2. de BVirgine: ‚Domina nostra fuit plena gratia in sua sanctificatione, gratia scilicet praeservativa contra foeditatem originalis culpae.' Ipsam piam doctrinam alii quamplurimi praedicarunt, communis enim erat, nec de ea aliqua extiterat disputatio.

Doctores, qui SS. Patres sunt secuti, et piam doctrinam ab iis acceperunt, defensionem eiusdem mysterii fortiter amplexi sunt. Inter alios, quoniam omnes referre infinitum foret, praecipuum occupant locum *D. Dominicus* lib. adv. Albig. haer. de quo conspicui loquuntur Scriptores: *Vincentius Ferrerius, Albertus Magnus, Ioannes Viterbiensis, Taulerus* serm. de Purif. ubi expresse ait: ‚BVirgo culpae originalis perpetuo expers fuit, a qua illam praeservavit Filius eius, ita ut ne momento quidem temporis filia irae fuerit.' Piam sententiam sequuti sunt et tenuerunt *Ludovicus Beltramus, Lanuza, Catalanus, Casali, Iacob de Voragine, Melchior Canus, Natalis Alexander, Vincentius Iustinianus,* Dominicani Ordinis; qui in vita B. Lud. Beltrami suos admonet confratres, ut opinionem immaculatae conceptioni contrariam statim et omnino

deserant. Tandem *D. Bernardinus Senensis, Brunus, Laurentius Iustiniani, Thomas a Villa Nova*, et *Alphonsus de Liguori* eandem piam doctrinam publice professi sunt, et omnis Franciscalium Ordo eam summo ardore constanter propugnavit. Magna sane mirabilisque est series Doctorum et Scriptorum, qui sententiam piam a patribus acceptam in cathedra et in scriptis edocuerunt, illustrarunt, et propugnarunt. Quoad *Theologos* autem certum notumque est, *a Seculo XIII, quo controversia de imm. Conc. initium habuit, usque ad Sec. XV multos invictissimosque defensores ad tuendam piam sententiam sese dedicasse; inter quos digni sunt memoria celebris Scotus, Petrus Aureolus, Franciscus de Mayronis, Ioannes Bastoli, Guilelmus de Rubione, Petrus de Aquila, Franciscus Martini, Petrus Ally, Ioannes Gersonius, Alphonsus Tostatus, Nicolaus de Cusa, Guilelmus Verilongus, Orbellus, Rickel, Cartuzius, Valenza, Biel, Temesvár, Spiera, Trithemius, Marsilius, Comitulus, Vasquez, Salmeronius et alii quamplurimi, quos etiam enumerare impossibile esset; dum pro contraria sententia et pauci, et, rara exceptione admissa, obscuri nominis sunt.* A Sec. XV autem ad nostram aetatem omnes insignes theologi piae sententiae defensionem amplexi sunt. *Regulares Ordines* magna pietate ac fervore eam propugnant. Notandum vero est, quod ex *Societate Iesu,* in qua tot tantique theologi floruerunt, nec unus quidem extiterit, qui immac. Conc. viriliter non defendat. Inter eos speciali digni sunt memoria eximius Suarez, insignis Petavius, et doctissimus Cornelius a Lapide; tandem Em. Theologus et Cardinalis Bellarminus, celebris Barradas, illustris Corius, ac Em. Card. de Gerdil piam doctrinam professi sunt, magnopereque illustrarunt. Labores, opera, ac lucubrationes SS. Patrum, Doctorum, et illustrium Theologorum deperdi non poterant. Tenebrae sunt dissipatae, difficultates solutae ac veritas nota et plane manifestata. *Universitates et Academiae* omnes catholici orbis, per viam a theologis apertam ac tritam ingressae, certatim piam sententiam amplexae sunt et in cathedra docuerunt. *Pontifices Maximi* a Sixto IV usque ad Gregorium XVI piam sententiam maxima cum pietate ac mira devotione foverunt. *Eppi, Reges, et populi* uno mirabilique consensu et

neglectis conatibus adversariorum vehementi devotione ac fervore doctrinam piam acceperunt, contrariam vero et in contemtu habuerunt, et non sine horrore reiecerunt. *Unanimis* autem *sententia tantorum Patrum, Pontificum, Praelatorum et virorum ad Ecclesiam docentem pertinentium, ac fere plenus Ecclesiae Cath. consensus, adhibitis etiam sanioris Critices regulis, potens erat, etsi sacri textus deficerent, ad canonisandam piam doctrinam.* Sic enim ait Augustinus ep. 143: ‚Neque enim ut videamus, quam hoc verum sit, Scripturarum auctoritas necessaria est: an non sensus ipse communis ita verum esse perspicua ratione proclamat, ut quisquis contradixerit, dementissimus habeatur?‘ Et alibi: ‚Ecclesia fere tota consentit, quod ea non inaniter credidisse credendum est, utcunque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expresse non proferatur auctoritas.‘ Sensum vero communem fidelium Conceptionem Deiparae V. immaculatam praeclare declarasse praxis in Ecclesia ab immemoriali tempore introducta colendi, venerandi, ac invocandi BVirginem sub eo titulo gloriosissimo, satis demonstrat, scandalum vero, quod pii ac devoti catholici et etiam populi integri passi sunt ab iis, qui contrariam doctrinam praedicare ausi sunt, plenissime testatur. Si igitur iuxta D. Augustini doctrinam pro vero habendum est, quod a communi fidelium sensu tamquam verum asseritur et iudicatur, sententiae Imm. Conc. ea non deest conditio. Quod cum ita sit, piam sententiam sine temeritatis vel dementiae nota posset aliquis impugnare? Credibile erit permisisse Deum, omnem Ecclesiam toto orbe dispersam in re maximi momenti a veritate abesse? *Hic sensus communis fidelium Dei opus est!*. Coelestibus inspirationibus moti fideles ubique crediderunt, ac veritatem imm. Conc. professi sunt, et veluti Dei manu ducti vias ad definitionem huius veritatis aperuerunt. — Adversus hanc praeclaram testimoniorum seriem pium mysterium adstruentium obiiciunt contrariae opinionis fautores: suam sententiam probatissimorum auctorum assertionibus et auctoritate defendi, et in illorum turba *Augustinum, Bernardum*, et *Thomam* numerare non dubitant. Ad quod inprimis respondere iuvat, omnem illum auctorum numerum, BVirginem in conceptu maculam contra-

xisse asseverantium, etsi etiam decuplo esset maior, exignum quidem esse et parum auctoritatis habere ad S. Scripturam, quae manifeste asserit, S. Virginem ab omni penitus peccati macula fuisse alienam. Cum enim purissimi Domini nostri carnem ab omni eximat contagione criminis, quis nisi coecutiens non videt, et B. Virginis carnem, de qua sumtum est ss. Domini corpus, etiam a Scriptura adstrui nullius unquam peccati ream? Nam si radix sancta, teste B. Paulo, et rami sancti: quare converso ordine si ramus sanctus est, et radicem, a qua enascitur, sanctam quoque esse necessarium est. Nullus autem ignorat, omnem humanam assertionem Scripturae S. veritati cedere debere, quae solidissima est et solvi non potest, nec a sua firmitate decidere. Cum igitur S. Scripturae eam tueantur partem, quam adstruimus, totam scilicet pulchram esse BVirginem et maculam in ea non esse, hoc solo argumento totus adversariorum exercitus elidetur, quandoquidem contra divina eloquia frustra arment lingvam humana ingenia. Ceterum ipsorum auctorum suae opinioni adstipulantium nomini vel auctoritati derogatum minime velim. Eorum enim in tempore non usque adeo dilucide explicata fuit praeposita veritas, neque ita ad ungvem enucleata, ut hac nostra tempestate. Quocirca facilis eis debetur venia, si a recto calle exorbitarunt. Minus recte autem suorum auctorum numero hos Doctores adscribunt. Nam D. Augustinum pro immunitate BV. firmiter stetisse omnibus notum est; nec dubitationi locus est, perpensis illis, quae in lib. de nat. et gr. c. 46 scripta reperiuntur: ‚Excipio BVirginem, de qua nullam prorsus haberi quaestionem volo, quoties de peccato agitur.‘ Et si pugnans contra Iulianum docuit solum Christum esse essentialiter immaculatum et sine peccato fuisse, quia ei erat ingenita essentialis puritas, hoc dogma quod profitemur, nullum opinioni contrariae adiicit fundamentum. Nam cum asserimus BVirginem ex privilegio in sua conceptione immunem fuisse, consequenter fatemur, eam, quantum esset ex vi naturae, peccato obnoxiam esse dicendam: nisi alias speciali gratiae adiumento a Divina Omnipotentia muniretur. Hanc obnoxietatem naturae negabant Pelagius et Iulianus, et contra eorum errorem dimicabat Augustinus: ideo nullatenus curans de speciali privi-

legio, generaliter asserebat, omnes homines praeter Christum spectata lege communi naturae ab Adamo peccante originale contrahere peccatum. Inde tamen exprobranda non venit aliqua specialissima exceptio, de qua prudentissimum silentium ab Augustino tunc observatum est, ne haeretici exinde aliquod patrocinium haeresi suae quaerere potuissent. Sanctum autem Doctorem non ad minuenda sed ad extendenda omnia privilegia BV. expressum resolutumque fuisse mirifice ea illius notabilissima verba demonstrant: ‚Mensura privilegiorum Mariae est Omnipotentia Dei.' Item: ‚Quia conveniens erat, ut lege peccati nostri Mater Dei non teneretur obnoxia,' quod variis in locis repetitur. Inique igitur S. Doctoris doctrina opinionis contrariae fautores sunt abusi; cum cognoscere deberent, propositionibus generalibus BVirginem comprehendere eum non velle, qui a generali lege peccati iam exemtam statuerat, nec S. Doctorem sibi ipsi contrarium esse asserere sine magna iniuria aliquis potest. Vane igitur ad sustinendam contrariam doctrinam Augustini auctoritas quaesita est. Quoad D. Bernardum multa sane ad eum excusandum a sententia immunitati BV. contraria a doctissimis Scriptoribus adducta sunt; alii vero excusationem admittere nolebant, asserentes aliquam gloriae illius maculam Epistolam 174 ad Canonicos Lugdunenses inussisse. Lis hodie luce sanioris Critices veluti soluta est. D. Bernardus accepit conceptionem pro primae generationis actu, et non aspexit primum instans animationis seu infusionis animae in corpus. Cecidit igitur in eam aequivocationem; et nullatenus contrariam sententiam fovebat. Multa inter eius opera invenimus eloquia, quae palam demonstrant, eum pro BV. immunitate stetisse, devotissimumque erga BV. fuisse. Procul igitur dubio est, S. Doctorem, si hodie viveret, veram immunitatis sententiam non tantum amplexurum, sed pro ea totis viribus pugnaturum. Quod ita firmiter credendum, quia S. Doctor iudicio Sedis Ap. doctrinam suam subiecit. Tandem circa D. Thomam adversae opinioni nullum pondus, nullam auctoritatem adiicit eius sententia. Certum est enim, S. Doctorem in opere de dil. Dei et prox. et lib. 1. Sent. q. 1. art. 3 asseruisse immunitatem BV. a peccato originali; ac postea variis suorum scriptorum parti-

bus contraria omnino sententia apparet in his duobus argumentis fundata: 1. quia si BV. immunis esset ab originali peccato, non omnes indigerent redemtione, quod erroneum appellat; 2. quia ipsa immunitas derogaret dignitati Christi Salvatoris omnium. Difficultates autem praedictae facillimam habent solutionem. Ad primam fatemur, BVirginem redemtam fuisse, sed speciali redemtione, nempe praeservativa. Nobilius et melius liberatur (ait D. Antoninus Flor.) et redimitur, cui providetur ne cadat, et servituti incurrat, quam ne lapsus erigatur, et factus servus redimatur. Ad secundam: immunitatem BV. minime derogare dignitati Christi Redemtoris; non enim Genifricis suae desineret esse Salvator, sed specialissima et nobilissima Redemtoris forma esset Salvator. Imo eius dignitati aliquo modo derogaret, si, cum possit, eam illo nobiliori modo non redimeret, et Angelis inferiorem fecisset, quae est Regina Angelorum. Suntne autem argumenta praefata sancti tantique Doctoris propria? Solidissimis auctoritatibus et argumentis gravissimi scriptores demonstrarunt, opera D. Thomae depravata vitiataque fuisse inimica manu, ut minus pia minusque vera sententia nomine S. Doctoris fulciretur. Et de eo dubitare non licet, quoniam S. Doctor piissimus et doctissimus nec sibi ipsi contrarius esse posset, nec sententiam mutasse, vel adversam secutum esse admitti potest; quum principiis ab eo constanter positis et doctis imm. conceptionis doctrina mirifice contineatur et demonstretur. Nullum igitur adversae sententiae superest asylum: ei omne adiutorium S. Scripturae denegant: SS. Patres nullum etiam ei praestant refugium; quia plurimi et illustriores piam sententiam et secuti sunt et docuerunt, et nullus eorum contrariam expresse admisit. Novae Spiritus S. luces, ac sanae Criticae usus mysterium virtualiter contentum in sacris Verbis praeclarissime aperuerumt. Variae ac gravissimae *congruentiae et necessitatis* rationes, quibus BVirginis immunitas adstruitur, a Scriptoribus allegantur: ea mihi fortior est, quae profluit a principio stabilito, nempe *BV. privilegia per Dei Omnipotentiam esse metienda.* Hinc eadem Virgo in suo Cantico suorum magnalium nullam aliam expromit rationem, quam ‚quia fecit, inquit, mihi magna, qui potens est.‘ Hinc Angelus ad Verbi incar-

nationem nullam praestitit causam, nisi quia non erat impossibile apud Deum omne verbum. Unde in BVirgine tota ratio facti est omnipotentia facientis. In aliis operibus ad extra Dominus quaecunque voluit fecit, non tamen semper voluit quidquid potuit; et in Matre dilectissima voluit quidquid potuit, et ipsius dignitati non repugnat. In idem principium recidit *D. Thomas*, qui cum D. Augustino nullam aliam rationem ad Virginis sanctificationem in utero asserendam producunt. Si autem in utero poterat sanctificare, quod aliis fecerat, cur non potest praeservare Matrem, cum in hoc maior Filii potestas, amor et honor et maius Virginis praeconium considerari debeant? Atqui quod BVirgo in primo instanti fuerit praeservata, nec Scripturae nec Patribus, nec Redemtoris Filii dignitati repugnat, ergo non modo potuit Deus praeservare BVirginem, sed etiam voluit et fecit. Nihil mirum igitur, quod BVirginis immunitas veluti certissima habeatur proximaque definitioni consideretur. Praeterea Omnipotentem Deum S. Virgini omnem possibilem puritatem et gratiam contulisse decentissimum tenent omnes, in illo Augustini eloquio innixi: ‚quidquid tibi vera ratione faciendum occurrit, scias Deum fecisse bonorum omnium conditorem.' Ergo immunitatis gratia etiam BVirgini a Deo fuit concessa. Singularis cura, qua Deus a sacris rebus omnem indecentiam et impuritatem segregavit, nihil in tabernaculo Altissimi maculatum ingredi permisisse praeclare demonstrat. Si immaculata Virgo Evae fuit subrogata, et haec in originali gratia est creata: melioris viventium Matris originalis puritas manifeste apparet. *Piissima* est haec sententia: in adversa nec pietas, nec lux, nec ratiocinatio; merito a doctissimo viro tamquam theologice absurda notatur. Si enim ad probabilitatem aliquando appropinquavit, eam iam omnino perdidit, quia tempus, sensus et usus Ecclesiae, Maximorum Pontificum decreta, Synodorum decisiones, placita Theologorum, et fidelium omnium consensus eandem probabilitatem eiusque fundamenta in contrarium mutarunt. Si aliquis autem scrupulosus, ad literam mortuam vinctus, suae opinionis indecentiam adhuc non cognoscat, et pertinacius obsistat, BVirginem non fuisse a peccati communi lege sepositam, in illud tandem impietatis barathrum decidet,

quod neque Dominum nostrum omnino peccati iugo liberum fateri cogatur, sed ex Maria Virgine carnem sumsisse, quae aliquando in ea culpae fuit obnoxia. Est enim Christus secundum carnem suae Matri vere consubstantialis, ut secundum Deitatem Patri: qui igitur BVMariam non excipit a peccato, nec eius Filium. Videat igitur adversarius, quomodo haec impietas in Deum ascendit, et Filio derogat, qui Matris extenuat gloriam. Quodsi Christum ab omni peccato vindicet, Matrem quoque vindicet, operae pretium est. At dicet fortasse aliquis: si adeo dilucida haec erat veritas, si pro ea Scriptura, Traditio, sensus Ecclesiae, ac Doctores sunt, cur ab Ecclesia tamquam dogma definita non fuit? *Permisit ac voluit Divina Sapientia, controversiam super Conceptione BV. immac. esse excitatam,* ut tandem veritas dilucidior appareret, et SS. Virgo a fidelibus maximo cum fervore ac devotione extolleretur, et honoraretur. Initium et processus controversiae hoc idem indicant. *Divus Bernardus* (hoc initium controversiae) in *Canonicos Lugdunenses* animadvertit circa celebrationem festi imm. Conceptionis absque Sedis Ap. auctoritate: Canonici vero Lugdunenses parvi pendendo praefatam adeo spectandi Doctoris animadversionem a celebratione pii festi non destiterunt, quod iam a. 1130 celebrare consveverunt propter revelationem Helsino factam, et exemplum sumtum a Normandia, vel fortasse ab Hispania, ubi iuxta Martenium a sec. VII erat celebratum. Aliarum Ecclesiarum fideles, veluti nova luce perfusi, festum illud ac mysterium purissimum pie amplexi sunt, contradictoribus eiusdem aures occludentes, eorumque doctrinam tamquam absurdam respuentes. Excitatur postea in *Parisiensi Universitate* de imm. Conc. controversia: unus tantum apparet vir, subtilis *Scotus,* qui scriptis, conclusionibus seu thesibus, ac solemni disputatione mysterium illustrat, veritatem demonstrat, ac Parisienses Doctores convincit. Denuo exagitatur controversia occasione propositionum *Ioannis de Montesono* Doctoris Dominicani, imm. Conc. impugnantis. At *Eppus Parisiensis* easdem propositiones damnat, Universitas vero praefatum Doctorem eas retractare iussit. Controversiae tamen sistere non licebat: contra in dies aucta, et in totum fere catholicum orbem se extendit. Quamplurimi tunc scripti

sunt libri ac tractatus in utriusque partis favorem, et eorum non pauci *Basileam* comportati sunt ad examen ipsius doctrinae. Praemisso autem examine maturaque discussione, *Patres Basileenses piam sententiam ut dogma definierunt;* et quamvis propter eorum schisma vim non obtinuit haec definitio, nec agitatam controversiam extinxit, tamen Theologi omnium fere nationum, Universitates, Academiae, ac Provinciales Synodi eam amplexae sunt definitionem. *Universitas* vero *Parisiensis,* illo in tempore celeberrima, se tamquam de fide profiteri doctrinam de imm. Conc. declarare non dubitavit, iureiurando consocios adstringens ad doctrinam piam defendendam sub dimissionis ac graduum amissionis poena. *Adversarii quotidie iacturam causae faciebant,* at nec ideo colluctationem remittebant. Quoniam cum Sixtus IV P. M. in Constitutione sua ‚Cum praeexcelsa' a. 1476 non solum festum permiserit et commendaverit, sed liturgiam ad cultum et honorem immaculatae Deiparae Conceptionis praescripserit, eiusdemque devotis indulgentias concesserit, quod nihil minus erat quam illud mysterium canonisare: adversarii adhuc in pertinacia sua supersedere. Sperabant vero catholici fideles et maximo cum ardore optabant, ut isthaec diuturna et invisa controversia in *Tridentina* Synodo solemniter definiretur. Sed in aliud tempus a Providentia Divina haec solemnis definitio erat reservata. Non definierunt igitur Tridentini Patres directe illud mysterium; at ubi ventum est ad decretum de peccato originali, sequentem declarationem adiecerunt: Declarat tamen haec ipsa S. Synodus, non esse suae intentionis etc. Pretiosa haec Tridentini sententia definitiva non fuit, mysterii autem meritum in ea fuit recognitum; in Synodo auditum non est, illud esse indefinibile; igitur si dogma non definivit, viam definitioni aperuit, ac omnes difficultates removit. Postquam S. Trid. Synodus declaravit in decreto de peccato originali non se comprehendere BVirginem, quis adeo esset temerarius, ut Deiparam inter ceteros filios Adami macula originali infectos comprehendere non reformidet, aut de eius immunitate ambigere non perhorrescat? Aliqui pertinaciores adversarii Tridentinae Synodi ac Pontificiarum Constitutionum sententias false et perverse interpretantes, suae opinioni iam pror-

sus obsoletae, reiectae, et ubique invisae adiumentum praestare ausi sunt. Scandala inde exorta, fideles querebantur, nec amplius audire aut tolerare poterant doctrinam, quam tamquam perversam, detestabilem, et haereticam habebant. Tunc *Apost. Sedes*, quae mira cum prudentia controversiam diutius latissimeque permiserat, ut solutis difficultatibus veritas demum patesceret, lucibus sane superioribus ducta, *et festum Conc. Immac. fovit, ac promovit, et opinioni contrariae silentium iniunxit.* Nondum tamen Ecclesia definiit de fide immunitatem Deiparae V. *Definibilis* autem *est haec veritas, quia irrefragabilia fundamenta eam suadent, et tamquam definibilis ab Ecclesia iamdudum habetur;* nihil enim aliud significant: cultus publicus et universalis ex praecepto sub peccato observandus; Pontificiae Constitutiones Conceptionem sanctam, sanctissimam, et immaculatam pronunciantes; indulgentiae concessae colentibus et visitantibus BV. templa et Ecclesias; erectio templorum et altarium; patronatus ipsius Conceptionis; monasteria et sodalitia erecta sub eodem glorioso titulo; eius annunciatio in Martyrologio Romano; consensus fidelium et totius Ecclesiae et Academiarum; Revelationes denique privatae personis sanctitate conspicuis, et miracula innumera. Quae cum ita sint, *non tantum statuimus hanc definitionem magnopere curae esse fidelibus, sed illud etiam nobis videtur, nullum impendere periculum, ne discordiae vel novae controversiae excitentur.* Adversa enim opinio iam prorsus excessit, et res eo deducta est, ut de ea quaestio amplius excitari non possit. Pia et vera sententia de immunitate SS. Matris Dei corroborari a fide iamdudum digna habebatur, ut omni firmitate in perpetuum frueretur. Beatitudini autem tuae ab Omnipotente reservata erat gloria huius negotii perficiendi cum solemni definitione, opportuniori in hac nostra aetate, quum ope et praesidio SS. Deiparae V. valde indigemus, ut impios, omnesque Ecclesiae inimicos repercutere et convincere possimus, nullatenus dubitantes, SS. Virginem hunc honorem et obsequium tibi, B. Pater, et S. Cath. Ecclesiae cumulatissime fore remuneraturam. — Faraonis, 16 Aug. 1849. *Antonius.*

---

987. **Eppus Portucalensis.** — Quid dignius considerari potest, quid communi sententiae sanctorum et venerabilium Patrum sec. 3, 4, 6, et 8 magis consentaneum, quid a tantis ecclesiasticis viris pietate et virtute praestantibus, et in theologicis disciplinis summopere eruditis cum maiori evidentia demonstratum, quid per decisiones Conciliorum Basileensis 1439 et Avenionensis 1457, et etiam nunc per praecautionem a C. Tridentino in Sess. 5 assumtam, et adhuc per decreta Summorum Pontificum Xisti IV, Pii V, Pauli V, Gregorii XV, Alexandri VII magis comprobatum? quid congruentius christianae doctrinae, reverentiae Iesu Christo debitae, et omnium fidelium persvasioni, quae velut quaedam fides catholica seu quasi universalis existimari potest? quid denique aptius praeeminentiis et praerogativis illius, quae fuit ab omni aeternitate electa, ut eum in suis purissimis visceribus portaret, quem coeli capere non possunt? *Quamquam* igitur *argumentum istud gravissimum adhuc velut fidei articulus non sit definitum, attamen iam in imo omnium fidelium Ecclesiae Lusitanae, et specialiter huius Portucalensis Ecclesiae, corde proculdubio existit.* Iam inde a remotis temporibus in hoc Lusitaniae regno et in suis transmarinis longinquisque possessionibus BVMaria sub titulo Conceptionis ut Patrona sua validissima invocatur. In eius honorem insignis equestris Ordo institutus fuit; et in Conimbricensi Universitate nulli academicus gradus confertur, quin prius iuramentum defendendi imm. V. M. conceptum praestet. *In plurimis huius notabilis Civitatis templis imago BV. sub titulo Imm. Conc. cum tam egregia pompa colitur, ut auctor quidam memoratissimus in seculi proxime superioris finibus efficaciter asseveraret, hanc ipsam civitatem in veneratione et cultu SS. Euch. Sacramento et Imm. BV. Conceptioni oblato omnibus excellere,* quod etiam per totam istam dioecesim plane observatur. Ecce igitur SS. Pater, quid sentio, quid mihi videtur, quidque vehementer exopto in tanti momenti re, et *nil iucundius, nil acceptius mihi, clero, universoque populo meo erit, quam faustissimum dogmatici decreti nuntium, in quo a Sede Ap. decernatur, immaculatum fuisse Virginis Mariae conceptum.* — Portucali, 25 Sept. 1849. *Hieronymus.*

988. **Eppus Electus Funchalensis simul Vic. Cap. Brigantiensis.** (Ad Internuntium Apost. et Delegatum Portug.) Fungor officio per Exc. V. in Literis de 11. Aprilis postremi sub Nro. 3161 mihi imposito, penes quas etiam Encyclicam literam Sanctissimi Patris Pii IX Caietae 2 Februarii a. c. datam percepi. — Attendendo ad ardentem devotionem et pietatem, quo totus iste Episcopatus gestit celebrare, et promovere cultum Sanctissimae Virginis in cunctis solemnitatibus suis, quocunque titulo illa invocetur, assecurare possum E. V. *quod Eppatus hic insigni sensu religioso animetur erga Immaculatam Conceptionem eiusdem Dominae,* imo possum addere, quod non solum fideles sed etiam maior pars Cleri hanc doctrinam respiciat, velut dogma per Ecclesiam iam definitum; taliter itaque ipse ordo publicarum precum tamquam talis qui incertum et dubium reddidisset hunc articulum, eos offendisset in pia illorum fide. Cum Maria ab aeterno delecta fuerit pro Matre filii Dei, decens non erat, ut veniat humanam carnem assumere, et corporaliter habitare in creatura, quae etiamsi uno momento hospitium praebuerat daemonio. Nec sublimis dignitas Matris Dei permittit, ut minimae etiam maculae subiiciatur. Deus est omnipotens et providentissimus; postquam igitur in gratia creavit primam mulierem, futuram hominum Matrem, hinc omni bono sensui repugnat, ut non etiam in gratia creasset illam, quae ab aeterno destinata fuit, ut sit Mater Unigeniti sui. Sic virtutes, ut vitia genitorum certo modo respiciunt filios: quia ergo a voluntate Iesu Christi dependebat delectus Matris quam habere debebat, sine offensione bonitatis et sanctitatis filii dici nequit, quod Electa haec quocunque temporis momento habuisset defectum, — defectum, a quo Eam filius praeservare potuit. Gabriel Archangelus Mariam salutavit gratia plenam, taliterque conveniebat, ut sit Maria non solum Aeterni Patris filia, Verbi Divini Mater, Spiritus S. sponsa, sed etiam in qua verificari possit prophetia promittens reparatorem in filio mulieris, quae conterere debebat caput infernalis serpentis; posita est aeterna inimicitia inter hunc et illam; vaticinium hoc omnes sacri interpretes referunt ad Mariam Sanctissimam, quae certe vim non habuisset ad reportandam de peccato et

daemonio victoriam, si aliquo tempore vinculata fuisset sub suo dominio. Ecclesia Mariam celebrat Reginam Coeli et Angelorum, sed hi fuerunt creati spiritus puri et sancti, sine minima macula, ac idcirco maior puritatis et sanctitatis gradus attribui debet Illi, quae eis praesidebat. Aliqui veteres Ecclesiae Patres S. Andream Apostolum secuti sanctissimam Mariam vocarunt *terram Virginem et immaculatam,* de qua formatum fuit corpus Christi. Sicut de terra immaculata, priusquam fuisset maledicta, formatus fuit primus homo, ita Mariam cum Eva adhuc innocente comparando, incongruentiam ostendunt, quae considerari debet interpretando in meliorem partem et nobiliori e principio, ista, quae annuendo seductioni angeli tenebrarum ratio fuit nostri infortunii, et illa, quae angelo lucis consensum suum dando, ratio remedii exstitit. Et revera, si Sanctissima Maria aliquo tempore imperfecta fuisset, non possent ei adplicari laudes, quas ei Ecclesia, tamquam a Spiritu S. ad illam directas tribuit in libro Canticorum et Ecclesiastico, vocando eam „Thronum Altissimi, et per eum pro sua commoratione sanctificatum," (Ps. 45, 5.) pulcherrimam inter mulieres, columbam et idcirco absque felle, totam pulchram et sine macula, *„macula non est in te."* Concilium Tridentinum proponendo, quomodo peccatum originale transfusum sit in omnes posteros ab Adamo, declarat, non esse suam intentionem comprehendere generali suo decreto benedictam et immaculatam Virginem Matrem Dei; ac per consequens, haec exceptio a regula confirmat exemtionem Mariae a peccato originali, videturque esse quasi declaratio indirecta mysterii, de quo agitur. In conspectu praeadductarum rationum, et insuper quod adhuc adiici potest, *dicere debeo EV. quod consentiam sensui SS. Patrum, qui singulare istud Mariae privilegium defenderunt, docendo, quod anima eius creata in statu sanctitatis momento, quo fuit unita corpori in ventre Matris suae formato, fuerit e speciali gratia ab omni macula peccati originalis praeservata; opto, ut doctrina haec definitive declaretur qua dogma Ecclesiae catholicae.* — Brigantiae, 6 Oct. 1849. *Emmanuel Martins Manso.*

---

989. **Idem Praesul ad Summum Pontificem.** — In hac Dioecesi *Caliobrigensi*, cuius regimen mihi a Capitulo Sede vacante commissum fuit a. 1846, et quod adhuc retineo ex provisione D. Ioachimi Pereira Ferraz modo confirmati Eppi Brigantini, significare possum Sanctitati Vestrae, *omnem Clerum et populum huius dioecesis maximo studio incumbere ad procurandam gloriam et honorem BVM.* ad quam sicut in cunctis periculis et necessitatibus omnes velut ad matrem recurrunt, ita omnia eius festa sub quolibet invocationis nomine solemnisare, cultumque augere, singulari pietate et obsequio curant: ac *speciatim erga immac. conc. Virginis*, quae sub hoc titulo Patrona est Lusitaniae, *adeo religiosa devotione sunt animati, ut plerique eam doctrinam tamquam dogma ab Ecclesia iam declaratum credant*, et magno scandalo afficerentur, si aliquod dubium in hac re suscitaretur. Quod ad me attinet, tamquam Eppus electus Funchalensis, ac proinde non solum novissimus sed etiam minimus electorum, inter tantos praeclarissimos Praesules vix obolum meum offerre possum ad coadiuvandam hanc piam sententiam, seu potius ad explendum iuramentum, quod praestiti in Universitate Conimbricensi, me publice et privatim defensurum imm. conc. Deigenitricis V. Mariae. (Sensum suum eodem modo exprimit ac in praecedente ad Internuntium epistola.) Caliobrigae, 22 Ianuar. 1850.

---

990. **Eppus Conimbricesis.** Literae Beatitudinis tuae die 2 Febr. c. a. quas die 2 Oct. accepi, gaudio valde magno laetificaverunt animam meam, gratias agente me Domino Deo nostro, qui post tantos labores, desideria, et postulationes multorum illustrium virorum pro maiori BVM. honore et gloria amplificanda nunc Beatitudini tuae cor pium, dispositumque totum ad cultum et amorem illius promovendum inter omnes fideles per definitionem dogmaticam suae conc. Imm. concedere dignatus est. Enimvero momentum adproperavit, in quo Beatitudo tua, utens illa altissima potestate in Ecclesia, cui in Petri loco praesides, *hanc veritatem definiat, consonam de-*

sideriis tantorum fidelium, qui subnixi Scripturis S. et auctoritate multorum SS. Patrum praedecessorum nostrorum per omnia Ecclesiae secula, credunt ipsam SS. V. Mariam esse illam mulierem singularem, cui a Deo datum est, caput serpentis conterere non solum post suam creationem sed etiam in suae conceptionis momento. Etenim quomodo Filio Dei Unigenito conveniens esset, mulierem, in qua secundum carnem genitus esse debebat, Angelis et Adamo atque Evae, qui immaculati creati sunt, inferiorem esse? imo magis immaculatam et sanctam, utpote arcam venerandam et mirabilem, in qua et ex qua corpus et sangvis, per quem ipse redemturus erat universum mundum, esset assumtus. Ita sane, B. Pater, exinde theologi fere omnes non dubitaverunt asserere, Reginam Esther, quae per suam maximam pulchritudinem meruit a magno Assuero audire ‚Non morieris, non enim pro te sed pro omnibus haec lex constituta est', repraesentare BVMariam tamquam a peccato originali exemtam, sicque dignam, cui in Scripturis S. datam fuisse a Spiritu S. hanc laudem et honorem singularem ‚Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias' et iterum ‚Tota pulchra es amica mea et macula non est in te', ad extremum vero sic ab Archangelo salutari ‚Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus': quae omnia exemtionem ab omni macula in BVM. satis exprimunt. *Neque iam fas est de hoc amplius dubitare. Haec est mea fides, et omnium meorum subditorum,* quibus etiamsi in praesenti non praesum, quia expulsus fui a Sede mea, — tantum abest, ut iudicem eos ab hac fide alienos, quin potius *aestimo illos omnes, dispositos hanc fidem sangvine proprio consignare;* sicut et alii Eppi pro se suisque subditis testimonium tibi dixerunt. Quapropter, B. Pater, rebus sic stantibus ut quid morari? O! utinam dirigantur gressus tui ad nobis dandam quantocitius istam dogmaticam definitionem; etenim ex tunc, ut spero, misericordiae Domini incipient venire super nos, et pacem, quam mundus dare non potest, et iamdiu a Domino suppliciter petimus, in retributionem tuae pietatis erga immac. V. M. conceptionem et desideriorum nostrorum per ipsiusmet intercessionem feliciter consequemur. In Civitate Maragnonensi, 4 Nov. 1849. *Fr. Ioachimus.*

991. **Eppus Macaurensis.** — Devotionem meam erga BV. Conceptionem, cleri mei, gregis, imo et omnis populi Lusitani, qui a multo iam tempore eam ut totius regni Patronam devotissime celebrat, ingenue significavi in epistola, quam die 25 Ian. 1846 SS. D. Gregorio XVI scripseram: quod vero ad desiderium meum attinet, B. Pater, *semper optavi, ut tandem aliquando a S. Sede irrefragabiliter decerneretur reapse SS. Virginem sine labe originali fuisse conceptam; haec enim sententia est hodie iam moraliter certa, utpote innumeris SS. Patrum auctoritatibus innixa ac communi fidelium sensu amplexa;* et quamvis tantummodo definitone Ecclesiae careat, ut de fide sit tenenda, attamen ipsa S. Sedes quodammodo eam approbasse videtur ex eo, quod Conceptionem BV. solemni ritu ab universali Ecclesia celebrari decreverit. Et quidem, B. Pater, mens ipsa abhorret credere, SS. Deigenitricem aliquo licet brevissimo quidem instanti extitisse Dei inimicam et diaboli mancipium. Quamobrem *piissima de Imm. Conc. sententia velut praecipua radix ac fundamentum omnium Deigenitricis praerogativarum videtur Christifidelium cordi ingenita ac divinitus infusa;* ideoque magnae laetitiae erit populo christiano semperque memorabilis atque omni exultatione plenus dies, quo Apost. Sedes decreverit ut de fide tenendum, SS. Virginem sine labe fuisse conceptam; haec praeterea definitio S. Sedis magis magisque firmabit populi christiani amorem ac devotionem; atque inde sperandum est, ut tam pia et vigilantissima mater fidelem omnium bonorum remuneratorem Deum nobis reddat propitium, eiusque iustam vindictam, quam pro peccatis meremur, sua pia intercessione avertat, atque S. Ecclesiam quibus nunc affligitur angustiis liberare, eiusque luctum in gaudium convertere non dedignetur. — Macai, 25 Nov. 1849. *Hieronymus.*

---

992. **AEppus Mitylinensis.** — Satis compertum habeo, omnes huius regni Eppos uno animo esse affirmaturos, *Lusitanos generaliter immac. SS. V. conceptionem ardentissima pietate venerari:* cui rei argumento sunt solemnia festa, quae sumtuoso splendidoque apparatu 8 Dec. in omnibus fere

paroeciis celebrantur, ad quae innumeri concurrunt fideles, qui *omnes iam fere ab incunabulis huic gloriosissimo Virginis privilegio firmiter credunt, ac si a S. Sede iam esset definitum atque decretum.* Quare autem inter Lusitanos ita non fieret, quorum Reges tanta cura studioque tanto suam piissimam devotionem erga immac. Deigenitricis conceptionem perpetuo ostenderunt? Cur ita in hoc regno non fieret, ubi sub illo praeclarissimo titulo pro Patrona eiusdem solemniter habita fuit? ubi non egregia solum Conimbricensis Academia, sed ceterae quoque Academiae, gymnasia, et scholae hanc sententiam palam confitentur ac defendunt? ubi denique haec eadem sententia publice docetur, praedicatur, et in scriptis propugnatur? In his meis literis, B. Pater, praecipua mihi cura fuit brevitati servire, Sanctitati tuae id gratum fore existimanti: alioquin maxima animi delectatione multa de hac re dicerem, quae Lusitanos tam claros et dignos reddit, qui multis laudibus efferantur, qualis est piissima ipsorum fides et veneratio erga immac. Deigenitricis Conceptionem; unde necessario infertur, *omnium ordinum et conditionum Lusitanos ardentissimo flagrare desiderio, quod a S. Sede tandem declaretur et decernatur, Mariam Redemtoris Matrem a labe originali esse immunem.* Quod ad me attinet, ex supradictis in aperto est, *meam sententiam ac vota Lusitanorum omnium sententiis et votis penitus convenire.* — Profecto *haec de imm. Mariae V. conceptione doctrina tam validis nunc argumentis est confirmata, tam claris rationibus demonstrata, scriptisque paulo ante in lucem editis propugnata, ut mihi persvadere non possim aliquos hodie esse catholicos, qui huic SS. Virginis privilegio credere dubitent,* quod a singulari incomparabilique Deigenitricis excellentia necessario proficiscitur, a qua originalis culpae vel tenuis umbra penitus abhorret. Quae cum ita sint, cum haec doctrina luce meridiana iam clarius fulgeat, atque tot tantisque argumentis incontroversa constituatur, cum SS. Virgo sub immac. Conc. titulo solemnibus festis quamsplendidissimo apparatu instructis, fervidaque devotione per totum catholicum orbem celebretur: *in hac* ideo *sententia sum, neminem intercessurum, sed potius omnibus fore pergratum, ac universali Ecclesiae acceptissimum, ut tandem a Sanct. tua id*

augustum mysterium rite et solemniter declaretur atque decernatur. — Olisipone, 24 Dec. 1849. *Emmanuel.*

---

993. **Vic. Apost. Aegitaniensis.** — *Perspicua sunt et sole clariora, quae diu desideratam exposcunt Conceptionis BMV. definitionem.* Sacrae Scripturae, SS. Patrum auctoritates, decreta Pontificia, Revelationes, Praedictiones, unanimis fidelium consensus, commune insignium theologorum placitum svadent, SS. Deigenitricem absque labe originali fuisse conceptam. Ego a teneris annis semper habui ut proximam fidei hanc immunitatem, et cum suscepi in alma Conimbricensi Academia gradum in Iure Canonico, Virgineae immunitatis defensionem iuravi, quod iuramentum usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinebo atque servabo. *Non solum ego, sed etiam Clerus fidelesque huius dioecesis suppliciter exoptamus et de genu instantissime imploramus, ut B. Deigenitricis singularitatem et exemtionem a peccato orig. ad sacra nostrae religionis dogmata referas, atque idipsum, quod Apost. Sedes a seculis fovet et veneratur, orthodoxum constituas, et ex Petri Cathedra declares.* — Aegitaniae, 9 Ian. 1850.

---

994. **AEppus Eborensis.** Literas a Sanct. Tua Caietae datas die 2 Febr. 1849 — gratissimo animo recepi. Impressiones autem maioris gaudii spiritum meum afficerent, si cum illis literis notum mihi fuisset, supremum mundi arbitrum et Dominum dominantium iam in sua sapientia misericordiaque infinita permisisse, ut Tu, visibile suae S. Ecclesiae caput, fons et centrum unitatis, Vicariusque Iesu Christi in terris, inclyta in tua urbe Roma tranquille commorareris, et ab omnibus, ut licet, reverenter observanterque prosecutus esses. Hoc desiderio, SS. Pater, incessanter sum affectus, ac etiam firmissime obtestor, totus huius dioecesis Eborensis Clerus populusque eodem sensu abundat. Deo Dominoque nostro preces dirigere haud omisimus, neque cessamus, ut vota nostri cordis exaudire et adimplere benigne dignetur. Quod maximi sane

momenti negotium, de quo in praedictis literis encyclicis agitur, — non audeo, B. Pater, sinceriter tibi fateor, consilium opinionemve emittere, si ad utilitatem aut opportunitatem generalem eiusmodi iudicii solemnis exoptati respiciam; nam tibi certe notum magis quam mihi est, quod super eadem gravissima re aliqui Summi Pontifices venerabilis recordationis, et doctissimi Tridentini Concilii Patres multum attenteque disceptarunt, et decisionem proferre veriti sunt. Sanctitatis autem tuae sapientia coelestis gratiae lumine collustrata, et virorum pietate theologicisque disciplinis spectabilium prudentia, quibus hoc gravissimum argumentum commissum est, consilium tutius et accuratissimum adhibere solummodo poterunt, si et quando solemne iudicium et definitionem, de quo agitur, edi oportebit. *Quod vero ad me attinet, clerumque populumque dioecesis meae curae speciatim commissae, asserere firmiter possum, omnes ardentissimo affectu animi exoptare et accepturos decisionem, quae illis tuis literis desideratur. Notoria certe est fidelium totius huius regni tribus iam abhinc seculis devotio circa immac. BV. conceptionem*; a teneris vel annis omnes Deigenitricem absque labe originali fuisse conceptam confitentur, et tamquam cath. Ecclesiae doctrinam hoc credunt, atque ab institutoribus suis generatim addiscunt. *Nullam* ergo *novitatem quoad huius regni Ecclesias afferet illa decisio, quae alias cum generali doctrina in iisdem edocta, et publice in alma Academia Conimbricensi prolata enixeque propugnata omnino consentit.* Ast de me nunc peculiariter dicens, semper opinioni firmiter adhaesi, SSmam Dei Matrem ab omni originalis peccati labe fuisse immunem. Hoc saepe in publicis concionibus asserui, et semper in die 8 Dec. festo Conc. BV. Deiparae hanc doctrinam Clero fidelibusque in mea Cathedrali Ecclesia congregatis palam publiceque enunciavi, ac totis animi sensusque mei viribus propugnavi. Inde videre iam est, me decisionem illam solemnem non tantum exoptare, sed etiam gaudenter suscepturum. — Eborae, 1 Ianuar. 1850. *Franciscus.*

995. **Vic. Gener. Conimbricensis.** Die 11 Aprilis anni 1849 elapsi percepi ab Excellentissimo et Reverendissimo Archiepiscopo Berytensi Internuntio et Legato Apostolico in his regnis et insulis adiacentibus Epistolam Encyclicam, quam Sanctitas Tua dignata est mittere Caieta ad omnes Praelatos orbis catholici qui praesunt Dioecesibus, ut ea, quae ibi continentur exequerentur, certiorem reddendo Sanctitatem Tuam de devotione Cleri et caeterorum Dioecesium suarum fidelium erga Immaculatam Conceptionem Mariae Virginis Sanctissimae, deque desiderio, quod forte manifestant, ut haec doctrina per Sanctam Sedem Apostolicam tamquam dogma fidei declaretur, denique quaenam sint sentimenta et desideria ipsorum Praelatorum. Oneratus, non obstante mea bene nota indignitate, munere administrationis spiritualis unius e principalibus Ecclesiis horum regnorum, nempe Conimbricensis, non omisissem tam longo tempore ad altam praesentiam Sanctitatis Tuae responsum dare, nisi causae extraordinariae, omnesque a mea voluntate independentes desideria mea impedivissent. Irrefragabilia sunt, Beatissime Pater, argumenta devotionis, qua fideles omnis ordinis erga Immaculatam Conceptionem Sanctissimae Virginis inde a quinque saeculis in hac Dioecesi Conimbricensi feruntur; huic scilicet Dioecesi gloriari licet, se esse primam inter Ecclesias Lusitaniae, ubi praeceptum erat die 8 Decembris celebrare festum Immaculatae Conceptionis cum Vesperis, Matutino, Missa et Processione. Sic rem determinavit tertius et vigesimus Episcopus huius Dioecesis D. Raymundus die 13 Octobris 1320. Subsequens expositio, quam profunda cum veneratione, cultu et subiectione altissimae considerationi Sanctitatis Tuae substerno, demonstrabit melius non solum devotionem omnium fidelium huius Dioecesis erga Immaculatam Conceptionem Sanctissimae Virginis, verum etiam desideria, quibus tam ipsi quam eorum Praelatus sunt animati. *Brevis historia devotionis omnis classis fidelium Dioecesis Conimbricensis erga Immaculatam Conceptionem Sanctissimae Virginis Dominae nostrae.* Anno 1318, regnante in Portugallia Dionysio rege, electus et confirmatus est Episcopus Conimbricensis, functiones Episcopales auspicatus D. Raymundus, natione gallus ex

urbe Cadurcensi oriundus, nepos D. Almerici, qui etiam fuerat Episcopus Conimbricensis et Decanatum Sedis Episcopalis nepoti suo tribuerat; anno 1320, quum S. Regina Elisabeth esset in urbe propter bellum, quod Infans Alphonsus contra suum Patrem gerebat, valde afflicta, institit apud Episcopum D. Raymundum, ut in sua Dioecesi institueret festum Immaculatae Conceptionis: tunc Episcopus die 13 Octobris eiusdem anni promulgavit constitutionem, in qua ordinavit et mandavit, ut in Ecclesia Cathedrali inde inposterum celebretur festum Immaculatae Conceptionis, et pro sumptibus eius dedit Capitulo illas domos, in quibus morabatur, quando fuerat Decanus. Sic testatur 1. Catalogus manuscriptus Episcoporum compositus a Petro Alvares Nogueira, qui loquens de D. Raymundo vigesimo tertio Episcopo f. 95 dicit: „Fuit Praelatus hic erga Dominam nostram devotus, statimque in principio sui Pontificatus anno nimirum 1320 ordinavit, ut die 8 mensis Decembris in hac Cathedrali recitaretur officium illius Conceptionis, et multas indulgentias concessit personis horis canonicis assistentibus.“ 2. Liber Calendarum eiusdem Ecclesiae Cathedralis in quo f. 78 leguntur sequentia: — „qui dominus (Raymundus) multa bona fecit Ecclesiae in vita, et in morte; primo in vita sua statuit celebrari festum Conceptionis gloriosae Virginis Mariae, et donavit Capitulo domos suas, in quibus morabatur, dum erat decanus, pro pitancia dictae festivitatis.“ — Et f. 142 eiusdem Libri haec habentur: — „Anno Domini 1320 tertia decima die mensis Octobris Reverendus Pater Raymundus Episcopus statuit primo celebrari in Ecclesia festum Conceptionis Beatae Virginis gloriosae, et in eius honorem voluit dictum festum solemnisare in modum qui sequitur.“ Ex his documentis clare colligitur Episcopum Raymundum fuisse primum, qui in Dioecesi hac instituit festum Conceptionis Virginis Mariae Dominae nostrae. Anno 1484 Episcopus D. Georgius Almeida, qui pariter erat erga Dominam nostram valde devotus, statuit, ut cantores obligarentur ad functiones missae huius festi in honorem Dominae omni sabbatho peragendas, missam vero celebravit semper aliquis Beneficiatus domus (quod etiam hodie viget). Ad hunc finem disposuit dari quotannis tria millia regalium

pro stipendio Missae, pro cera, et distributionibus manualibus Beneficiatorum Missae assistentium ita, ut qui Missam cantat viginti regalium stipendium accipiat, praesentes vero Beneficiati bis viginti regalium distributionem. (Sic constat e citato Catalogo manuscripto Episcoporum f. 95 et 158.) Anno 1639 Episcopus D. Ioannes Mendes de Tavora celebravit Synodum in qua praecepit ut defensio Immaculatae Conceptionis iuramento firmaretur. In metropoli huius Dioecesis existit insignis Universitas, quae Anno 1646 die 28 Iulii in sua Capella regia peregit actum solemnem iuramenti defendendi, praedicandi, legendi et publice atque privatim docendi Virginem Dominam nostram fuisse a macula peccati originalis praeservatam, tulitque legem atque statutum, ut nemo ad Gradus et Cathedras Universitatis admitteretur, qui idem iuramentum non faceret, quod praescriptum erat in forma sequenti: „Purissima Virgo Domina nostra, Sanctissima Mater Dei, Regina Coeli, ego N. recognoscens pietatem, sanctumque zelum, quo serenissimus Rex D. Ioannes IV Dominus noster permotus devotione, qua semper ardebat, quamque erga Sacrosanctum mysterium purissimae Tuae Conceptionis manifestabat, convocatis ad Comitia tribus ordinibus regni unanimi omnium consensu Te elegit in Patronam eiusdem et in venerationem huius mysterii factus est Vasallus Tuus tributum annuum pendens domui sanctae Tuae, et iurans cum toto regno suo se defensurum semper Te esse conceptam sine peccato originali: actu hoc praesenti firmiter spondeo ac iuro ex mea propria et libera voluntate Deo omnipotenti, et Tibi Sanctissimae Matri eius, me publice et privatim defensurum Te, Virgo Benedicta, Sancta, Immaculata, Benedicta inter omnes mulieres, per merita Iesu Christi Filii Tui ab aeterno praevisa fuisse totaliter praeservatam a macula peccati originalis favore particulari, et privilegio divinae gratiae ita, ut nullo instanti illud contraxeris, sed fueris semper pura, sancta, Immaculata et plena gratia. Prostratus humiliter ante Sacram Tuam Imaginem Tibi hoc promitto: sic me Deus adiuvet et haec sancta Evangelia.“ (Ita continetur in statutis antiquis Universitatis Ed. anni 1654. Lib. IV. tit. 14. in fine.) Pro memoria huius iuramenti erectus est in Capella penes altare Dominae nostrae lapis, in quo haec In

scriptio legitur: „Anno 1646 Sabbatho 28 Iulii Innocentio X Pontifice Maximo, Ioanne IV felicissimo Lusitaniae Rege, Rectore Emmanuele de Saldanha Visensi Episcopo electo florentissima Conimbricensis Academia pietatis cultu erga Deiparam insignis, cunctis rite augusteque peractis, solemni voto, inviolabili iuramento sese obstrinxit, ut in posterum tam publice, quam privatim doceat, praedicet, defendat, Sanctissimam Virginem in primo Suae Conceptionis instanti ab omni originalis culpae labe gloriose praeservatam exstitisse, et tam Sacrum Religionis obsequium hoc saxo posteritati commendavit.“ Praeterea occasione hac iuramenti festive celebrati in Collegio Patrum Societatis Iesu eiusdem urbis sermonem habuit Pater Sebastianus Novaes, qui propositis argumentis pro Immaculata Conceptione pugnantibus orationem suam conclusit rogando Summum Pontificem nomine Regis, Universitatis, omniumque Ordinum regni, ut Immaculatam Conceptionem declaret esse dogma fidei, quod sequenti modo expressit: „Quae quum ita sint, Beatissime Pater, ad te mea iam supplex declinat oratio: qui Vicedeum in terris agis, o Innocenti, post oscula sanctorum pedum, Serenissimus Lusitanie Rex Ioannes IV orthodoxae Ecclesiae Filius obsequentissimus rogat, atque deprecantur hae Conimbricenses Academiae, flagitant tot religiosissimorum Ordinum Conventus, exoptant omnes huius regni Ordines, Pontificius, Equestris, Popularis, optant denique omnes in universum christiani populi, ut Tua Beatitudo in causa, in quam tot Pontifices Maximi, qui praecesserunt, tam pie atque sancte declinarunt, supremum iudicium ferat, ac de fide habendam esse declaret, quo Dei Optimi Maximi, ac ipsius Genitricis gloria in dies latius atque latius excurrat.“ (Vide „Lilium inter spinas“ opus eiusdem oratoris editum Conimbricae anno 1648 pag. 83 et 84.) Item anno 1767 Fr. Emmanuel Ignatius Coutinho ex ordine Carmelitarum, Theologiae Lector, composuit opus inscriptum „De peccato originali, et immunitate Deiparae a debito illud contrahendi, cum vindicationibus sanctorum Doctorum Melliflui et Angelici, in quibus ostenditur, purissimam B. Mariae Virginis Conceptionem nuspiam eos maculasse.“ Documenta hucusque allata satis ostendunt, quaenam fuerit devo

tio huius Dioecesis generatim et Universitatis in specie erga Immaculatam Conceptionem inde a saeculo XIV usque XVIII; quod vero attinet ad saeculum XIX, in quo vivimus, affirmare fas est, devotionem erga Immaculatam Conceptionem non solum non esse diminutam, verum potius auctam, quum festum eiusdem die 8 Decembris maxima, qua par est, solemnitate celebretur, praemissa in multis Ecclesiis novem dierum praeparatione, quae hymnis et piis operibus pro obiecto Immaculatam Conceptionem Virginis Mariae Dominae nostrae habentibus absolvitur. Quapropter concludi potest doctrinam de Immaculata Conceptione Sanctissimae Virginis habere pro se in hac Dioecesi consensum unanimem sui Praelati, Parochorum et caeterorum Ecclesiasticorum eiusdem, Literatorum, Communitatum religiosarum, et generatim omnium fidelium eiusdem Dioecesis, qui omnes sibi augurantur videre diem illum gloriosum, in quo velut dogma fidei definietur doctrina, quae illis a teneris ungviculis per longum tempus tradebatur. Quum igitur haec, de qua diximus, sit fides et devotio omnium fidelium Dioecesis erga Immaculatam Conceptionem Virginis, mihique constet multos Praelatos Statuum catholicorum a Sanctitate Tua pro suis Ecclesiis petiisse extensionem Indulti Apostolici, quo Sanctitas Tua die tertia Augusti anni nuper elapsi Fratribus minoribus strictioris observantiae a S. Petro de Alcantara et S. Paschali Baylon in regno Neapolitano Vigiliam sine ieiunio cum Missa propria pro die 7 Decembris, festum Immaculatae Conceptionis praecedente concessit: magna cum humilitate et demissione ad pedes Sanctitatis Tuae prostratus imploro eandem gratiam pro hac ipsa Dioecesi, cuius fideles non cessabunt rogare Patrem luminum pro incolumitate supremi sui Pastoris et felicitate Sanctae Sedis Romanae, Matris et Magistrae omnium reliquarum Ecclesiarum orbis catholici. — Conimbriae, die 7 Ianuarii 1850. *Antonius Ios. Lopes de Moraes.*

---

996. **Eppus Visensis.** — Ecclesia in suis iudiciis pronunciandis cauta semper et prudens, diuturnam circumspectionem servavit circa tanti ponderis materiam: quamquam agnoverit et commendaverit ut fidem piam, Conceptionem SS.

Virginis immaculatam; atque ipsi *Tridentini Patres,* ubi de peccato originali lucidum decretum statuerunt, illud singularissimum Deigenitricis attributum agnoscere non dubitarunt, — et declaratio, quam fecerunt, Mariam SS. in hoc decreto non comprehendi, plausibile argumentum dat, a labe originali immunem iudicatam esse; maioremque lucem offert doctrina canonis 23 eiusdem S. Concilii Sess. V. de iustificatione; et in decretis liturgicis ipsa Ecclesia, etiam Orientalis, plurimique Pontifices plenissimum dedere testimonium eiusdem fidei, *quae a maxima fidelium parte tamquum dogmatica iam colitur, atque ob omnibus fere Academiis Catholicis iureiurando firmatur, et etiam in canonicis eccles. beneficiorum institutionibus, ut in hoc regno fieri solet.* Si *sacros libros* consultaverimus, illic *invenimus luminosa fundamenta, quae definitionem mysterii sustinerent,* talia sunt: Gen. III. 15. — Cant. II. 2. IV. 6. 7. — Luc. I. 28. Si consulimus scripta *SS. Doctorum Ecclesiaeque Patrum,* Summorum Pontificum, Theologorumque venerabilium, qui ab usque S. Iustino Martyre, Irenaeo, et Tertulliano SS. Virginis immunitatis favere doctrinae, *in omnibus Ecclesiae aetatibus invenimus hanc fidem,* traditione non interrupta, quam ab Apostolis haud temere deducere possumus, quia *secundi seculi Patribus novitatem iam non attulit,* et de ea mentionem faciunt presbyteri et diaconi Achaiae in epistola, in qua S. Andreae martyrium referunt. Praeter testimonia tam conspicua, habemus insuper *continuas deprecationes ad S. Sedem delatas* a plurimis Praelatis venerandis, Imperantibus, piis Canonicorum collegiis, ab omnibus fere religiosis familiis, a literatorum congregationibus, denique a votis prope unanimibus Christifidelium, qui ab religionis incunabulis ostendunt, in animum induxisse, purissimam Deigenitricem legis communis sanctioni singulari privilegio non fuisse subiectam propter altissimam dignitatem, cui Spiritus S. opera destinata fuerat. *Talia sunt, B. Pater, fundamenta, quae persvasionem nostram firmant, animumque dant ad preces nostras submissas tantorum virorum venerabilium postulationibus accumulandas, ut hanc veritatem, Christifidelium cordi innatam, Deigenitrici decorem, atque Ecclesiae solatium praebituram, Sanct. Vestra ab alto Vaticani dogmatice definire et declarare*

dignetur. Non me latet, B. Pater, hanc doctrinam in omnibus fere seculis magis aut minus ab auctoribus haud contemnendis esse impugnatam, sed quae veritas datur etiamsi ab Ecclesia definita, quae impugnationem non pertulerit? *Regnum Lusitanum*, quod titulo Fidelissimi valde gloriatur, ab incunabulis semper dedit indelebilia et perennia testimonia purae et inconcussae fidei atque devotissimae observantiae erga SS. Virginem sub Conc. Imm. augustissimo titulo. In plerisque huius regni civitatibus, pagis, et agris inveniuntur plurimae sacrae aedes plus minusve sumtuosae, Deiparae sub illo singulari attributo erectae et dicatae, atque in omnibus Lusitanae ditionis parochiis Conceptionis Immac. festivitas celebratur generali fidelium frequentia, singularisque exempli pietate; cum dici vere possit, venerationem cultumque peculiarem, quem Lusitani Conceptioni Imm. praestant, nondum infectum esse moribus huius temporis infaustae pravitatis, quibus divina iustitia in populos animadvertit, quin Sponsae Agni immaculati pepercerit. *Historia Lusitanae Ecclesiae factis prodigiosis abundat*, quae exploratum habent, hoc regnum peculiariter protegi potenti subsidio Reginae Angelorum sub immac. Conc. invocatione, hincque partim venit cultus grati animi, praecipuaque pietas Regum, Cleri, Procerum populique Lusitani. Sub illa pia invocatione *Rex Emmanuel* classes suas expedivit ad novas terras inveniendas; ubi mores cultos creavit, lignum SS. Crucis collocans; subque hoc glorioso titulo *Ioannes IV* apud tergeminum ordinem regni in Comitia congregatum se familiam suam, totumque Lusitanum imperium SS. Virginis protectioni commendavit; designans eam Lusitanae ditionis Patronam, iuxta diplomata a SS. Urbano VIII iam obtenta, faciens tributarium se, successores suos, totumque regnum excelsae Virgini sub invocatione illa privilegiata, imperans, ut in eisdem Comitiis cuncti, cum illo eiusque filio primogenito iusiurandum darent profitendi propugnandique usque ad mortem doctrinam de conc. immaculata; quod ita peractum in eorumdem Comitiorum acta relatum est. Cuncti Reges nostri eximia documenta observantiae, firmissimaeque fidei pro immunitate excelsae Patronae totius Lusitanae ditionis, sive magnifica templa condentes, sive amplas donationes

facientes, sive tandem efficaciter protegentes, privilegiaque benigne concedentes sodalitatibus confraternitatibusque in hoc regno a 13 seculo existentibus sub memorata invocatione dederunt. *Petrus II* religiosis Conceptionis Ordinibus amplissimas donationes constituit; *Ioannes V* Papae Benedicto XIII supplicavit, ut de pia fide supremum iudicium pronunciaret; et haec eadem supplicatio a *Iosepho I* eius successore denuo fuit repetita; *Ioannes VI* ab Ap. Sede postulavit et obtinuit varia diplomata, quae alia privilegia concessere insigni Basilicae BM. Conceptionis Villavissosae, in natali solo antiquorum Bragantiae Ducum, unde Lusitani Reges originem ducunt, atque die 6 Ian. 1818 in eadem Basilica ordinem militarem Conc. Immac. creavit, quem amplissimis honoribus, insignibusque decoravit, tandemque Regina fidelissima, quae cum sceptro pietatem simul fidemque maiorum suorum haereditario iure accepit, iam a. 1844 a Sanctitatis Vestrae praedecessore postulavit, ut in Praefatione Missae SS. Virginis gloriosam Conceptionis Imm. invocationem addere permitteretur, quod Sanctitas Vestra iam benigne concessit universae Ecclesiae una cum officio novo Imm. Conc. — Affirmare haud dubito, Capituli huius Eccl. Cathedralis, Cleri, Christique fidelium dioecesis meae venerationem cultumque, quem praestant SS. Virgini sub imm. Conc. titulo, fidemque quam alligant illi peculiari immunitati, evidenter significare sua piissima desideria; illi vero meis supplicationibus adiuncti gratissimam spem concipiunt, Sanctitatem Vestram ab alta sapientia sua supremum iudicium libenter pronuntiaturam de veritate fidelium cordi ingenita, quae observanter colitur, tamquam si dogmatice fuisset definita. — Visonii, Idibus Ian. 1850. *Iosephus.*

---

997. **Eppus Leriensis.** Supra modum gavisus in Domino B. Tuae literas Encyclicas libenti ac observanti animo suscepi, devotoque pietatis tuae erga Deiparam studio obsequutus pari, si licet, Virginem religioso prosequor obsequio; siquidem quasi mecum crevit manetque animo repostum pium ac flagrans amplificandi BV. cultus desiderium ac studiosa

voluntas, maxime conceptionis eius sine originali peccato laude celebrandae; *Sanctorum* enim *Patrum vestigia sequutus, perantiquae traditionis ductus testimonio, omnium piorum pia credulitate motus, proclivi animo huiusmodi Virgini honorificae opinionis placita amplexus sum, ideo optatissimum mihi est, ut B. Mariae intemerata conceptio solemni Ecclesiae iudicio constituatur.* Est haec humilitatis meae opinio inconcussa, BVMariam tamquam Dei Matrem numquam calliditate serpentina circumveniri potuisse, cui diabolici serpentis conterere caput sors obtigerat; perpendenti siquidem Salutationis Angelicae verba ac vim, obversatur animo, nullum in gratiae plenitudine aut tempori aut gratiae modum esse positum. Non me latet, quanto animorum aestu ac partium studio huiusmodi quaestio fuerit agitata, quin Ecclesia irrecusabile iudicium interponere opportunum duxerit: tamen Tridentina Synodus mentem ad rem finiendam pronam satis ostendit, et forsan ob temporis acerbitatem et praecipuam eius curam in haeretica pravitate confutanda impensam dogmatico sese abstinuit decreto; sed temporis processu magis magisque fidelium erga Virginis puram Conceptionem devotio clarescere et augeri coepit, quam spiritali laetitia affectus in populo meae curae commisso observo et servari satago. Simulque universi Cleri in tuenda Conceptione zelus ac studium commendatur, quod etiam in Lusitano fidelissimo imperio viget vigebitque. Lusitana gens Cathedrae Petri firmiter sociata ac addicta, in religioso obsequio Virgini praestando facile omnibus praestat, libens meritoque dogmaticam operitur definitionem. — Nihil sane antiquius Regibus, Clero populoque Lusitano fuit, quam singularia suae devotionis erga VMariam documenta praebere, peculiariter sub honorifico Conceptionis titulo. Satis superque est dicere, Conimbricam Academiam in asserendo huiusmodi privilegio sedulam impendere curam, sacramentoque adstringi, ut conceptionem absque originali labe omni studio tueatur, quin doctoris lauream munusque docendi suscipere quisquam possit absque huiusmodi solemni iuramento. Quapropter in tota Lusitanorum ditione omni acceptatione digna erit plausuque suscipietur Sedis Ap. definitio. — Leriae, 26 Ian. 1850. *Emmanuel.*

---

998. **Vicar. Gen. Albicastrensis.** Cum ab Emin. D. Card. Patriarcha Lisbonensi Administratore Apostolico, huius dioecesis cura mihi sit commissa, officium votaque mea libentissime exolvo, ad Sanct. Vestram has literas scribens, quantumque in me est, satis oneri facio, quod mihi in Encyclica 2 Febr. fuit impositum.— Non me latet, ab aliquibus viris, alioquin doctis hoc BMV. privilegium in dubium esse vocatum. Horum tamen argumenta prae aliis et numero maioribus et pondere firmioribus adeo iudicio meo exigui sunt momenti, *ut mihi non possim non persvadere, BVM. Matrem Dei Reginamque Angelorum absque omni prorsus originali macula fuisse conceptam.* Hic est sensus persvasioque totius cleri, omniumque huius dioecesis fidelium; eam testantur innumera templa in honorem BVirginis erecta, liturgiae, aliaque quamplurima monumenta, quae etiam sunt argumenta magnae nostrorum Regum omniumque Lusitanorum erga immaculatam Virginis Conceptionem devotionis. *Cum vero de Imm. Deiparae Conceptione pia sententia in Traditione et Scripturis saltem implicite contineatur, ut quamplurimi docti demonstarunt, sensuique et publicae totius Ecclesiae professioni sit conformis, pronum inde fit, eam dogmatico decreto posse definiri.* Quin et hoc mihi videtur verissime posse affirmari, decretum istud iis omnibus fore gratissimum, qui immaculatam Virginis Mariae Conceptionem credunt et profitentur, Catholicis videlicet universis, praesertim mihi, clero et omnibus utriusque secus huius dioecesis fidelibus. Albicastri, 25 Febr. 1850. *Iosephus Marques Licte.*

---

2. *Pro conditionata definitione.*

999. **AEppus Braccarensis.** — De flagrantissima devotione, qua huius dioecesis fideles immac. V. conceptionem colunt, dubitari nequit. — *An* vero *exoptent, ut auctoritate apostolica decernatur tam praeclarum privilegium de fide esse credendum, Cleri populique sententiam in eiusmodi re non exquirere censui,* non solum quod in his difficillimis temporibus eiusmodi inquisitio prudens non esset, sed etiam quod aliqui

praesertim mulieres et homines rusticani me de immac. BV. Conceptione dubitare forsitan sibi ispis persvaderent. Quod me attinet, *in ea semper fui opinione, BV. in sua conceptione ab omni peccati labe fuisse immunem.* Aliquoties sponte et ex corde SS. Virginis Immac. Conceptionem iuravi, atque in sacello huius AEppalis domus, cuius sub illo praeclaro titulo BVirgo est Patrona, magna devotione et solemni ritu quotannis summo meo gaudio eius festum celebratur. Nec desunt praeclara argumenta, quae me in hac sententia confirmant. Quis erit, qui SS. Mariam summae puritatis ac turpissimae labis, h. e. Dei et peccati filiam dicet? num Supremi Numinis Mater simul atque sceleris serva esse poterat? cui non absonum videatur divini Solis Genitricem originali caligine esse obscuratam? Quis credat SS. Spiritus domicilium paterna labe esse deformatum? an Deus, summa videlicet illa virtus, sedem sibi conderet vitiosam? an maxima illa sapientia praeeligeret vilem? an divina illa Providentia praepararet sordidam? O factum incredibile! o rem inauditam! *Ast oportebitne, ut circa immac. V. conceptionem supremum iudicium feras ac de fide habendam declares?* Non me latet, a Summis Pontificibus Sixto IV, Pio V, Alexandro VII, Patribusque C. Tridentini non modo quaestionem imm. Conc. SS. V. illis temporibus acriter agitatam in medio fuisse relictam, verum etiam ab ipsis prohibitum, ne haereseos aut peccati mortalis accusentur, qui praeclarum illud privilegium BVirgini eripere contenderent. Veriti sunt prudentissimi Pontifices, Patresque illius Oec. Concilii, ne sua in eiusmodi re suprema decisio gravissima mala Ecclesiae et Reipublicae inveheret. Num hisce turbulentissimis temporibus, in quibus Europa versatur, tua suprema super imm. V. Conceptionem decisio gravissima illa mala, quae laudatis Pontificibus Patribusque Concilii obversabantur, Ecclesiae et Reipublicae afferre poterit? *Quod hanc Ecclesiam attinet, mihi crede, nihil timendum, et hoc idem de reliquis huius regni Ecclesiis sentio, non solum quod in hoc regno iamdudum de Conceptione BV. non dissentitur, sed etiam quia fideles Imm. Conc. tam alacriter venerantur, ac si de fide esse credenda ab Ecclesia fuisset decreta.* Quoad aliorum Regnorum Ecclesias vero tu ipse iudicabis. Igitur *si tibi videtur,*

quod de illo tuo in eiusmodi re supremo iudicio aliis in regnis, quemadmodum in hoc religiosissimo regno, nihil est, quod sit timendum, illud vehementer exopto, atque huius Ecclesiae Clerum et populum exoptaturos esse credo. — Braccari, 24 April. 1849. *Petrus.*

1000. **Card. Patriarcha Olyssiponensis.** Tuas venerabiles literas datas Caietae die 2 Febr. a. 1849 observantissimo simulque laetissimo animo accepi. Nihil enim mihi potius, nihil antiquius, nihil profecto gratius ac optabilius, quam et tuis piissimis mandatis fideliter obedire et meis exiguis viribus contribuere, ut solemni Ecclesiae et Apost. Sedis iudicio decernatur ac extra omnem dubitationis aleam collocetur colendissimum et singulare privilegium immac. Conc. SS. Deigenitricis. Nam hoc venerandum mysterium et piorum parentum institutione constantique Lusitanae Ecclesiae traditione formatus a teneris annis semper fideliter credidi; et alumnus ac professor Conimbricensis Universitatis eius statutis sponte ac libenter obtemperans, profiteri ac defendere saepius iuravi; et insequenti studio ac meditatione gravissimorum theologicorum operum luculentissimis ac firmissimis argumentis tam evidenter apertum et demonstratum perspexi, ut iam pridem persvasissimum habuerim, nihil omnino deesse, ut ipsum possit ac debeat dogmatica Ecclesiae definitione confirmari; et denique tam singulari praedilectione ac praecipua devotione hucusque sum prosecutus ac veneratus, ut eius festum utpote Lusitano populo solemnius post festivitatem Resurrectionis Domini per singulos annos elegerim ad impertiendam Papalem benedictionem vice meae electioni concessa. Itaque nihil mihi gratius ac optabilius erat, quam statim nullaque interposita mora ad te, B. Pater, mandatum dare responsum. Sed cum mihi, simulac tuas literas accepi, compertum esset, Reginam Fidelissimam Mariam II suorum praedecessorum pietate devotione ac desiderio flagrantem iam aliquot adhinc annis per suum apud S. Sedem Ministrum ad B. Pontificem Gregorium XVI supplicem postulationem pertulisse, ut in sacra liturgia ac praesertim in Praefatione Missae de

Conc. vocem ,Immaculata' palam publiceque enunciare addereque liceret; et praeterea observarem hac tunc urbe coepisse summo studio perquiri ac meditari nonmodo antiquissima et praeclarissima hac de re Lusitanae Ecclesiae, Lusitanique imperii monumenta, Lusitanorumque theologorum gravissima opera, sed etiam et praesertim recentissimas ac praestantissimas dissertationes Emin. Card. Lambruschini, clarissimorumque Theologorum Ioannis Perrone et Caietani Mariorelli, quarum scilicet prima maximi pretii in vulgare translata cum eruditissima praefatione, et secunda cum dedicatione tuaque honorificentissima acceptione hic in lucem editae et maxima diligentia et alacritate copiosissime per totam Lusitaniam diffusae sunt: prudentiae officiique mei esse duxi, meum optatum responsum differre, donec haec omnia luculentissima opera omnibus Lusitanis fidelibus nota esse possent; et his satis perpensis, evidentius appareret, quid inpraesentiarum de re gravissimi momenti senserint quidque optaverint omnes Antistites, Universitatis Professores Doctoresque, Theologi, Clerus, simulque Regina Fidelissima universusque populus christianus Lusitani imperii. Nunc vero uno fere anno decurso, *cum nulla in contrarium testimonia argumentave sciam fuisse producta, imo vero probe cognoscam unam esse omnium Lusitanorum fidelium fidem, unum esse pientissimum desiderium: mihi iucundissimum est non pro me tantum dare responsum, sed etiam pro universo clero ac populo huius Patriarchatus totiusque Lusitani imperii, maximeque pro Regina Fidelissima, quae quidem mihi et omnibus Regni Antistitibus dignata est Regiis literis 26 Dec. 1849 suam firmissimam fidem eximiamque devotionem erga immac. SS. V. Conceptionem solemniter profiteri.* Te igitur, B. Pater, nunc summa consolatione affectus certissimum facio, *nos, omnes christianos Lusitani regni, firmiter fideliterque credere ac una voce confiteri, BVM. Deigenitricis Conceptionem fuisse Immaculatam, ac ab omni prorsus originalis peccati labe immunem, vehementerque optare ac Sanct. tuam enixo studio deprecari, ut haec piissima sententia verissimaque doctrina tamquam Ecclesiae Cath. dogma ab Apost. Sede definiatur ac decernatur.* Haec est profecto Lusitanorum antiquissima et firmissima fides, haec sunt constantissima et ardentissima vota,

quae tot tamque praeclara et ecclesiastica et civilia monumenta testantur; ut non facile sit reperire aliquam aliam gentem, quae singulare immac. Conc. privilegium antiquiori constantiori solemniori studio prosequeretur, firmiori fide profiteretur maioreque devotione ac amore coleret, et hucusque privatim publiceque veneraretur. *Num vero huic optatae definitioni opportunius tempus iam advenerit, nec amplius timenda sint, quae Patribus Tridentinis Summisque Pontificibus usque nunc impedimento fuere,* numque desiderato postulatoque decreto aliquam moram adferre debeant et turbulentissimus ac omni auctoritati infensissimus multorum populorum status hodiernus, et impia insidiosissimaque Protestantium et omnium Cath. Ecclesiae hostium molimina, qui non desinunt sugillare tamquam nova dogmata, quae in Ecclesia Cath. decernuntur, eiusdemque Ecclesiae infallibilitatem, divinae traditionis existentiam, et Ap. Sedis auctoritatem totis viribus oppugnare conantur: *id tuo sapientissimo ac prudentissimo iudicio relinquendum esse censeo:* firmissima enim spe nitor, ut tu divini Spiritus luce perfusus omniaque perpendens, illud consilium susceptnrus sis, quod ad maiorem divini Numinis gloriam, BVirginis laudem, et militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere. — Quoniam mihi nunc compertum est, te die 3 Aug. proximi a. 1849 Apostolico Indulto FF. Minoribus strictioris Observantiae discalceatorum Regalium provinciae S. Petri de Alcantara et S. Paschalis de Baylon in regno Neapolitano concessisse Vigiliam sine ieiunio cum Missa propria in die 7 Decembris: te etiam, B. Pater, deprecor, ut ad hunc Patriarchatum et omnes Lusitani Regni Ecclesias hoc Indultum extendere digneris; hoc enim et huic solemnissimae in Lusitania festivitati quam maxime congruit, et Lusitanorum eximiae devotioni gratissimum erit. Utinam sic magis in dies ubique aucto SS. Deigenitricis cultu, per eius omnium nostrum amantissimae Matris potentissimum apud Deum patrocinium assequamur, ut Deus O. M. humiles fervidasque preces, quas ego clerusque meus quotidie effundimus, clementer exaudiat. — Olysipone, 12 Febr. 1850. Guilelmus *Card. Henriquez de Carvalho.*

1001. **Eppus Lamacensis.** — De gravissimi ponderis negotio in supradictis literis (2 Febr. 1849) agitur, nempe de convenientia et opportunitate decernendi solemni Ecclesiae et Ap. Sedis iudicio, B. Deigenitricem immac. V. Mariam absque labe originali fuisse conceptam. Notoria certe est omnium fidelium non solum dioecesis Lamacensis sed etiam totius regni Lusitani doctrina, qua credunt et confitentur tamquam ab Ecclesia Cath. iam definitum, BVMariam absque labe originali fuisse conceptam, ideoque, *si solemni Ecclesiae et Sedis Ap. iudicio definiatur tamquam dogma fidei, ego et omnes meae curae commissi magno cordis gaudio talem definitionem suscipiemus: et hoc firmissime assero, SS. Pater. Sed tamen si in actuali rerum statu sit opportunius quam fuerat tempore aliquorum Summorum Pontificum venerabilis recordationis, et doctissimorum Tridentini Concilii Patrum, talem decisionem proferre, non audeo opinionem emittere.* Maxima tua sapientia, tot virorum doctrina et pietate illustrium consiliis munita, et divina gratia illustrata, secure poteris iudicare, si et quando definitio, de qua agitur, opportuna sit. — Olysipone, 25 Febr. 1850. *Iosephus.*

1002—1011.

Responsa ex Hibernia ad Encyclicam Pontificiam.

a. 1849—1853.

1002. **AEppus Casseliensis.** Magno cum gaudio accepi literas, quas mihi indigno simul cum fratribus in Eppatu per orbem catholicum de immac. conc. BMV. nuper scripsisti. Pressus licet, non vero oppressus calamitatibus, quas contra te amantissimum omnium Patrem concitarunt homines malignantes et operantes iniquitatem, haud tamen unquam immemor eras gloriosae Virginis Deiparae; sed quo vehementius ingravescebat tempestas ex imo inferno, contra eo maiori et fiducia et amore erga Stellam maris oculos convertisti. Qua enim pietate a teneris annis eam ipse coluisti, et dignitatis Eppalis gradum adeptus omnibus colendam

praedicasti, eadem nunc Pontifex factus summa qua polles auctoritate honorem SS. Deigenitricis per totam Ecclesiam promovere studes, parvi faciens aerumnas tuas, dummodo corda omnium eodem quo ipse in Mariam flagras ardentissimo amore inflammare possis. — Quid ego ipse sentiam vel exoptem, parum equidem refert. Quoniam vero me tali honore dignaris, pari cum reverentia propter tuam voluntatem et humilitate propter indignitatem propriam respondendum superest, quid sentiam et optem. Sentio, *BVMariam fuisse sine labe originali conceptam. Haec videtur Ecclesiae Cath. antiqua traditio,* quae colligi potest ex biblicis argumentis, ex Patrum atque Scriptorum Eccl. testimoniis, ex Liturgiis, ex Euchologiis, ex celebratione festi in honorem Conceptionis BMV., ex argumentis theologicis magni ponderis a Scriptoribus magni nominis saepe saepius adductis, ex variis Summorum Pontificum decretis, et ex communi sensu et pietate Ecclesiae. *Haec omnia in gratiam huius dogmatis evidentiam accumulativam praebent,* insistendo canoni Vincentii Lirinensis, ut id teneatur, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Ita quum sententiam iuxta communem Ecclesiae sensum, *vehementer etiam desidero* iuxta commune fidelium desiderium, *ut qui nunc honor BVirgini sine labe originali conceptae quasi spontanea devotione praebetur, idem etiam solemni Ecclesiae et S. Sedis iudicio decernatur. Idem sentit et vult Clerus noster*, cui in Synodo Dioecesana congregato tua pientissima vota explicui et meam sententiam proposui et eius etiam excepi. Quod ad populum refert, ardentissimo pietatis sensu populus fidelis dioecesis nostrae sicut et totius Hiberniae BVirginem numquam non coluit, firmiter credens, eam non solum omnibus hominibus et Angelis esse longe perfectiorem, verum etiam esse ornatam omni et puritate et perfectione in summo gradu, qui creaturae sub Deo competere potest; quae quidem si non explicita, attamen plane implicita est fides in immac. Conc. BMV. Fidei tam firmae, pietati in S. Virginem tam ardenti respondet populi fidelis desiderium, ut immaculatae dulcissimaeque Matri Dei omnis honor et gloria pro summa eius dignitate praebeatur, unde simul cum Eppis et Clero sententiam definitivam Ecclesiae et S. Sedis de im-

mac. Conceptione sicut nunc pie desiderat, ita et posthac datam maximo cum gaudio in reverentia excipiet. — Thurlesii, 2 Aug. 1849. *Michael Stattery.*

1003. **Eppus Alladensis.** — Coram Clero in unum coacto ad conferendum de rebus theologicis, — monui, ut ad proximas insequentes collationes mihi significarent, qua devotione ipsi populusque fidelis erga imm. V. conceptionem sint animati. Ubiprimum deinde convenerunt ad conferendum de rebus theologicis, me certiorem fecerunt, in suis paroeciis populum fidelem quam maxima devotione BVMariam Deigenitricem semper coluisse et colere, sed de sententia imm. Conc BVM. utpote ab Ecclesia nondum definita se ob varias bullas et constitutiones Summorum Pontificum fere siluisse, sed de veritate piae sententiae nihil dubitasse, quinimo de ea moraliter certos esse. Quod ad me attinet, ex quo de ea quaestione iudicium formare potui, sentiebam et sentio, *BVMariam, quae caput serpentis erat contritura, numquam ne uno quidem instanti serpentis ditioni subditam fuisse,* eam semper Spiritus S. amicam fuisse, totam pulchram, in qua macula non fuit, gratia semper plenam nulloque tempore ea carentem, benedictam inter mulieres propter culpam originalem maledictas, et haec sentio esse inter magna, quae illi fecit qui potens est. Haec, opinor, sunt, quae moverunt Sixtum IV immac. V. conceptionem ‚miram' vocare; cur miram si non immaculatam? Haec sunt, quae Ecclesiam moverunt festum Conceptionis celebrare, et in sensu quidem piae sententiae iuxta bullam Alexandri VII. Haec sunt, quae Concilia quaedam moverunt piam sententiam tantum non de fide definire, et Concilium Tridentinum Beatam et Immaculatam V. Mariam Deigenitricem non comprehendere in decreto de peccato originali. Denique si ab omni labe peccati actualis etiam venialis immunis fuit BVMaria, ut tenet Ecclesia, inde sequitur, quod maculam originalem non contraxit, cum fieri non possit, ut qui hanc contraxit, non incidat in peccatum actuale, nisi ex speciali Dei privilegio. — Ballinae, 15 Aug. 1849. *Th. Feeny.*

1004. **Eppus Corcagiensis.** — De veritate immac. Conc. BMV. nec Clerus nec Religiosi dubitaverunt. Pauci quidam timidi verentur, ne fidei hostes veteres et infensi, apud quos versamur, sanctam Christi Ecclesiam iterum insimulent, quasi Dei Verbo nova additamenta faceret, si novus fidei articulus credendus proponatur. Longe plures vero et *fere omnes, apprime scientes, quod haeresis numquam mentiri cessabit, vehementer exoptant, doctrinam imm. Conc. inter dogmata fidei habendam solemniter declarari.* Laici nostri zelo et devotione erga Dei Matrem, necnon obedientia ac reverentia erga S. Sedem semper insignes, sed in quaestionibus theologicis investigandis parum versati, Christi Vicarii iudicio assensum plenum et promtum haud dubie praebebunt. Unum solum inveni, ex secta protestantium in gremium Ecclesiae Cath. receptum, repugnantiam exhibere. Pro me ipso *auctoritas et testimonia Patrum et Doctorum in seculis praeteritis doctrinam tam lucide declarantium,* studium insigne et publice manifestatum totius pene mundi catholici in diebus nostris, *me haud cunctanter impellunt, suffragium meum precibus fidelium addere, ut veritas in hac lacrymarum valle peregrinantibus consolationis adeo plena, — hactenus ab Ecclesia implicite credita, nunc omnibus subiectis ei explicite ad credendum a Patre fidelium, Petri successore, formaliter declaretur.* — Corcagiae, 9 Sept. 1849. *Guilelmus Delany.*

1005. **Eppus Elphinensis.** Georgius Eppus — consultis suis sacerdotibus iam festinat Sanct. Vestram certiorem facere, *eos omnes ab illa sententia abhorrere, quae quidquam, quod servitutem indignitatem vel quamlibet foeditatem in Regina hominum Angelorumque redolet, adstrueret, atque secum firma fide credere, gloriosam Deigenitricem absque peccati originalis macula fuisse conceptam.* Haec doctrina, quae tantopore in honorem ac dignitatem Dei Matris redundat, talibus tantisque indiciis divinae veritatis nobis iam instructa videtur, nostris mentibus ita insedit ac affectibus nostris inseritur, *ut non solum existimemus eam constitui posse inter fidei catho-*

licae dogmata, sed etiam vehementer desideremus, quod tandem aliquando Sanct. Vestra definiat ac universali Ecclesiae credendam proponat. Haud expedire iudicavimus explorare sensum plebis nostrae curae commissae, praesertim cum vix ac ne vix quidem quaestionem intelligat, licet nulla dominici gregis portio maiore et ferventiore devotione atque amore Virginem Deiparam prosequatur. — Notandum est, in consulendis sacerdotibus dioecesis quosdam abfuisse, sed moraliter certus sum, quod omnes in iisdem sententiis unanimiter concurrunt. — Sligo, 11 Oct. 1849. *Georgius I. P. Browne.*

1006. **Eppus Midensis.** — Explorato iam atque comperto sensu sacerdotum atque populi fidelis huiusce dioeceseos, Sanct. Vestram certiorem facere propero, *eos mecum firma fide credere, SS. Deigenitricem absque ulla peccati sorde conceptam fuisse.* Illa imbuti sumus opinione, quod nullus omnino sit, qui sat illustria et gloriosa de Maria V. praedicare aut dignitatis eius magnitudinem animo concipere queat; semper abhorruimus ab ista sententia, quae illam vel ad momentum tamquam diaboli mancipium et detestabili iugo peccati subditam exhiberet. Si BVirgo unquam fuisset labe peccati infecta, si actu in Adamo peccatrix aliquando extitisset, Deus profecto etiam Mariam tamquam impiam odio habuisset. Absit, ut hoc credamus. *Existimamus insuper, ad hanc singularem praerogativam Mariae dogmatice definiendam rationes solidas ac sufficientes reperiri,* sin minus in S. Scripturis, saltem in Patribus, in universali consvetudine Ecclesiae atque in communi sensu fidelium iam innumeris indiciis ac documentis publice prodito et contestato. Cumque nobis persvasum sit, quod eiusmodi definitio magnopere redundaret in laudem ac gloriam SS. Dei Matris, ac idcirco in emolumentum universae Ecclesiae, quodque foret catholicis omnibus gratissima, laetitia maxima certe exultabimus, si Sanct. tuae diebus nostris eam edere visum fuerit. — Mullingar, 4 Ian. 1850. *Ioannes Cantwell.*

1007. **AEppus Armachanus.** Vix arcano Dei consilio Sanctitas tua dignata est me ad Eppalem dignitatem promovere, obstante licet mea tam virium quam meritorum inopia, cum statim mecum animo revolvere coepi, quid inprimis acceptabilius Deo esset, quod in grati animi mei significationem ipsi praestare possem. Nec longius me haerere opus fuit. Nam literae a Beatitudine tua ad omnes cath. orbis Eppos die 2 Febr. anni proxime elapsi missae, ad eorum de immac. BV. Conceptione sententiam explorandam, id quod desiderabam suppeditarunt. Persvasum enim mihi erat, Deo nihil gratius esse posse, quam quod ii, qui munere pastorali funguntur, pro viribus certarent, ut ipsius Virginis Matris laudes ac privilegia apud homines magis magisque innotescerent. Quapropter *arbitratus sum, B. Pater, exordium sacri officii, quod mihi concredere dignatus es, ducere a supplici prece, quam modo Beat. tuae humillime porrigo, ut Beatissimam Deigenitricem semper immunem ab omni peccati originalis labe solemni ac infallibili definitione veluti cath. fidei dogma declarare digneris.* Hanc veritatem plura Scripturarum loca iuxta SS. Patrum interpretationem testantur, sacra catholica traditio proclamat. Maria a SS. C. Tridentino non modo a decreto, quo omnes a peccato originali infectos fuisse statuit, expresse excepta fuit, verum etiam Immaculata praedicata est. Quam quidem vocem intelligendam esse non de Virginis a peccato veniali sed originali exemtione vel ex eo patet, quod tunc Mariam Immaculatam Patres praedicent, cum de peccato originali ex professo tractant, talem honoris titulum omnino reticentes, cum de ipsius a peccato veniali exemtione posterius egerant. Sed ut innumera fere, quibus praeclarum hoc privilegium comprobatur, argumenta praetermittam, id ab universa Ecclesia ut veritas catholica tenetur et colitur. Maria enim a crudeli infernalis hostis dominatu semper immunis, de tenebrarum potestatibus semper victrix, teterrimum antiqui serpentis caput suo pede virgineo semper conterens, Maria, inquam, ab omni vel minima peccati originalis labe semper immaculata ab ore omnium non modo indocti vulgi sed doctissimorum virorum, praeclarissimorum Antistitum, florentissimarum Scholarum et Academiarum praedicatur et colitur.

Et hoc non tantum in privatis fidelium orationibus, sed et in publicis Ecclesiae supplicationibus, in ipsa sacra liturgia, iuxta praxim hodie receptam omnium fere orbis catholici Ecclesiarum, ipsa non modo permittente sed et duce illa, quae ceterarum Ecclesiarum est mater et caput, SS. Romana Ecclesia. Quapopter enixe precor una cum aliis fere omnibus Ecclesiae Cath. sacris Pastoribus, ut ex suprema B. Petri Cathedra, cuius successor dignusque fidei et potestatis haeres existis, dogmatico et infallibili decreto definire digneris, BV-Mariam Deigenitricem absque ulla originalis peccati labe fuisse conceptam. Quae quidem definitio Ecclesiam Christi tam regnantem in coelis quam in terris militantem gaudio et laetitia replebit et universum Christi gregem novo et opportuno augebit subsidio. Si enim Maria misericordiae Mater pro minimis fidelium obsequiis maxima rependere solet, quid ab ea sperandum non erit, cum novo ac tam praeclaro gloriae diademate a Beat. Tua, Filii sui in terris Vicario, fuerit honestata? Exurget utique in virtute sua, omnes haereses, quas in universo mundo sola interemit, iterum peremtura; exurget in defensionem B. Tuae ac populi tui, i. e. universi Christi gregis, ut eorum hostibus tandem subactis, cuncti Christiani Maria adiutrice sub te unico ovilis Pastore diuturna pace in terris gaudeant, perpetua postea tecum potituri in coelis. — Romae ex Collegio Hibernensi, ipso consecrationis meae die 24 Febr. 1850. *(Paulus Cullen.)*

1008. **AEppus Dublinensis.** (Ad Praefectum Congr. de Prop. fide.) — Gaudeo quamplurimum, me posse nunciare, quod ex relatione, quam accepi, omnino patet, devotionem fervidam ac pietatem vere filialem erga gloriosissimam Deigenitricem ubique apud nos praevalere et magis magisque in dies crescere. *Gratias quoque Deo ago quam maximas, quod omnes fere huius dioecesis catholici firmiter adhaerent sententiae illi piae et SS. Salvatori nostro honorificentissimae,* Matrem scilicet eius purissimam numquam fuisse vel minima peccati umbra maculatam, ac proinde sine ulla labe peccati

originalis fuisse conceptam. Haec dulcis sententia menti meae alte semper infixa est: sed fateri oportet, quod sunt inter nos aliqui, perpauci quidem ut credo, qui aliter sentiunt, putantes, haud satis perspicue revelatum esse, quod SS. V. Maria non debuit sicut ceterae Adami filiae clamare ‚in peccatis concepit me mater mea', quamvis libentissime agnoscunt, quod per praevisa merita futuri eius SS. Filii ille, qui potens est, eam statim ab originali culpa liberavit, eamque ditissimis gratiis reddidit plenam. Inter eos, qui ita privatim sentiunt, duo Parochi mihi noti sunt, qui tamen piissimo affectu erga SS. Deigenitricem inflammantur, et ad devotionem fidelium erga eam promovendam sunt studiosissimi. Nunc autem ad id, de quo Sanctitas Sua praecipue inquirere dignata est, utrum scilicet necne ad gloriam Dei promovendam expedire videretur, ut S. Sedes per dogmaticam decisionem declararet de fide credendum esse, quod SS. V. Maria numquam etiam in primo conceptionis instanti vel minimam peccati maculam passa sit: hic sententiae concordes non sunt. *Maior* quippe *pars sacerdotum huius dioecesis opinatur tempus advenisse, cum doctrina de immac. Conc. SS. V. Mariae adeo universalis esse constat, ut tamquam articulus fidei promulgari possit et debeat. Sed pars haud spernenda gravium, piorum, ac eruditorum tam sacerdotum quam laicorum aliter sentiunt: et, quamvis indubie credant SS. Salvatoris Matrem ab omni macula peccati originalis fuisse semper immunem, minime credunt expedire, ut doctrina illa quantumvis vera fidelibus proponatur tamquam fide divina credenda:* idque propter has praecipue causas: 1. Decisio dogmatica super hac re, de qua nulla est disceptatio, videretur illis Ecclesiae praxi contraria; quoniam hactenus decisiones huiusmodi tunc tantummodo editae sunt, cum haeretici sacram doctrinam impetere sunt ausi; et nulla satis gravis causa illis innotescit, cur in praesenti casu ab antiqua consvetudine discedere oporteret, et in novitatis notam incurrere. 2. Conceptio immac. BMV. ubique fere pacifice creditur, et a nemine publice impugnatur; et multo tutius pro religionis pace opinantur quieta non movere, quam nulla urgente necessitate quaestionem de novo fidei articulo agitare, in praesenti animorum statu, cum mentes hominum etiam catholico-

rum tam in regionibus exteris quam in ipsa Italia nimis proh dolor! propensae sunt ad limites eccl. potestatis sine debita reverentia ad trutinam revocandos. 3. Vix auderent sperare, fore, ut devotio erga BV. quae iam in cordibus fidelium ubique viget, multo augeri posset per solemnem decisionem, eam fuisse semper immaculatam; dum ex altera parte Ecclesia iam late oppugnata novis assultibus exponeretur ab exacerbatis et semper vigilantibus hostibus, qui occasionem procul dubio inde arriperent garriendi: ‚En Ecclesia Cath. novum post secula excogitavit fidei articulum, nec ubique, ut patet, nec semper, nec ab omnibus creditum! Quaenam igitur lux nova Ecclesiae illi nunc affulget, quae Concilio suo Tridentino negata fuit?' Huiusmodi fallacias Catholicus bene instructus facile diluet, sed timendum esse putant, ne mentes simplicium inde turbari possent, et eorum etiam fides forsitan quassari. 4. Timent denique, ne Protestantes plurimi, qui ut speratur vergunt nunc versus Ecclesiam Cath. desiderantes refugium a semper variantibus erroribus suis ibi invenire, a nobis longius arceantur propter hunc novum articulum fidei recenter, ut illis forte videbitur, excogitatum. — *Inter eos, qui ita sentiunt, sunt PP. Iesuitae qui Dublinii degunt, omnes fere Professores collegii nostri nationalis apud Maynooth, et alii multi tam sacerdotes quam laici, qui religionis zelo sunt conspicui.* Et sciens eorum piissimum affectum erga benedictam Dei Matrem, eorumque desiderium ut ubique honoretur et devotione ardentissima colatur, *eorum sententiam nequeo parvi pendere, ideoque non audeo svadere, ut decisio dogmatica a S. Sede exeat,* declarans de fide credendum esse, SS. V. Mariam fuisse sine labe peccati originalis conceptam, quantumvis certum sit, doctrinam illam esse veram. Sed quidcunque S. Sedes ea de re decreverit, a me meisque tamquam divino afflante Numine decisum cum summa docilitate accipietur. — Dublinii, 18 Sept. 1849. *Daniel.*

1009. **Eppus Clonfertensis.**— Utentes ea prudentia, qua singulis Eppis duci permisit Sanctitas Vestra in precibus ordinandis, eas indicere distulimus. Degunt (Eppi) inter hae-

reticos, qui, sicut inveterato usu assolent, occasionem forsan arriperent conviciandi BVirginem, et Ecclesiam Cath. impeterent apud imperitos, quasi articulos fidei non revelatos e propria penu conditurum. — Moram autem fecisse nec ex defectu zeli pro honore et gloria amantissimae Matris nostrae BVM. nec ex defectu obsequii demississimi erga Sanct. Vestram exinde patet, quod laete et animo gratissimo uti festinavimus privilegiis provinciae Tuamensi, dum Romae ageret ill. Metropolitanus noster, concessis; iisque fulti mandavimus in Praefatione Missae, et Litaniis addi verba, quibus indicat S. R. E. se credere, Matrem Dei ab omni labe originalis peccati servatam fuisse. — Gratissimum equidem mihi est Sanct. Vestrae referre, in tota hac dioecesi, sicut et in omnibus aliis nationis nostrae cath. Hiberniae, ardentissimo religionis affectu coli BVMariam. Ipsi famulantur agmina fidelium, qui vel Ordinibus Dominae nostrae de Monte Carmelo, vel Sodalitatibus Rosarii adscripti sunt, vel ipsius cor immaculatum speciali honore prosequi laetantur. Ad ipsam auxilium capessentes fidenter confugiunt poenitentes; ipsius patrocinii ope gradum in via perfectionis ardua facere expectant pii. — Controversiae circa illud privilegium eximium olim motae prorsus ignari fuere laici nostri, munerisque mei duxi eorum pietatem non offendere ipsis nuntiando, quosdam extitisse catholicos, qui sentirent Virginem illibatam peccato originali fuisse maculatam, Matrem Dei vel momento temporis fuisse filiam irae, sponsam Spiritus S. vel uno instante foedatam esse mediante spiritu nequam, Reginam coeli extorrem fuisse regno filii, morsum infernalis serpentis ipsam passam esse cui datum fuit ab initio caput eius conterere: haec a catholicis dicta vix crederent nostrates, simplices Virginis cultores, aut credentes non parum scandalisarentur. Ex his pronum est colligere, *quam laeti decretum sunt excepturi, quo, iudicante successore S. Petri, ipso Capite Ecclesiae, opportune confirmabitur et extra omnem litem in aeternum ponetur gloriosus ille titulus, quo iam per multa secula Matrem Dei immaculatam gratulans salutat orbis catholicus.* Et quoniam dignata est Sanct. Vestra meam sententiam de re ista votumque exquirere, qua par est humilitate iudicium meum proferens respon-

dendum censeo: *mentem Ecclesiae adeo manifestam esse, ut locus amplius non sit haerendi vel circa ius vel circa opportunitatem solemne illud decretum emittendi*, tamdiu et tam enixe postulatum. Nunc citra omne dubium constat, Dei Matrem sine labe fuisse conceptam. Testimonia consentanea tot Ecclesiarum per universum orbem sparsarum hanc sententiam ubique in Ecclesia Cath. vigere probarunt. Ipsa domina et mater omnium Ecclesiarum idem se credere testatur. Dies festi sanciti a Sede Ap. nescia erroris ad hanc piam fidem inculcandam et fovendam, librique liturgici pari intentione approbati satis superque eius veritatem adstruunt. Congruit S. Scripturis, et plurimis SS. Patrum oraculis sustentatur. Illam impetere iamdiu vetitum est. Certissime Eppi orbis catholici in suis ad S. Sedem responsis missis aut mittendis expetent hanc veritatem non tantum ab impetitione protegi, sed et ab omnibus tenendam proponi. Equidem S. Sedis Apost. decretum ita afformari convenit, ut, dum in tuto ponet ipsam veritatem, nulla nota iniuriosa inurat errores praeteritos, in quos lapsi sunt homines etiam pii et docti. Simulque iudicabit S. Sedes Ap. quomodo revelata censenda sit veritas definienda, utrum scilicet directe vel indirecte, utrum nota fiat mera evolutione alterius veritatis revelatae vel laboriosa deductione indigeat. His omnibus pro sua sapientia a Sede Ap. pensatis, et Summum Pontificem dirigente Spiritu Sancto, merito definietur: *Ecclesiam non falli, dum iuxta piam, veram, atque ab omnibus tenendam sententiam B Virginis ab omni labe immunitatem in primo eius conceptionis momento celebrandam proponit.* Lubenter adhaeremus iis, qui maxima beneficia Ecclesiae universae istam definitionem esse allaturam sperant et censent. In his luctuosissimis diebus, in quibus fere nimis angustiata est S. Dei Ecclesia, ope specialissima BVMariae indiget. Sperandum et confidendum est, quod permota singulari huius nostrae in ceteris miserrimae aetatis obsequio vicem redditura sit singularis patrocinii, quod nos efficaciter proteget ab insidiis hostis antiqui, et Ecclesiae militanti dabit pacifice triumphare de inimicis Filii sui adorandi generisque humani. — Longhreae, 13 Ian. 1850. *Ioannes Dervy.*

1010. **Hiberniae Praesules in Plenaria Synodo Thurlesiensi 1850, omnes, nullo excepto, pro dogmatica definitione se enunciant.** Cum post interceptam per complura secula Conciliorum totius huius regni celebrationem tandem hortante Beatitudine tua teque auspice in unum convenerimus, ut plenarium Hiberniae Epporum celebraremus Conventum, et de rebus ad Ecclesiam nostram spectantibus consilium iniremus: statim animo revolvere coepimus, quid inprimis Deo acceptabilius esset, quod ob fidem nostram inter plurimorum seculorum calamitates servatam et libertatem nostrae denuo Ecclesiae restitutam in significationem grati animi praestare possemus. Nec cur diutius dubii haereremus opus erat. Nam literae a Sanct. tua ad omnes cath. orbis Eppos die 2 Febr. 1849 datae, ad eorum de BVMariae immac. conceptione sententiam explorandam, id quod nobis in votis erat suppeditarunt. Persvasum enim erat nobis, nihil Deo gratius esse, quam quod ii, qui pastorali funguntur munere, pro viribus certarent, ut Virginis SS. laudes et excelsae dotes magis magisque innotescerent et clariore luce ponerentur. Id vero praecipua quadam ratione nobis incumbit, cum ex veteribus documentis Virginem ipsam ut Patronam totius Hiberniae singulari cultu invocatam iam apud nos fuisse pateat, et nos ipsi eam ut Patronam nostram sub titulo immac. Conceptionis in posterum colere statuerimus. Quare, B. Pater, *inter prima huius nostri Concilii gesta statuimus, supplicem hunc tibi libellum exhibere, enixe rogantes, ut omni controversiae de immaculata BV. Conceptione, solemni iudicio edito, finem imponeres.* Eo autem confidentius hunc supplicem libellum exhibemus, quod doctrina, de qua agitur, quaeque in mentem nostri populi alte est infixa, SS. Literarum sensui et Catholicae Traditioni apprime conformis existit. Quis autem ea omnia, quae in Ecclesiae monumentis de SS. Deigenitrice egregie habentur, memorare posset? Maria quippe a crudelis infernalis hostis dominatu semper immunis etc. *(ut in litera AEppi Armachani, paulo supra, laudata.)* — (Subscripti: 4 AEppi, 17 Eppi, 3 procuratores Praesulum absentium et Abbas Ord. Cisterc.)

1011. **Eppus Rosensis** (neoelectus, post Synodum, 1853.). Cum ad notitiam pervenerat, id inprimis Beat. Tuae cordi esse, ut universi cath. orbis Eppi suam sententiam exprimant de convenientia solemniter fidelibus proponendi fidem de immaculata Virginis conceptione; et quum persenseram haud longe iam abesse, quin Apostolica tua Sedes solemni veritatis huius definitione Ecclesiam consoletur et recreet: non poteram continuo non agnoscere mirabilem divinae benignitatis dispositionem, qua coelestis Providentia quemadmodum in anteactis chbistianae dispensationis seculis, ita et in seculo nostro adoptivis in fide filiis ista veritatis sanctione sic esset provisura, ut eorum mentes nova quidem luce illustraret, fidem confirmaret, vacillanti suppeditaret robur, erroribus distractum in veritatis semitam revocaret. Ecclesiae enimvero historiam percurrens, servatam eam semper agendi rationem haud poterit non agnovisse, ut succrescentibus erroribus clarius proponeretur veritas, et ne quispiam falsa specie deceptus pro auro aurichalcum amplecteretur, profanae novitatis vanitas detecta esset, eique opposita speciosa vetustas veritatis. Ceterum quot heu seculo isto nostro pullulare errores non videmus! Quot novitates tum de Christo Deo, tum de Beata eiusdem Virgine Matre blasphemis labris non proferunt, qui falso nomine sive Illuminati sive Rationalistae audiunt; et quum Salvatoris excelsa merita haud denegent, simulque Virginis excellentiam fateantur, utrumque tamen in communem et plane identicam aliorum hominum sortem relegant, eosque nonnisi humanae perfectibilitatis evolutione alios transscendisse homines, et suum qualemcunque excellentiae apicem attigisse. Eo vero perniciosiores sunt eiusmodi errores, quod magno eruditionis apparatu instruantur, quodque eorum auctores captiosae philologiae, sophisticae SS. Scripturarum interpretationi, et peregrinarum fere omnium scientiarum familiaritati innixi divinis eloquiis suam doctrinam svaderi clamitent, revelationeque ipsa postulari, sicque figmentum suum veritatis larva adornant, et incautis melle venenum propinant. Et quot filiorum casus in Americae praesertim et Germaniae regionibus Ecclesia non plorat, dum hisce apparentiis seducti, a Patribus acceptam veritatem respuentes, sese ad

eiusmodi humanae sapientiae fabulas convertunt. O miram igitur atque perennem in Ecclesia Providentiae benignitatem! quae nimirum Ecclesiae in hisce angustiis constitutae auxilium se ab alto missuram demonstrat, et per immaculati conceptus Mariae solemnem definitionem occursuram in Ecclesiae praesidium: ut ita fideles in sua fide roboret, in veritatis seminam revocet errantes, et veritatem semper agnitam et SS. deposito concreditam novo lucis splendore illustrans, tenebrarum auctores repellat, profligetque. Immaculata namque Mariae Conceptione definita, quomodo non corruent, quos novatores obtrudunt, errores? Neque enim ab humanae perfectibilitatis evolutione haec perfectio derivat, quae illa nondum incoepta supereminens privilegium BVirginem adornat; et singularis haec praerogativa Mariae sortem ultra communem filiorum Adae conditionem evehens, ipsi suum debitum honorem vindicat. Neque minus Filii dignitatem asserit talis definitio: quippe quod Matris adeo excellens privilegium nonnisi intuitu venturi Filii concessum quomodo non extollit dignitatem Filii, quae veluti sui adventus praeparativam excellentiam exigit et tribuit, cui nihil humanum par est aut simile, quae omnem sortem humanam in sublime transscendit. Etsi igitur Encyclicas Beatitudinis tuae literas, ad eppalia munera nondum evectus, haud acceperim, hanc tamen debiti mei ad sacra Apostolorum limina adventus occasionem sum amplexus, ut Beat. tuae votis obsecundem, et tibi meam humiliter sententiam exhibeam: *posse* nimirum *imo et expedire spectata consveta Dei erga Ecclesiam suam providentia, mihi plane superni consilii videri, ut solemni decreto divina ea veritas fidelibus credenda proponatur, etiam ab originali labe immunem semper extitisse SS. Deigenitricem.* Divinam dixi veritatem: ecquid enimvero non erit divina ea veritas dicenda, quam sacrae paginae proclamant, quam prophetica visio praenunciat, quam ipsa Ecclesia nullo non tempore fidelis veritatis custos servavit et docuit? Sane vix in primos homines triumphaverat antiquus serpens, quum ipsis Dei labris emphatice praenunciata est singularis ventura mulier, quae a contracta per genus humanum universali labe immunis numquam in serpentem non triumpharet. Dignae vero sunt quae perpen-

dantur primitivae huius evangelicae annuntiationis singulae sententiae. Fuerat quidem Eva omni supercoelesti carismate dotata, et immensis exornata donis, familiari Dei ipsius amicitia fruebatur. Ast diaboli invidia ipsum inter et mulierem inimicitiae sunt exortae; initum est certamen, in cuius eventu tristis mulieri sors obtigit, diabolus triumphavit. Ceterum hominis solatio Divina Bonitas promittit redintegrandum esse aliquando certamen, inimicitias diabolum inter et aliam mulierem iterum futuras, in quibus dissimili prorsus eventu diabolus protritus esset, mulier triumpharet. Talis divinae locutionis vis est; neque eidem alium sensum subesse patitur sive orationis occasio et adiuncta, sive formularum quae adhibitae sunt proprietas et usus. At vero nonne comparatio ea mulierem inter et mulierem, certamen inter et certamen, inimicitias inter et inimicitias, perspicue supponit utriusque mulieris certamen ineuntis consimilem esse sortem, quemadmodum primam ita et secundam mulierem nulli diaboli dominio subiectam proelium commissuram? et si primitivae inimicitiae redintegrandae, ergo quales primae, tales et secundae; eaeque proinde respiciant oportet felicem eam mulieris venturae sortem, qua sicut Eva supernaturalibus exornata donis iugi Numinis amicitia frueretur. Sed cuiusmodi illae inimicitiae futurae essent, ipse Deus haud obscure nos edocet. Cuivis namque perspicuum esse debet, haud ordinarias futuras esse inimicitias, quas divina heic praedictio indicat; tales videlicet inimicitias, quibus Dei opitulatur auxilio aliquis adoptivus filius adversus satanam decertans magis minusve gloriosam victoriam reportet: in his enim, ut ait Apostolus, ipsius Dei cooperatores sumus; ast inimicitiarum, quae Dei beneficio praenunciatae sunt, longe diversa est ratio; independentes enim esse debebant ab omni creaturae cooperatione, et tales, quae ex sola omnipotenti divina vi essent repetendae. Ego, inquit, inimicitias ponam; atque proinde istae inimicitiae non actualia duntaxat peccata petere debebant sed in ipsam quoque originariam labem ordinari, contra quam nimirum solus Deus victrices inimicitias dirigere valebat. Neque vero illud omittendum est, quod secus ac divina oratio omnino svadet, nullum singulare privilegium venturae mulieris in propheticis

verbis significari censendum foret, si dictae inimicitiae contra actualia duntaxat peccata et ordinarias omnes vitae maculas militare debebant; sunt namque et alii, qui regenerati in coelestem vitam felici hac sorte fruuntur, quippe adhuc infantili innocentia ornati revocantur in patriam. Ceterum ipsa quoque veteris novique foederis analogia nostram attentionem meretur. Nobile profecto fuit templum Sion: omnis sapientia in unum coadunata, divitiae, opes, potentia, humana omnia concurrunt, ut idoneum sit aedificium, cuius tamen summum esset decus temporanea coelestis gloriae inhabitatio; nihil in illo immundum, coinquinatum nihil ullum locum poterat habere; cuncta perfecta esse debebant, quod aedificium Dei templum erat futurum. Quanto igitur perfectius non erit aedificium illud dicendum, in quo non temporanea modo gloriae manifestatio habitaret, sed et ipsum gloriae Numen? Quomodo non omnis coelestis sapientia, coeli divitiae et potestas ad illud digne ornandum adlaborasse debent? Et si vel in terrena umbra divina gloria nihil inquinatum locum habere sineret, quid de ipsa Dei Matre in tali umbra figurata dicendum erit, in qua non habitaret modo coelestis gloria, sed et ex qua Summum Numen humanitatem suam desumere voluisset? quomodo non erit incorrupta illa dicenda? quomodo ab illius anima non erit omnis peccati corruptio exclusa? corruptio, quae tanto terrena corruptione foedior est, quanto ipsis terrenis rebus nobilior est insculpta in anima Creatoris imago. Quinimo ultimo veluti sui humani cursus documento Salvator nos edocet, quanto horrori ipsi sit omnis vel minima corruptionis macula: unde nec in monumento corruptione semel foedato suas mortales exuvias vel per horas sineret deponi: et sineret fortassis suam divinam humanitatem non reclinare dicam sed et efformari ex ea, cui insederat non terrena duntaxat sed et ipsa spiritualis corruptio? A foetore se abhorrere coelestis sapientia significat, et dicemusne eam haud aliunde potuisse quam a foetida origine suam ipsius humanitatem desumere? *De Ecclesia* vero, *hanc ipsam veritatem in prophetia et typicis umbris designatam, ab ipso Domino per Apostolos accipiente, quid dicam?* quid memorem iugem illius per seculorum decursum praedicationem et fidem? num Augustinum

appellem Africanae Ecclesiae lumen et decus? num Alexandrinum Patriarchatum interrogabo, qui per Origenem et magnum Cyrillum alte suam fidem proclamat? num ad Antiochenam Ecclesiam pergam, quae a primo aevo per tot illustres doctores eximia praedicatione eandem doctrinam exornavit? num excitem Hispaniae lumina, quae a Romana Ecclesia hac illustrata fide illius fulgorem immaculatum numquam non servavere? Veniamne potius ad ipsam Romanam Ecclesiam, cuius vel ab eo fides apparet, quod alias in hac doctrina erudierit Ecclesias, aliosque patriarchatus, eandem profitentes numquam sua communione privaverit, numquam ab Ecclesiae vita absciderit? sed haec persequenti numquam terminus adveniret. Et quid ea persequerer, quum ipse intimus cuivis Christum induto et in mysteriorum Dei fruitionem adgregato sensus ac natura refugit quin cogitet infinitam Dei benignitatem ab omni aevo Mariam praesignantem, ut quae ipsa Dei Mater esset futura, simul pro instanti eam aliter quam dilectionis et beneplaciti sui obiectum respexisse et in ipsius animam coelestium carismatum divitias larga manu non effudisse. Sed ut eo tandem revertar unde deflexit oratio, tibi, Bater Beatissime, supplex meum votum offero, *te omnium Pastorum precibus meas adnectens deprecor enixe, ut divinae isti veritati solemnem tuam sanctionem haud deneges.* Ecclesiam tuae curae concreditam tot respice procellis undique agitatam; loquere verbum bonum et saeva tempestas quiescet. Pater pasce filios; fidei sol irradia splendorem, erroris tenebras dispelle. Sonet tuba in Israel et Petrus proclamet: Mariam SS. Deigenitricem etiam ab originali labe semper extitisse immunem. — Romae, 20 Dec. 1853. *Michael Monahan.*

1012—1019.

Responsa ex **Anglia et Scotia, item Svecia** ad Encyclicam **Pii IX.** a. 1849—1854.

1012. **Vic. Apost. Distr. Orient. Angl.** — Quo magis piam fidelium mentem et praxim investigavimus, eo magis exoptare coepimus, *ut haec pene universalis sententia et traditio*

de immac. BMV. conceptu firmius stabiliatur, et per Ap. Sedem fidelibus ut doctrina christiana rite proponatur. Pergratum est nobis videre, in dies inter nostros crescere et augeri piam et teneram devotionem erga Beatissimam Dei Matrem. Hinc fore credimus, ut longe maxima pars eorum, qui nostrae iurisdictioni subiacent, cum gaudio sententiam et decretum Apost. Sedis, si ita visum fuerit, susceptura sit. Perpauci quidem ex hac re nimium praeiudiciis protestanticis obsequentes timidi et tardi videntur: sed haec paucorum timiditas necessario, heu miserum! consortio inter haereticos tribuenda est potius, quam malitiae aut fidei inconstanti. — Die 8 Aug. 1849. *Guilelmus.*

1013. **Vic. Apost. Distr. Centr. Angl.** — Responsa ex omni *Clero* expetii, *qui omnes uno ore testati sunt,* (uno solo, qui ortu alienus est, excepto) *sensum eis esse, et, ut plures addiderunt, a iuventute fuisse, BMVirginem semper immaculatam fuisse, et ab omni labe peccati praeservatam. Idem pium responsum omnes conventus religiosorum retulerunt, Patribus Ordinis Praedicatorum nullo modo exceptis. Et omnes simul huius Districtus,* vix uno excepto, *desiderium exprimunt, et quidem fervidum, aliquam dogmaticam declarationem accipiendi a Beatitudine tua super hoc pio mysterio.* Quibus cum gaudio cordis mei attentis, privilegio utens a Beat. tua mihi speciali rescripto concesso, *Districtum Centralum positum esse sub patrocinio BMV. immaculate conceptae* tamquam Patronae principalis ex concessione apostolica, in eius die festo declaravi. Pietas vero et observantia religiosa, qua acceptum fuit hoc patrocinium, animi erga Beat. tuam grati pro tanto favore indicia data, et fiducia, quod ex hoc suo actu religio nova incrementa inter nos acciperet, abunde probant, qualis sit sensus Cleri et fidelium istius Districtus circa mysterium imm. Conceptionis. Quod vero ad sensum meum attinet, ex quo tempore Eppus Ecclesiae ex apostolico favore consecratus sum, *nullam occasionem omisi exaltandi et inculcandi hoc grande mysterium cum speciali devotione tamquam fidei proximum.* Occidentali Districtui adhuc praepositus, illum quoque

sub eodem sacro patrocinio ponendum curavi; et ad pedes Sanct. tuae supplicem petitionem posui, *humiliter precans, ut de hoc mysterio imm. conc. aliqua dogmatica declaratio a S. Sede ederetur in aedificationem et exaltationem Ecclesiae Dei.* — Birminghamiae, 14 Ian. 1850. *Guilelmus Bernardus.*

1014. **Vic. Apost. Walliae.** Quod Encyclicis Sanctitatis tuae de immaculata BV. conceptione dogmatico decreto sanciendа serius quam par erat rescribam, non id aut remissae erga Sanct. tuam atque Ap. Sedem observantiae, aut minus ferventi Divinae Matris honorem amplificandi studio, adscribas velim. Alia prorsus id causa fecit, quam Sanctitati tuae ingenue significandam existimo. Id ergo cum aliis Angliae Vicariis Apostolicis collegis meis probaveram, ut communi omnes epistola Sanct. tuae rescriberemus, quo et concors nostrum omnium sentiendi unanimitas luculentius constaret, et catholica Anglicae Ecclesiae de immaculato Virginis conceptu traditio tuo veluti omnium nostrum ore patefieret. At enim posthac, qua de causa nescio, ab hoc consilio recessum est, ac ceteros fere omnes collegas meos iam suas singillatim epistolas ad Sanct. tuam hac super re dedisse nunc tandem intelligo. Dolet mihi quidem inde factum esse, ut literae meae tardius quam voluissem Sanct. tuae deferantur: illud tamen iucundum mihi contingit ea Sanct. tuae his literis significare posse, quae eximiae tuae in B. Deiparentem pietati ac studio non parum, ut arbitror, gaudii sint allatura. Pastorali epistola data superiore anno ab omnibus singulisque Angliae Apostolicis Vicariis, ego etiam catholicae plebi universae, quam iste Vicariatus meus complectitur, Encyclicam Sanct. tuae nunciandam curavi; publicas preces indixi; mensem potissimum Maium, qui Mariae sacer est, solemnius celebrari volui; cum Clero Vicariatus mei ac praesertim iis, qui animarum curam exercent, hac de re contuli. Atqui vix uno alterove excepto *ex Clero omnes affirmant, immaculatum Virginis Conceptum iis solidissimis fulciri argumentis, ut dogmatico decreto definiri possit, atque hoc esse suum, hoc esse generatim quan-*

tum coniici potuit gregum suorum votum ac desiderium, ut ab Ap. Sede definiatur. Nimirum Catholicis Anglis praeter communem, qua erga immac. Virginem feruntur, pietatem, alius ex ipsa maiorum suorum traditione stimulus accedit. Conceptionis enim festum ab antiquissimis temporibus, XI scilicet labente seculo, sub *S. Anselmo* Cantuariensi AEppo idque non sine singulari Divini Numinis testificatione in Angliam inductum est, atque ex eo tempore sancte semper studioseque celebratum, imo etiam quaedam eius vestigia in ipso Anglicanae Ecclesiae Calendario adhuc servata; idem vero festum ab Anglis vehementer propugnatum est, quum primum in Galliis S. Bernardi tempore de imm. V. conceptu eiusque festo celebrando controversia erupit; ex Anglia etiam, nimirum ex Oxoniensi Universitate *Ioannes Duns Scotus* in aciem prodiit, ac pro singulari Virginis privilegio feliciter decertavit; denique per plura secula Angli Eppi in Conciliis etiam congregati, atque Clerus Angliae universus tum secularis tum regularis huic piae sententiae fovendae promovendaeque animum adiunxerunt. Nil mirum ergo, quod Angli Catholici avitae pietatis haeredes vehementer exoptent, ut Ap. Sedes ad illud ipsum privilegium dogmatica auctoritate firmandum aetate hac tandem nostra deveniat. *Quid porro reliquum est, nisi hisce Cleri populique mei votis mea etiam eaque flagrantissima in eundem finem adiiciam?* Id a me postulat singularis cultus, quo semper Deiparam sine labe conceptam suam prosecutus; id persvasio, quae mihi firmissime inest, *veritatem hanc eiusmodi esse, quae fidelibus universis divina fide credenda possit ab Ecclesia proponi.* Qua in re ingratum haud puto Sanct. tuae futurum, si paulo fusius animi mei sensus aperiam. Principio enim, singularis illa *exceptio,* quam decreto suo de originali peccato *Tridentina Synodus* in favorem imm. Virginis apposuit, munitissimus veluti quidam clypeus est, quo omnia, quae in Virgineum privilegium intorqueri possent tela retunduntur. Per eam quippe universas illas locutiones, sive Scripturae sive Traditionis, quae omnes ex Adam progenitos originali labe infectos declarant, quaeque omnium maxime obstare possent, BVirginem minime comprehendere palam fit. Atque hoc quidem saltem negative adstruit. Sed enim *ea positive et*

in Scripturis ipsis et in Ecclesiae traditione occurrunt, quibus invicte probatur, Virginalem immac. conceptum inter divinitus revelatas veritates habendum esse, neque ita solum, ut legitima argumentatione ex immediate revelatis derivetur, sed ut proxime et immediate in Verbo Dei scripto et tradito contineatur. Implicite ea quidem et subobscure sed certe habetur in Scripturis, si praesertim *singularis parallelismus inter Gen. 3, 14. 15. et Luc. 1, 28. 42.* rite expendatur. Nam in eo loco Geneseos, qui Protoevangelium dici solet, quae de muliere *κατ' ἐξοχὴν* eiusque semine nimirum filio, deque communi utriusque in serpentem triumpho praedicantur, ad Mariam ac Christum certissime referuntur, ibique singulare aliquod ac mirum Mariae privilegium insinuatur. Ac cum in Evangelio Maria ut benedicta in mulieribus salutatur ab Angelo, ac rursus Spiritu S. dictante ea proferuntur: ‚benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui‘: iterum mulier cum semine eius, Mater cum Filio, Maria cum Christo coniungitur, et similiter ac Christus benedicta praedicatur Maria, ut scilicet inde consequens sit, quemadmodum in semine, nempe Christo, nihil quod benedictum non sit, nihil plane maledictionis posse inesse, ita nec in muliere quidem, quae illum progenuit, quaeque in huius benedictionis consortium divinitus adsciscitur. Itaque Protoevangelii oraculum disertius per novum Evangelium explicatur: scilicet, benedicta mulier, benedictusque eius fructus cuiusque maledictionis expertes, de maledicto serpente triumphant, ille quidem naturae dignitate, ea vero gratiae munere ac privilegio. Hic etiam vis Angelicae Salutationis, qua Maria *gratia plena* dicta est, magis se prodit, de eaque gratiae plenitudine datur intelligi, quae omnia vitae BV. momenta, atque adeo primum etiam instans animationis eius suo iure complectitur. Ita etiam in *Catechismo Romano* Clementis VIII auctoritate probato Angelica Salutatio ‚Ave gratia plena‘ explicatur, quod BV. nullius peccati macula, nec originalis aut actualis, nec mortalis nec venialis, infecta fuit. Ea nempe ita praeventa est Christi gratia, ut ab Adae culpa fuerit immunis; neque hanc filiam protoparens gratia nudavit, quam Unigenitus Dei Filius sua ipse gratia vestivit, antequam ab ea carne

vestiretur, quique gratiae munere semper cum illa fuit, iuxta illud: gratia plena, Dominus tecum; quique inter illam et serpentem ita inimicitias posuit, ut illa per semen suum ac in semine suo serpentis etiam caput contriverit. Eiusmodi porro SS. Literarum oraculis, quae vix attingo, novam uberiorem ac semper augescentem effundit lucem perpetua traditio ac iugis Ecclesiae sensus et magisterium. Commovent me inprimis *comparationes illae* ab ipsis Apostolicarum aetatum scriptoribus usurpatae, *quibus Maria cum Heva* atque ea quidem virgine innocenti et sine noxa confertur imo etiam praefertur; aut cum ea terra, virgine aeque ac immaculata, ex qua primus homo de terra terrenus plasmatus est. Commovet me *immensa testimoniorum nubes,* quibus perpetuo Patres, licet magis aut minus diserte, Virginem ab omni labe immunem aut supponunt aut etiam depraedicant, in quibus testimoniis sin minus nostras formulas de immac. conceptione, eandem tamen ideam ac sententiam invenio.. Quodsi auream Irenaei ac Tertulliani regulam secutus, nominatim ad Ecclesias Matrices, Apostolicas nempe, aut proxime ab iis derivatas, me converto, ubique BVirginis privilegio traditionem aperte suffragantem invenio. De Alexandrina Ecclesia egregie testatur Dionysius Patriarcha a sec. 3; de Hierosolymitana diserte Patriarcha Theodorus; de CPna abunde Proclus ac Germanus SS. Patriarchae; de Syra Ecclesia universa locupletissimus nobis est testis praecipuum eius lumen Ephraemus; ut de ceteris Orientalibus Ecclesiis sileam, e quibus praeclara nobis testimonia pro Virgineo privilegio supersunt. — Accedunt antiquissimae illarum fere omnium Ecclesiarum *Liturgiae,* in quibus passim BVirgo ‚immaculata' antonomastice praedicatur, eo scilicet sensu, quo Christus in iis dicitur immaculatus Agnus, hostia immaculata, quique omnem proinde a quavis macula immunem puritatem involvit. Accedit *Conceptionis Deiparae festum,* in Orientalem Ecclesiam iam a Sec. V. non tam primum inductum quam ibidem solemniter iam receptum ac frequentatum. Sed in Occidentis Ecclesiis aequo plane gradu vis traditionis processit. Extant in Occidente etiam liturgica hac de re monumenta; extat Conceptionis festum non ita multo post orientales Ecclesias inductum, et certe serius

ex Angliae exemplo per Occidentis Ecclesias latissime propagatum. Quid praesertim de *Romana Ecclesia*, Ecclesiarum omnium matre ac magistra dicam? in qua, ut cetera praeteream, tot Summi Pontifices a Sixto IV usque ad te, B. Pater, decretis solemnibus gestisque suis et cultui immac. Virgineae Conceptionis, et eius intrinsecae veritati tantum auctoritatis pondus adiecerunt. Quibus porro omnibus si *universi christiani populi consensum* adiicio, qui imm. V. conceptui firmissime adhaesit, quique ex ipsis enatis de eo controversiis vividius adhuc et luculentius se prodidit; si theologicarum illustrium *Academiarum* unanimem de eo sententiam; si *Religiosarum familiarum* commune studium; si praesertim, quod mihi maximam vim facit, tam concordem *Epporum* fere omnium cath. orbis animorum ac voluntatum in id aetate hac nostra conspirationem adiungo: ad plenam pro Virgineo privilegio traditionis vim constabiliendam quid adhuc desiderari possit, non video. Quae sane traditio cum talis tantaque sit, cumque huius veritatis germina in Sacris ipsis Literis delitescentia ita foecundet, explicet, ac apertissima luce perfundat, non aliunde quam ab Apostolico fonte manare omnino dicenda est. Habet ergo immaculatus conceptus meo quidem iudicio ea solidissima fundamenta, quae illum, ut aiunt, *proxime definibilem* constituunt, utpote in ipso divinae revelationis deposito contentum. Scio nonnullos (non ex Eppis) nescio qua formidine commoveri, ne hoc dogmatico decreto edito velut nova sarcina imposita acatholici a vera fide amplectenda impediri aut retardari possint. At nullus huiusmodi timor me percellit. Primo enim a Deiparae patrocinio atque ope illud potius spero atque expecto, fore, ut Virgine intercedente acatholicis, qui veritati pertinaciter resistere nolint, uberius a Deo lumen affundatur, validiusque detur ad fidem amplectendam praesidium. Ad hoc, dogmaticum decretum occasionem acatholicis afferret, ut serio ac rectius legitimam catholicorum dogmatum progressionem ac veluti evolutionem investigent, illudque demum intelligant, Ecclesiam nihil novi dogmatis unquam cudisse aut cudere, sed quae ex deposito revelationis veluti in plenissimo thesauro habentur, quaeque sensim iuxta Patrum doctrinam ac quasi per incrementa et ex ipsis concertationibus magis

facta sunt manifesta, in lucem protulisse ac credere fidelibus proposuisse. Demum unanime totius cath. orbis studium, fideique obsequium in hoc dogmatico decreto, quumprimum ab Apost. Sede edatur, recipiendo acatholicorum oculos mentemque percellet, iisque clarius ostendet, quae tandem sit catholicae fidei unitas, quod ineluctabile verae Christi Ecclesiae magisterium, quae primae Ap. Sedis, Petri Cathedrae, in grege universo pascendo docendoqae numquam defectura aut a vero aberratura auctoritas. — Chipestow Monmouthshire, 10 Febr. 1850. *Thomas Ios. Brown.*

1015. **Vic. Apost. Sveciae et Norwegiae.** (Ad Card. Praef. Propag.) — Quantum ad encyclicas literas SSmi Patris nostri, quas Eminentia Vra mihi benigne transposuit, quaeve magnae indaginis quaestionem immaculatae Conceptionis pertractant, vix habeo, quibus verbis exprimam gaudium, inde conceptum, quod SSmus Pater suggerente Deo, sua studia magis magisque in hanc quaestionem convertat, hoc inprimis tempore, quod prae omnibus aevis potenti interventu et protectione SSmae Virginis indiget. Certe dogmatica huius quaestionis solutio ad rabiem usque concitabit inferos, sed una etiam plenum Mariae his in terris triumphum procurabit, oculosque catholici orbis, imo ipsorum — bona fide — haereticorum, singulari prorsus et ad fiduciam excitante modo versus S. Sedem diriget. Christianus mundus in ipsis visceribus suis oppugnatur, ergo remedium applicandum pariter internum sit, oportet; tale autem erit finalis decisio catholicae doctrinae de immaculata Conceptione. Quinque catholici Sacerdotes, in peninsula Scandinaviae operantes, exultant animo, praevidentes: definitionem magni momenti huius doctrinae, per S. Sedem praesuscipiendam, tamquam fulgur e coelo super incredulum mundum lapsuram. — 1850 mense Iulio. *Studach.*

1016. **Card. AEppus Westmonasteriensis.** (Post restitutam in Anglia Hierarchiam.) Mirum fortasse, at verum est, nullam ad Sanct. Vestram missam fuisse a *Londinensi*

Vicariatu epistolam, quae de definitione dogmatica super immac. BVM. conceptione edenda pertractaret. Huiusmodi tamen in scribendo mora neque casu evenit, neque dubietati alicui, quid in re tam gravi sentiendum esset, debet attribui. Etenim cum a biennio et amplius Catholicis Angliae spes affulserit, quod *Hierarchia Ecclesiastica* ab amantissimo Pontifice *instauranda* foret, mihi summopere decere videbatur, ut primus omnino actus restituti huiusce regiminis gloriosissimae V. Mariae consecraretur, *primaque Metropolitani, quisquis tandem ille fuisset, subscriptio iis literis subiiceretur, per quas a Sanct. Vestra optatissima haec definitio dogmatica postulanda erat.* Ita enim non solum ampliori quodam modo Londinensis Urbis suffragium communi omnium Ecclesiarum voto accederet, sed et ipsius populi fidelis erga purissimam coeli Reginam devotissimi affectus publicum et memorabile testimonium praeberetur, atque insuper declararetur, nos tam insigne beneficium restitutae nostrae Hierarchiae eidem Immac. Deigenitrici acceptum referre. Et re quidem vera, quid magis rationi consentaneum, quam ut illa terra, in qua Conceptionis BMV. publicus cultus sponte veluti sua effloruisse creditur, nunc iterum sanae fidei diffusione atque hierarchici ordinis dignitate condecorata, primum inde decerptum sertum dulcissimae Matris arae appendat ipsique dicare cupiat? Anglia illa, cuius infelicem lapsum Romani Pontifices deplorarunt, et cuius ad orthodoxam fidem conversionem procurare studuerunt, prima fuisse fertur, quae festum nunc ubique terrarum celebratum instituerit. Quid aequius, quam quod ille, qui *B. Anselmi* sedem meritis licet imparibus esset occupaturus, doctrinam Anselmi voce veluti haereditaria coram Ecclesia pronunciaret, et ipsius etiam nomine precaretur, ut Sanct. Vestra definitionem piae illius sententiae, quae Anselmo in terris placuit, et cuius diffusioni per intercessionem suam in coelis favere credimus, tradere dignetur? Quapropter cum impositum mihi videam, per summam Sanct. Vestrae in me benignitatem paternamque benevolentiam, onus Metr. Sedis Anglorum occupandae, gratum mihi est atque iucundum, quod officium meum sic auspicaturus ad thronum Apostolicum hodie accedere possim, *ut nomine meo, atque dioecesis meae Westmonasteriensis,*

necnon Suthwarcensis administrationi meae commissae enixe atque instantissime rogem, ut in Cathedra Petri constitutus, et confisus illius orationi, qui oravit et exauditus pro sua reverentia a Patre impetravit, ut fides tua non deficeret, et tu fratres confirmares, *dogmatico decreto declarare velis, Mariam semper Virginem absque ulla peccati originalis labe conceptam esse.* Per quantum enim mihi licuit, post accuratam totius rei considerationem, attentamque meditationem, absque ulla dubietate mentis hanc mihi certitudinem comparasse sentio, quod haec pia sententia, quam a teneris annis colui, quamque fideles Angli per plura devotionis atque orationum exercitia honorarunt, ac professi sunt, doctrinae a SS. Patribus et Apostolis traditae atque ab Ecclesia semper receptae plenissime conformis sit, atque in ipsius Christi Fundatoris revelatione contineatur. — Fideli etiam populo Londinensis Urbis, in qua perpulchra nuper Ecclesia sub titulo imm. Conc. dicata est, hanc piam sententiam enixe commendavi, atque omni argumentorum genere solide comprobare studui. Quamobrem omnium bonorum nomine polliceri me posse arbitror, quod inter tot beneficia nobis a Sanct. V. collata praecipuum hoc sit futurum, si tu ex Petri Cathedra loquutus declarare volueris, Matrem nostram BMV. sine labe originali fuisse conceptam. — Romae, 30 Sept. 1850. *Nicolaus Card. Wiseman.*

1017. **Eppus Suthwarcensis.** (Aeque post restit. Hierarchiam.) Quo tempore doctrinis scholarum almae Urbis et fidelis populi praeclaris virtutum exemplis erudiebar, pluries mihi laeta sese obtulit occasio, cultum erga BVM. promovendi, cum aliorum nomine deberem a S. Sede impetrare concessionem gratiarum, quae in honorem Conc. Immac. eiusdem Deigenitricis expostulabantur. Hodie vero cum ex amplissimo Sanct. V. beneficio ad Sedem Suthwarcensem evectus consecrationis gratiam accepi, et genuflexus amplector quam ad me dignata est mittere benedictionis apostolicae plenitudinem, *meo* tandem *nomine et pro dioecesi mihi commissa summa cum reverentia, instantissime tamen rogo, ut Sanct. V. cuius*

fides in B. Petro App. Principe confirmata non deficit, benigne velit excipere tot fidelium pias obsecrationes, tot Epporum ferventissimas preces, et dignetur per dogmaticam definitionem ex cathedra decernere et declarare, B V Mariam ab omni originali labe in sua Conceptione fuisse immunem. Mihi rerum theologicarum adeo imperito vix licet argumenta recensere, quibus stabilitur huius sententiae, quam definitam optarem, veritas atque auctoritas: sed cum ex ore infantium et lactentium plerumque Deus velit laudem perficere, sinat, quaeso, Sanct. Vestra, ut infantilibus veluti labiis unum duntaxat eorum humillime proferam. Cum de aliqua gravi quaestione cum fidei catholicae osoribus disceptatio instituitur, satis ad eiusdem veritatem dogmaticam evincendam effecisse se arbitrantur Theologi, si iis seculis, de quorum fide dubitare se fingunt haeretici, constet, fideles in suis orationibus publicis et privatis doctrinam nostram circa idem argumentum tenuisse et exhibuisse. Ita, ne in exemplis colligendis longior sim, ad preces Ecclesiae vel fidelium provocare solent theologi, ubi cum haereticis contendunt de Purgatorio, aliisque doctrinis, de quibus nulla habetur specialis definitio per ea secula, ex quibus Protestantes argumenta iactitant, ex silentio, ut ipsi autumant, Ecclesiae depromta. Attamen *de nulla ex quaestionibus huiusmodi inveniri poterit ea plena consensio, quam super immaculata Matris dilectissimae Conceptione ubique viguisse et vigere exploratissima res est.* Ecclesia eadem semper est, et nullas temporum vel locorum vices patitur, nihilque accipit, quod a mente sui Divini Fundatoris sit alienum, et proinde *ex hac unanimi fidelium voluntate, ex fervido animorum affectu, quibuscum nomen ipsum Immaculatae Conceptionis ubique colitur, ubique honoratur, colligitur absque erroris formidine veritas, quam pleno cordis sensu teneo et profiteor revelatam, scilicet fuisse hanc piam de imm. Conc. doctrinam a Christo ipso Ecclesiae concreditam.* Lex orandi sequitur et comitatur legem credendi; fideles enim nequeunt a veritate, quam corde credunt, voce et orationibus exprimenda se continere, adeo, ut tenendum sit, precibus per Ecclesiam usitatis huius sententiae veritatem magis magisque firmari. Enixe propterea peto et ardenter oro atque obsecro, ut Sanct. Vestra pro sin-

gulari quo fervet erga Matrem nostram amore declarare velit decreto suo dogmatico, ipsam ab originalis culpae labe immunem fuisse in sua conceptione. — Romae, Oct. App. Petri et Pauli 1851. *Thomas Grant.*

1018. **Vic. Apostolici Scotiae dubitanter se enunciant quoad definitionem.** Mense praeterito accepimus, unusquisque in loco suo, literas encyclicas a Sanct. tua die 2 Febr. datas, quibus ab omnibus Cath. Ecclesiae Eppis exquirit, quid sentiant quidque desiderent de definienda solemni Sedis Apost. iudicio doctrina circa immac. BVM. conceptionem; verum cum nobis statutum fuerit in unum praesenti mense convenire causa deliberandi de variis rebus ad curam nostram pertinentibus, magis Sanct. tuae obsequiosum reique ipsius gravitati magis consentaneum iudicavimus, moram aliquam interponere, quo praedictis literis responsum communi consilio ex cogitatum et discussum redderemus. Collatis igitur mutuoque explicatis singulorum sententiis, ac Sanct. tuae mandato obtemperare cupientes, ea nunc, quae humilitatem nostram decet, brevitate ac modestia quid de proposita re, et nos, et quoad nobis nosse liceat populus fidelis curae nostrae commissus sentiamus et optemus, Sanct. tuae exponemus. Dictum illud S. Doctoris Augustini ‚De S. Maria V. nullam prorsus, cum de peccatis agitur, quaestionem habere volo‘ ita apud catholicos omnes est celebre, unanimique tot seculorum assensu, nemine refragante, comprobatum, ut mentem Ecclesiae Cath. de BV. Deigenitrice Maria procul dubio declaret. Quod quidem dictum, verba iuxta vim suam ac proprietatem simpliciter accipientes, ita ex traditione patrum nostrorum semper interpretati sumus, ut sensum eius illum esse indicaverimus: *nemini catholice sentienti licere affirmare vel opinari, SS. Dei Matrem ullo usquam tempore, ex quo esse coepit, etiam dum in materno delitesceret utero, cuiusquam peccati labe fuisse maculatam.* Quae verborum interpretatio nobis et rei ratione et doctrina a S. Thoma Aquinate tradita ductis Ecclesiae iudicio iampridem confirmata videtur. Docet enim Angelicus, eiusque

doctrinam comprobat ratio, Ecclesiam satis declarasse, BMV. sanctam et a peccato immunem in Nativitate sua fuisse, eo, quod Nativitatis eius festum celebrandum instituit; quare cum ante plura secula instituerit ac celebrandum iusserit festum Conceptionis eiusdem, eadem auctoritas et ratio nos evidenter docent Ecclesiam indicasse, BVirginem in ipsa sua conceptione sanctam fuisse ideoque immaculatam. *Semper* igitur *credidimus, BVMariam altius ac uberius adeptam privilegium, quam quod alii cuiquam de Adamo originem secundum naturam trahenti concessum fuit, praevenientibus meritis divini sui Filii, qui et ipsius sicut nostrum omnium Redemtor fuit, ab omni prorsus originalis culpae macula fuisse excemtam et servatam, ideoque illam ab ipso temporis articulo, quo persona humana coepit esse, sanctam et immaculatam fuisse,* iureque optimo Conceptionem eius immaculatam dici. *Ita etiam docentur ac pie credunt fideles curae nostrae commissi,* quorum plurimi in privatis precibus BVirginem sub formula hisce temporibus usitatissima ‚sine peccato conceptam' invocant. Licet ita credamus et doceamus, tamen decretis Sixti IV et SS. Conc. Tridentini adhaerentes, nec ausi iudicio S Sedis Ap. praevertere, neminem, qui argumentis nostris minime convictus de imm. conc. dubitat, damnamus, nec alia, quam quae praescripsit Ecclesia, in divino officio verba usurpamus. Ea propterea devotione ac veneratione, quam filiis suis semper inculcavit Ecclesia Catholica, assidue BVirginem prosequuntur omnes, quos inundante patriam nostram haeresi in verae fidei arca divina misericordia servavit: et quo quis est fide firmior, moribus innocentior, et pietate in Deum ferventior, eo maiore honore amore et fiducia amantissimam Matrem Mariam amplectitur et invocat. Quin etiam fideles nostrates idcirco propensius frequentant BV. cultum, quod is cultus apud nos catholicis est proprius. Ita enim ingente inter ipsos et acatholicos discrimine constituto, inter generationes istas, quas Spiritus S. seculorum seriem evolvens olim ore ipsius V. Mariae illam beatam declarans laudando praedixerat, se solos annumerari laetante animo agnoscunt ac divino oraculo secerni ab haereticorum coetibus, qui Matrem Dei vel negligunt vel aspernantur vel blasphemant. Quapropter si tandem afflante Spiritu

veritatis, quem apud Sedem Ap. in aeternum manere eamque omnem veritatem docere credimus, immaculatam fuisse BVM. conceptionem solemni decreto definiendum iudicaverit Sanct. tua, et nos et fideles nobis commissi magnopere gauderemus. Nam et ab una parte sententiam, quam alta mente imbibimus, huiusmodi decreto ab omni dubitationis umbra expediri, iudicioque irrefragabili in perpetuum stabiliri, et ab altera B. Deigenitricem, quam uti Matrem purissimam impense amamus et colimus, quamque protectricem et adiutricem perpetuo experimur, novo honore externo augeri ac totam esse pulchram ac ab omni prorsus macula immunem ipsius veritatis voce declarari videremus. *Haud tamen est dissimulandum, haereticos et infideles, quibus nos circumfundimur, et quibus totus nimium abundat orbis, novas blasphemias in B. Virginem ac in Ecclesiam Cath. proferendi ex huiusmodi definitione occasionem capturos, cuiusmodi blasphemias ipsae Sanct. tuae encyclicae literae, quas statim in vulgus edidere publicae ephemerides, iam excitarunt. Quae quidem blasphemiae et ob iniuriam Deo ac B Virgini illatam, ob proferentium pravitatem et perniciem, et ob animarum infirmarum periculum dolore sane temperabunt gaudium, quod ex definita et stabilita veritate percipient boni.* — E Seminario Blairi, 13 Sept. 1849. (Subscripti 5 Vicarii: Distr. Septemtr. Orient. Occid. et duo Coadiutores.)

1019. **Vic. Apost. Edinburgensis in Scotia suo et sociorum nomine retractat priorem epistolam, et definitionem absolutam expetit.** Cum ipsa Sttas Vra actu Episcopus Scotiae sit Aplici Eiusdem Vicarii persuasum tenent, ad se haud pertinere, ut in hac magna quaestione doctrinali, — cuius supremam decisionem a visibili Capite Ecclesiae hoc momento praestolantur, — aliam partem capiant, quam pro implemento votorum Sttis Vrae ex imis visceribus, una cum fideli grege suo preces fundendo, quo Stti Vrae concessum sit id decernere, quod ad maiorem gloriam Dei et Divini eius Filii Domini nostri, ad ampliorem item laudem illius cedet, quam in Matrem suam ab aeterno sibi eligere dignatus est. Interim

cum Sttas Vra a Vicariis suis Aplicis in Scotia, quemadmodum ab omnibus orbis Catholici Eppis quaerere dignata sit: num doctrinam de immaculata Conceptione dogmatice definire expediat? nos autem, veritatem huius absque labe Conceptionis agnoscentes, — quantum ad opportunitatem proximae dogmaticae definitionis — ex obtutu in primis protestantici, in quo versamur, regni negative responderimus: videndo hodie universum mundum, in immediata expectatione solemnis et infallibilis iudicii oculos suos in Sttem Vram convertere, quod ad me attinet, non amplius resistere potui desiderio, ut ad pedes Sttis Vrae tamquam submissus et devotus filius prostratus declarem: quantopere me poeniteat, si — inscius atque invitus, considerationibus humanae prudentiae iusto plus tribuissem, — et quanto cumprimis perfunderer solatio, si Sttas Vra, inspirante Deo, eiusque nomine doctrinam de immaculato Conceptu Mariae, tamquam partem obligantem symboli fidei Catholicae pronuntiaret. Dum haec meo nomine Stti Vrae panderem, probe mihi constat, me nonnisi echo sensorum Venerabilium Fratrum meorum esse, qui certe consonum responsum substravissent, nisi per adversa adiuncta hac in parte impediti fuissent. Profecto invideo fortunatis Episcopis, qui hoc momento Sacram Personam Sttis Vrae cingunt, quibusve primis concessum erit, apostolicum decretum Successoris Petri paulo post cum acclamationibus suscipere. Ego ad auscultandum ab eminus damnatus, in sinu regni, sanctitati Mariae in tota Europa infensissimi, ferventissime saltem orabo, sub devotione novem dierum, quae hodie in omnibus Missionibus huius Vicariatus exordium sumsit, ut Deus per manum sui Pontificis frontem Mariae hac nova corona gloriae redimire dignetur; quae una paterno cordi Sttis Vrae insignem consolationem addet, in medio amaritudinum, quas iniquitas et ingratitudo hominum eidem conscivit. — Edinburgi die 30 Novembris 1854. *Iacobus Gillis*.

1020—1039.

Responsa ex Germania ad Encyclicam Pii IX. a. 1849—1853.

1. *Pro decisione absoluta.*

1020. **Eppus Passaviensis in Bavaria.** Literae Encyclicae a Sanctitate tua sub 2 Febr. huius anni ad omnes Patr. Prim. AEppos et Eppos totius orbis cath. editae summo et sincerissimo affecerunt me gaudio, atque inter tot rerum discrimina ineffabile mihi attulerunt solatium, quippe quae nove demonstrant tam fidem catholicam in integritate vigere immarcescibili, quam Sedem Apost. tametsi versantem inter tempestuosissimas vicissitudines, praesidium esse et columnam veritatis. Namque *a prima iuventute mea ex imo corde addictus fui sententiae, quae tenet SS. Deigenitricem imm. V. Mariam absque labe originali fuisse conceptam. Semper etiam desiderio fui impletus ardentissimo, ut a S. Sede Ap. solemni decerneretur iudicio circa istam sententiam.* Pariter et dioecesani mihi concrediti *tam clerici quam laici fideles* quam ferventissimo cultu Matrem Deiparam venerantes *singulari devotione animati sunt erga immac. V. conceptionem.* Quam devotionem testantur vel piae exercitationes, ingenuose sensum BV. cultorum significantes, vel religiosae imagines statuaeque exponentes, et, ut ita mihi liceat dicere, ad oculos demonstrantes communem fidelium sententiam, conceptum Beatissimae fuisse immaculatum. Pergratum igitur mihi est et iucundissimum, Sanct. tuae me posse significare, quod Clerus populusque fidelis mihi concreditus pientissimo flagret desiderio sicut et ego ferventissimo exoptem ardore, ut ab Ecclesia et Ap. Sede SS. V. Mariae decernatur honor Conceptionis Immaculatae. Decretum huiusmodi definitivum devotissimo cum desiderio expecto, istudque, siquidem latum aliquando fuerit, paratissimo cum obsequio promulgabo atque venerari studebo. — Passavii, 25 Apr. 1849. *Henricus.*

1021. **Eppus Rottenburgensis in Würtembergia.** Profecto verbum verissimum et omni acceptione dignum: ‚in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporimur, sed non destituimur.' (2 Cor. 4, 8.) Non latet Sanctitatem tuam, infando dolore affectos esse et me et ovium mearum animos ob tristissimas, quibus Navicula Petri et universa Ecclesia usque ad hanc horam undique iactatur, procellas. Qui dolor cum iustissime omnium catholicorum animos moveat, quibus Regnum Dei non posse stare sine salute Ecclesiae, neque salutem Ecclesiae sine salute Apostolicae Cathedrae persvasum sit, exinde magnopere per universum orbem christianum augetur, quod Pontificem ante omnes dilectum, qui etiam durissima corda amore sibi devinxit, extortum videmus a sepulchris Apostolorum, derelictum a propriis filiis, aeterna Urbe pulsum. Sed in abyssum tristitiae propter innumeras, quibus undique Ecclesia circumdatur, afflictiones immerso permagnum mihi solatium praebuerunt literae Sanct. Tuae de die 2 Febr. ad Antistites totius orbis catholici datae, quibus non solum de omnibus, quae ab Apost. Sede ad promovendum cultum BVirginis nuperrime suscepta sunt, certiores fiunt, sed etiam de suis nec non de subditorum circa Immaculatam eius Conceptionem piis sensis, ut quantocius referant, admonentur. Itaque quod attinet quae scribis, SS. Pater, de opera, quam navasti ad praeparanda omnia, quae necessaria videntur, ut Ecclesiae doctrina definiri possit, S. V. Mariae conceptum immaculatum omnino fuisse atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem, hoc opus te et tua erga purissimam atque intemeratam Matrem pietate dignum suscepisti. Deinde si relationem meam exoptas, qua devotione Clerus populusque fidelis Dioecesis Rottenburgensis erga immac. V. Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Ap. Sede decernatur, et quid ego ipse de hac re iudicem vel sentiam, noscere cupis, voto tuo paucis obsecundare promtissimo sum animo. Non possum silentio praeterire, cultum Marianum, quem tantopere commendat religio catholica, iniuria temporum in fide nutantium et amore destitutorum per has regiones — per aliquantum temporis iacuisse. Notabile fuit damnum inde emergens;

periere ita pulcherrimi vitae christianae flores et fructus, quasi mala pruina extincti, quippe qui experientia teste ibi laetissimi reperiuntur, ubi ferventioris erga Deiparam devotionis quasi luce corda perfunduntur. Sed transiit hiems, imber abiit et recessit; novus insvetusque calor frigescentes animos solvit; Spiritus, qui spirat ubi vult, afflavit etiam Catholicos huius dioeceseos, et qui antea in pietate erga Matrem amabilem infeliciter languerant, iam quod deliquerant duplicato studio compensare nitebantur. De tanta huius dioecesis catholicorum mutatione ut sibi posset congratulari mater Ecclesia, non parum in causa est erecta ante aliquot annos Parisiis Archiconfraternitas illa celeberrima de SS. et immac. corde Mariae, cui permulti ex dioecesanis meis paulatim adscripti sunt et quotidie adscribuntur. Accedit, quod ingenti cum plausu fidelium praesenti anno iussu meo per totam dioecesim preces publicae cum litaniis in honorem illius institutae sunt, cui tener pietatis sensus mensem ante omnes amoenum dedicavit. Nec praetermittendum censeo, in litania lauretana passim etiam apud nostrates inseri illud: ‚Maria sine originalis culpae labe concepta, ora pro nobis.' Itaque omnibus rite perpensis *non dubito iudicare, praeparatos esse dioecesanos meos tam clericos quam laicos ad excipiendam fideli mente definitionem expressam de imm. Conc. BMV.* imo bonorum animos in hac dioecesi non minus quam alias exinde incredibile hausuros esse solatium. Restat, ut nutum tuum sequens mea de re tanti momenti sensa sincero corde exponam. Ex quo tempore occulto Dei iudicio in hanc, quam nunc teneo, Sedem Eppalem evectus sum, circumdatus non paucis difficultatibus, quae in tanto officio praesertim hisce temporibus deesse numquam solent, oculos et mentem filiali cum fiducia ad illam convertere non cessavi, quae pulcherrimo nomine Stella maris nuncupatur. Lubentissime igitur, utens occasione mihi oblata eum, quo erga piissimam Matrem ac Dominam afficior, amorem manifestandi, *me quoque ex eorum numero esse profiteor qui dignum, aequum ac iustum esse censent enunciari claris et expressis verbis ab illa Ecclesia, quae omnium magistra est, esse de fide: Deiparam Virginem iam in ipso conceptu ab omni prorsus originalis culpae labe fuisse immunem.* Haec est

doctrina catholica, de qua omnes de religione bene meriti auctores hodie consentiunt; haec doctrina, quae pene unanimi consensu Patrum certa est; haec doctrina, quae nostris temporibus etiam miraculis confirmata censenda; quae, postquam Spiritus S. per tot seculorum seriem obstantia argumenta profligavit, tantam apud fideles evidentiam nacta est, ut contradici sine nota pertinacis ingenii nequaquam possit. Habes, SS. Pater, fideli mente exposita, quae sint Catholicorum huic dioecesi adscriptorum sensa de quaestione in literis tuis proposita. Laetissima me cum subditis meis spes tenet, fore, ut Apost. Sedes brevissimo tempore, quo est eius sapientia desuper hausta, non studio humano acquisita, neque per carnem et sangvinem revelata, ea decernat, quae honore Matris purissimae, et etiam eius dignissima sunt, qui eam ab initio et ante secula creavit, necnon uterum eius non horruit, et luminis sui claritate tamquam dilectissimam sponsam obumbravit. Quod si factum fuerit, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis fortasse propitiis oculis respiciet et videbit et visitabit vineam istam, quam plantavit dextera eius, sed nunc exterminavit aper de silva et singularis ferus depastus est. — Rottenburgi ad Nicarum, 6 Iun. 1849. *Iosephus Lipp.*

1022. **Eppus Varmiensis in Borussia.** — *Clerus* dioec. Varmiensis, alias perfecte imbutus scientiis theologicis, necnon rite instructus circa Conceptionem SS. Virginis, et in specie quod immac. Conceptio adhuc non comprehendatur inter articulos, qui de fide catholica sunt credendi, singulari quidem devotione afficitur erga glor. Virginem, quam omnes de Clero una cum Ecclesia Catholica unanimiter credunt et profitentur Dei Matrem in coelis super omnes choros coelestium Potestatum a Deo exaltatam; quod vero pertinet ad ipsius S. Virginis ortum seu conceptionem, *multi, in quorum numero etiam est Capitulum Ecclesiae Varmiensis, suam sententiam eo protulerunt, quod hisce turbulentis et non tantum rebus politicis sed etiam ecclesiasticis iniquis temporibus ad praecavendas haereses et evitanda schismata non expediat quidquam novi statuere circa hanc materiam Apostolica aucto-*

ritate, sed magis conveniat hanc fidem respective usque ad commodius tempus concludi et relinqui inter terminos, quos statuit S. Trid. Synodus Sess. V de peccato originali; *his vero, qui ita de Clero Varmiensi sentiunt, deductis, adhuc est magnus numerus eorum, qui immac. Conceptionem palam professi sunt, una cum ardentissimo desiderio, ut haec fides Apost. auctoritate decernatur et confirmetur.* In *populo* dioec. Varmiensis, qui pariter cum intima devotione addictus est cultui SS. Virginis, quod luculenter testantur devotionis argumenta, quibus cum magna frequentia Sacramentorum celebrantur festa BV. et in eius honorem extant plures insignes Basilicae dedicatae et Confraternitates introductae, *fides immac. Conceptionis viget universaliter,* quamvis non desint, qui minus instructi in fide sub immac. Conceptione non ortum eiusdem Virginis sed conceptum Dei-Hominis in utero virginali operante Spiritu S. adprehendant et credant. Fovetur autem et alitur fides immac. Conc. in populo Varmiensi fideli et assidua cura et diligentia Parochorum, praesertim in concionibus; et, prout mihi persvadeo, nemo de Clero, etsi teneat diversam opinionem, tentabit quiddam docere aut dicere, quod laederet piam fidem imm. Conc. in populo, seu unde posset ista fides in periculum venire aut in dubium vocari; sunt vero de Clero Varmiensi, qui timeant, quod si quid novi circa Conceptionem BV. Apostolica auctoritate decernatur, id rudis populi, qui nescit discernere inter dogma et id quod pie tantum credendum est, fidem circa imm. Conc. prout nunc universaliter existit, possit in aliquod discrimen adducere. Quod me attinet, Pastorem et Eppum Eccl. et Dioec. Varmiensis, *ego fideliter coram Vobis, SS. Pater, profiteor meam fidem, qua indubitanter credo, BVMariam fuisse immunem a peccato originali atque adeo immaculate conceptam;* tenens hanc fidem a teneris annis et statuens in ea vivere et mori; persvasum enim habeo, quod deceat eam, quam Deus ex posteris Adae ab aeterno praedestinavit Verbi incarnandi Matrem, ad hanc immensam dignitatem a Divino Creatore ita creari et praeparari, ut singulari privilegio eam voluerit exemtam a communi hominum labe et corruptione; secutus quoad hoc sententiam tot SS. Patrum, qui ita senserunt, doctrina sua, quam divinitus

acceperant, Ecclesiam illustrantes; quare *laetabundus in Domino gaudebo, si emanato decreto Vestrae Sanctitatis ad laudem et gloriam SS.* *Deigenitricis novum pondus accedat, ex quo universa cum iubilo exultabit S. Ecclesia Catholica.* Quibus pro ratione obedientiae et fidelitatis, qua Vestrae Sanctitati inviolabiliter obstrictus sum, expositis, restat, ut tam hac in re quam in aliis omnibus, quae pertinent ad fidem, supremae Vestrae auctoritati et iudicio me una cum universo clero et populo mihi concredito perfectissime submittam, profitendo, quod quidquid et quando Vobis placuerit circa Conceptionem SS. Virginis Apostolica auctoritate decernere aut statuere, in eo divinum oraculum a christiano orbe est agnoscendum, idque ita agnoscetur et acceptabitur a me et grege Varmiensi, ut uterque plenissima fide ac obedientia sese subiiciat decreto seu statuto Supremi Capitis Ecclesiae, in quo constituit Christus suae doctrinae fidelissimum custodem et veracissimum Magistrum. — Frauenburgi, 6 Iun. 1849. *Iosephus Ambrosius.*

1023. **Eppus Fuldensis in Provincia Sup. Rhenana.** Literas encyclicas, quas Sanctitas tua ad cunctos orbis Eppos dedit, summa reverentia ac pietate erga Sedem Apost. accepi, nec minori gaudio affectus sum, cum eae ipsae me docerent, doctrinam de imm. Conc. BVM. iudicio Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis, definitum iri. His temporibus, quibus Deus Ecclesiam suam visitat, quibus satanas eam expetit, ut cribret sicut triticum, *magno mihi solatio, et non dubito et tuae Sanctitati affirmare possum, clerum et populum dioecesis meae fidelem pene universum de doctrina imm. Conc. Matris Domini mecum eadem sentire. Fideles* namque libro Catechismi, iuxta quem doctrina catholica traditur, edocti ‚ipse enim a labe peccati originalis immunem declarat BVMariam', non aliam Matrem D. N. I. C. norunt, quam sine peccato conceptam; manus tollunt ac dirigunt preces ad Immaculatam; eamque ipsam non rite laudare ac venerari crederent, imo laudibus eius quid detrahere contremiscerent, si eius auxilium implorantes intemeratae Conceptionis eius non

recordarentur. Votum haud faciunt, ut doctrina huius imm. Conc. iudicio Ecclesiae dogma declaretur: non enim aliter sentiunt ac credunt, quam hanc doctrinam ab Ecclesia infallibili iam esse definitam. Quod *Clerum* attinet, *eandem cum fideli populo fidem de imm. Conc. almae Virginis tenet ac fovet, simulque in votis habet, hancce doctrinam tandem dogma fidei declarari,* ut, quemadmodum Vincentius scribit, intelligatur illustrius, quod antea obscurius credebatur. Nec tamen desunt in Clero viri, qui scientia insignes, pietate erga Matrem Ecclesiam pleni eandem cum ceteris quidem de imm. conc. Mariae V. fidem habent, et, si quid hac de re a Sede Apost. statueretur, humillime id amplecterentur: non tamen nostris turbulentis temporibus, quibus impietas tam impune grassatur, quibus nec Ecclesia nec Civitas pace fruitur, ut id fiat, svadent aut optant. Respiciunt maiorem partem populi fidelis, qui etiam sine declaratione Ecclesiae frui BVirginem hac praerogativa credit, matremque incontaminatam veneratur; respiciunt tepidos in oppidis potissimum cum acatholicis degentes, qui in fide non stabiles, in caritate erga piissimam Virginem non bene fundati, si fors inter ipsos et rei catholicae adversarios lis exarserit, inferiores facile inveniri possint; respiciunt denique hostium innumerabiles turmas, quibus, ut timent, opportuna occasio et ansa daretur, hac doctrina iudicio Ap. Sedis decisa calumniandi Domini nostri Sponsam Ecclesiam Cath. necnon acerrime invehendi adversus intemeratam Virginem, praesertim cum hodiedum in Germania omnia turbentur, omnia misceantur, et antiquus ille serpens vehementius quam unquam calcaneo insidietur. Quamquam non inficias iverim, hasce curas haud flocci faciendas et minime esse contemnendas, easque Sanctitatem tuam non velim celare: *fusis ad Deum Patrem luminum copiosis precibus, horum tamen sententiae non possum subscribere, quod throno Sanct. tuae accedens ingenue fateor.* Quo enim maior adversariorum numerus, quo insolentius Christum Dominum in eius Ecclesia persequuntur, quo magis breviatum est brachium seculare, quo impotentiores facti sunt Reges qui eam tueantur: eo magis Ecclesiam, cui cum potestatibus tenebrarum dimicandum est, eius opem et auxilium efflagitare oportet, quae caput serpentis contrivit;

eam tollere laudibus et venerari precibus, quae Filium suum exorans cunctas haereses sola interemit in universo mundo. Venit hora, ut ego opinor, qua Dominus denuo visitat Ecclesiam suam, in manu sua gestans ventilabrum et permundans aream suam: venit hora, qua Ecclesia, cuius vita est vita Christi, ingemiscit: ‚conculcaverunt me inimici tota die, quoniam multi bellantes adversum me; Domine ne longe facias auxilium tuum a me, ad defensionem meam aspice; libera me de ore leonis et a cornibus unicornium humilitatem meam;' fugiunt interea et se abscondunt timidi, qui ad sangvinem usque resistere non audent. Hisce malis non medetur prudentia mundi, quae anxia debilium rationem habendam esse censet; fortitudini eorum, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, ingenuae et laetae confessioni fidei cedit pestis undique grassans; Ecclesiae iam omnia sacra eaque victricia arma paranda sunt, quibus profligentur hostes regni Christi, cui evertendo impio conatu student, et profecto his victricibus armis nullo non tempore adnumeravit patrocinium BVirginis Ecclesia Catholica. *Ego quidem minimus omnium fratrum, in eo, quod hoc potissimum tempore, quo Ecclesiae navis tot et tantis iactatur fluctibus, te SS. Pater tam multi precibus accedunt, ut ad glorificandam Matrem Domini nostri velis quo l in hac re sit depositum fidei iudicio et auctoritate Apostolica enunciare, quod tu hisce precibus tam benigne annuis, ductus sane a superno Spiritu, in eo Dei O. M. voluntatem veneror,* et manus tollens ad coelestem Patrem, a quo descendit omne bonum, et divinum lumen tibi efflagitans, decisionem Ecclesiae omni qua par est humilitate expecto, imo qualiter eventura haec sit, summa pietate eam acceptabo, qualisque de ore Summi Pontificis infallibili processura sit, regulam fidei amplector. — Fuldae, 14. Dec. 1849. *Christophorus Florentius.*

1024. **Eppus Spirensis in Bavaria.** Summa mihi consolatio summumque gaudium allatum est literis Apostolicis Caietae die 2 Febr. datis: quibus intellexi, Sanct. Tuam ardentissimo catholici orbis desiderio obsecutam providisse,

ut gravissimum de immaculata BVM. Conceptione argumentum accuratissime examinaretur, rationesque ferendae sententiae sedulo perpenderentur. — Communem eamque *piam de imm. BV. Conceptione doctrinam,* quae in plerisque precum et meditationum libellis frequentissimo usu in dioecesi Spirensi receptis exposita est, *fideles tam alte animis defixam habent, ut tantum absit, ut in dubium vocetur, ut contra ab omnibus fere controversiarum de re ignaris in dogmatum numero habeatur. Permulti autem tum Clerici tum laici rerum dogmaticarum periti aut minus expertes sincero ac devoto animi affectu BV. colentes toto animo exoptant, ut solemni Ap. Sedis iudicio SS. V. Deiparae idem honor decernatur, quo communis fidelium pietas illam veneratur et colit.* Verumtamen cum res est tam gravis momenti, non possum quin animadvertam, nonnullos esse theologos et eccl.viros, qui doctrinam scholarum disputationi hucusque relictam minime censeant definiendam esse immutabili sententia, qua liberum de re iudicium praecidatur, et pertinaces spiritus lacessiri possint atque irritari. Quibus adnumerandos illos puto, qui verentur, ne increduli et haeretici BVirginis tamquam Deigenitricis dignitatem impugnantes et Christi Salvatoris divinitatem negantes aut in dubium vocantes ad novas in SS. Virginem, quae universas haereses interimit, calumnias, uti solent, et blasphemias proferendas incitentur. Ego quidem istorum cavillationes et obtrectationes, quibus fidelium in terris quasi infidelium degentium aures quotidie obtunduntur, pro nihilo habendas esse duco, modo ne fidelium devotio et pietas erga Deiparam gratia plenam imminuatur, sed ut magis magisque augeatur. Illi autem, qui pertimescere videntur, ne ea sublata indicandi et de re in diversas partes disserendi libertate novi et scandalosi contentionum motus in ipsa Ecclesia exoriantur, persvasum habeant: perexiguum esse illorum numerum, qui contrariam opinionem fortasse argumentis tueri posse arbritrentur; nec dubitent, quin iidem ut fideles et dicto audientes filii non tantum iudicio Ecclesiae se ultro subiecturi sint, sed et ad illustrandam et rationibus confirmandam eam, quam Ecclesia definierit, doctrinam ingenii vires collaturi. *Mihi persvasissimum est et procul omni dubio, BVMariam,* quam summus

rerum omnium conditor et moderator Deus, ut Filii sui Unigeniti naturam humanam sumturi mater fieret et antiqui serpentis caput contereret, ab aeterno designavit, *ne in ullo quidem temporis puncto sub daemonis potestate fuisse,* Divinique Salvatoris sanctitati non solum non convenire sed prorsus repugnare, quod ipse tamquam novus Adam natus esset ex Matre, quae vel uno momento peccati labe contaminata, aut in qua aliquid unquam damnationis fuisset. *Hac fide animatus illorum omnium me numero ipse lubens adiungo, qui petitiones suas ad Sedem Apost. pertulerunt, exoptans et efflagitans, ut veluti Ecclesiae doctrina definiatur, BVMariae conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni originalis peccati labe immunem.* Si inter omnes Ecclesiae Cath. doctrinam profitentes certa fide constat et nulla prorsus dubitatio est, BVMariam ab omni peccato actuali fuisse praeservatam, et ab omni peccato originali, antequam in lucem prodierit, liberatam: profecto non est, cur non admittant et credant, ipsam a peccato originali, ex quo concupiscentia et actuale peccatum originem trahunt, ita fuisse praemunitam, ut neque peccato, nec culpae, nec poenae, quae ex labe originali existunt, unquam fuerit obnoxia. BVirgo creditur et dicitur immaculate concepta non ideo, quod liberata sit a peccato originali et a culpa et poena, quae inde consequuntur, sed quod peccatum originale nullum unquam locum in ea potuit habere, quippe quae per plenitudinem gratiae, cuiusmodi Deus nulli mortalium unquam concessit, soluta fuerit lege communi, qua peccatum originale a primo homine in posteros omnes per generationem dimanavit. Praeterea si concedatur oportet, quod peccatum originale in infantibus sacro fonte lustratis, per accedentis gratiae actionem ita deleatur vel deleri possit, ut in renatis ipsa concupiscentia ad vitae tempus omni careat effectu, haud difficulter admitti poterit et credi, hominem posse nasci, qui divina operante gratia sine actuali cooperatione peccato, quod naturali necessitate, nec consentientibus genitore et genito existit, non sit obstrictus. BVirgo non sine causa ab Angelo salutata est ut gratia plena: non ideo quidem, quod simul ac nuncio annuisset, gratia super eam esset ventura, sed quod iam ante plena gratia erat, cui

veluti electae et benedictae in mulieribus annunciatio facta est. Ex S. Literis compertum habemus, a Deo nonnullos ad maiora in ordine salutis praeelectos esse, Ieremiam nomino et Ioannem Baptistam, qui iam in matris utero singulari gratia sanctificati sunt: quanto magis Mariae vita, plenitudine gratiae praevenienda erat, ut in mundum ingressa fide et obedientia viam salutis praepararet, quippe quae Virgo erat ante omne aevum electa, ut in reparando humano genere eiusque salute promovenda partes sibi ab aeterno destinatas susciperet, quapropter et a peccato originali erat praeservanda. Quam doctrinam ipsa quoque Ecclesia Cath. diem Conceptioni BV. sacram instituendo solemniter professa est, cum ipsa nullius eventus solemne festum celebret, cui aliquid peccaminosi inesse, aut peccatum omnino alienum non esse existimet. De reliquo firmissimum argumentorum, quae pro immac. BVM. conceptu pugnant, fundamentum sine dubio in dignitate eius tamquam Matris Dei positum est: in huius dignitatis amplitudine et sublimitate nititur fidelium fides, ex ea exortum est ardentissimum illud et pientissimum orbis cath. desiderium, ut ab Ap. Sede solemni iudicio decerneretur, SS. Deigenitricem absque labe originali fuisse conceptam. Sancta Mariae humanitas praeparata est, ut ex ea Filius Dei humanitatem sumeret ad salvandum genus humanum; ipsa electa generis humani mater, quae non mortem uti Eva, sed vitam afferret edendo Verbum Divinum, quod est vita hominum: ideo ab initio fuit gratia plena, et ab initio erat Dominus cum ea, et ab initio erat benedicta in mulieribus, et magna fecit in ea, qui potens est, et sanctum nomen eius. — Spirae, 15. Dec. 1849. *Nicolaus Weis.*

1025. **Eppus Herbipolensis in Bavaria.** Quas die 2 Febr. Sanct. Vestra ad Eppos totius cath. orbis dedit epistolas encyclicas, iudicium solemne de BMV. conceptione immaculata ferendum concernentes, — cum gaudio et exultatione spiritus perlegi, in iubilo animi ex eis desumens, quam magna moliatur Sanct. Vestra ad laudes Virginis Genitricis

Dei Matrisque nostrae piissimae promovendas. — Ordinationibus meis per literas factis quam diligentissime obsecundabatur, ac etiam hac iterum speciali occasione manifestabat se devotio iam pridem probata Cleri et populi dioecesani erga BVirginem. *Clerus* pie reveretur Matrem Christi Dei Salvatoris nostri, et *bene scit, doctrinam hanc de imm. BVM. conceptione certissimam esse catholicam veritatem. Populus hanc eandem veritatem simpliciter credit, sicut credit dogmata fidei;* atque in Germania, in dioecesi Herbipolensi, praesertim in Franconica eius parte notum est, cultum BV. semper floruisse. Ac proinde re adeo gravi mature perpensa, *ex parte dioeceseos Herbipolensis* mihi concreditae *non solum nullum omnino invenio obstaculum, imo utilissimum duco et supplex oro, ut ad maiorem Dei gloriam, ad augendas BV. laudes, ad promovendam Ecclesiae militantis utilitatem Sanct. Vestra iudicio solemni pro toto orbe terrarum tamquam dogma catholicum pronunciare dignetur, BVMariam absque omni labe peccati originalis Deo praeservante fuisse conceptam.* — Herbipoli, 15 Dec. 1849. *Georgius Antonius Stahl.*

1026. **Eppus Limburgensis in Prov. Sup. Rheni.** Quas mihi Sanct. tua circa pientissimam sententiam de immac. BMV. conceptione solemni S. Sedis iudicio decernendam mittere dignata est literas, maximo cum gaudio excepi. — *Nil mihi profecto iucundius, nil acceptius esse potuit, quam audire, talem te, B. Pater, tecum volvere cogitationem, ut SS. Virgo, immaculata eius conceptione solemniter declarata, novo adhuc in terris honore amplificaretur; quod ut fiat, equidem quam maxime exopto.* Et certe quid magis congruum esse posset, quam ut mulier illa fortis et invicta, quae inter ipsa nascentis mundi primordia ad serpentis caput conterendum ventura praedicta est, hisce ultimis, ut multi quidem putant, diebus gloriosa et intacta draconis victrix exultantis Ecclesiae voce per universum orbem praedicaretur? Quid porro aequius, quam ut hisce ipsis temporibus, ubi mulier fornicaria sedens super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiae,

mater fornicationum et abominationum terrae, innumeros inebriasse videtur vino prostitutionis suae, quam ut confugiamus ad alteram mulierem, quae apparuit in coelo, amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim, ad Matrem salutis et Genitricem vitae, et duplicato honoris et devotionis obsequio maiorem quoque gratiam et opem eius intercessione consequamur? Haec autem cogitans, iamdudum publicas in dioecesi mea preces ex voto et mandato Sanct. tuae indicendas curassem, nisi turbulentis tum ac tumultuosis temporum circumstantiis timuissem, ne per hoc s. religionis et praesertim immac. Virginis hostibus deridendi tantum mysterium ac cavillandi in ipsis publicis ephemeridibus ansam praeberem. Qui quidem timor etiam nunc sedata ad horam aliquantulum tempestate me retinet, quominus mandatis tuis plene obtemperem. Illud autem interim faciendum duxi, ut Sanct. tuae saltem quid ipse, quidque clerus et fidelis populus in hac mea dioecesi de dicto mysterio sentiamus, et quali desiderio illud S. Sedis auctoritate solemniter decerni exoptemus, literis humiliter exponerem. Ad me quod attinet, ex supra dictis iam nosti, B. Pater, qualiter sentiam; reliquum est, ut et cleri populique mentio fiat. Et primum quidem *populus maxima ex parte Beatissimae Deigenitricis cultum a patribus veluti haereditate acceptum toto corde amplectitur, et licet huius quaestionis ignarus dulcissimam coeli Reginam tamquam Virginem intactam ac sine labe conceptam pie veneratur,* quod iam liquet ex magno fervore et affectu, quo fideles confraternitati SS. et imm. Cordis BVM. in plurimis parochiis erectae adhaerent. Simili modo et *Cleri magna pars,* ut mihi persvasum habeo, *aequali pietate ac devotione imm. Virginem colit, et flagranti desiderio eiusdem glor. Matris honorem solemni S. Sedis iudicio de imm. eius conceptione augeri exoptat;* et licet sint, qui an similibus sensibus penetrentur, exploratum non habeam, dubitare tamen nullatenus possum, quin et illi supremum S. Sedis Ap. effatum summa veneratione excepturi sint. — Limburgi, 14. Ian. 1850. *Petrus Iosephus.*

1027. **Eppus Ratisbonensis in Bavaria.** — Quae ex relationibus undique ad me transmissis attenteque perlectis erui colligique potuerunt, ad tria haec capita recludi possunt: 1. *Populum catholicum* (ut qui inter dogma, quod necessario credendum est, et inter doctrinam ab Ecclesia tantum desideratam neque tamen stricte praeceptam haud facile distingvit) *tenero passim cultu in BV. ferri, erectis quoque piis sodalitiis imm. eiusdem conceptionem adeo venerari, ut frequentissime in precatiuncula* ‚Laudetur et superexaltetur SS. Altaris Sacramentum' *addere consveverit:* ‚atque immaculata BV. conceptio.' 2. Ex priori fluit: quod quidam parochi ex singulari hac populi in Virginem Dei Matrem pietate et religione metuant, ne gregum suorum fides labefactetur vel conscientia perturbetur, quum pro dogmate demum definiri audiant doctrinam, quam (scilicet ob defectum necessariae instructionis) dudum et usque ad hunc diem veri dogmatis instar amplexati fuerunt, atque tum animo crediderunt, tum ore professi sunt. Quid quod nonnulli (formidolosiores an sagaciores dicam?) timeant, ne tale novum de illibato Divinae Matris conceptu Apostolicum decretum turbulentis hisce temporibus nostris minus conveniat, potius adversariis optatam praebeat ansam, inconstantiae vel erroris Ecclesiam Cath. in novis fidei articulis pedetentim statuendis insimulandi? Quasivero teste historia nova vocabula, e. g. Homousios, Transsubstantiatio, ab Ecclesia nunquam fuerint inducta, non ut dogmata conderentur, sed ut antiqua contra novos adversarios, puta haereticos, explicarentur et confirmarentur. 3. Tertium relationum caput *pars Clericorum intelligentior et sanior* proponit, *cui ego quoque adstipulor.* Hi nimirum viri *neglecto isto vani timoris spectro nil avidius omnibus votis desiderant atque exoptant, quam ut tu, SS. Pater,* qua successor illius Apostoli, cuius fidem non defecturam praedixit, quemque confirmare fratres suos ipsamet Patris coelestis incarnata atque conversata cum hominibus in terris Veritas iussit, *decreto immutabili et irreformabili pronuncies, SS. Deigenitricem V. Mariam sive ob praevisa merita Christi, sive alio speciali divinae providentiae privilegio absque peccati originalis macula conceptam fuisse.* Hoc sane desiderium nostrum et respective humillima supplicatio

tum S. Scripturae tum communi SS. Patrum sensui, praecipue vero iis, quae SS. Antecessores tui Romani Pontifices circa hoc punctum statuerunt, quid quod ipsius S. Synodi Tridentinae effatis quam optime congruit. Etenim cuius creaturae alius, nisi divinae Matris et Virginis puritas tanta est, ut illi ista Cantici Canticorum elogia ,Tota pulchra es — quae est ista etc.' et similia applicari queant? Quisve, qui Salutationis Angelicae verba omni ex parte perpendit, imaginari sibi queat, illam benedictam, ex qua Christus redemtionis nostrae et omnis sanctitatis auctor, naturam humanam assumere ab aeterno decrevit, peccati originalis labe pollutam, et priusquam ea mundaretur obiectum displicentiae et reprobationis divinae, utpote diaboli mancipium, fuisse? Unde S. Augustinus cum aliis Patribus recte concludit: ,Reverentiam erga divinam Matrem Virginem, debitumque eius Filio honorem id exigere, ut quotiescunque de peccato sermo inciderit, Maria nusquam comprehensa, sed semper excepta intelligatur'; id quod fere iisdem verbis S. Syn. Tridentina declarat. Quidquid sit de dubia saltem S. Anselmi epistola, qui festum conceptae BV. primus in Anglia instituisse dicitur: certe post Sixtum PP. IV, qui festum imm. Conc. BV. pie celebrantibus indulgentias largitus est, Pius V, Paulus V, Gregorius XV, Alexander VII, Benedictus XIII Summi Pontifices, etsi piam hanc opinionem doctrinamve pro dogmate stricte tali nondum agnoscerent, fideles tamen hanc sententiam amplexos erroris argui vetuerunt, et morem approbarunt, in omnibus fere literarum Universitatibus ad exemplum Parisinae, olim etiam in Ingolstadiensi patriae nostrae sensim invalescentem, ut ad doctoratus gradum non promoverentur, nisi qui ad immac. BVM. Conceptionem cum ipsius vitae discrimine defendendam iureiurando se obligassent. Numquis vero ad rem minus probabilem tali modo propugnandam obligare se absque peccati piaculo possit? Quandoquidem ergo haec de immac. VM. conceptione sententia tot tantosque propugnatores habet; tantopere ab Ecclesia Catholica, contrariam thesin constanter respuente, desideratur atque fovetur, adeoque omnium piorum tam Clericorum quam laicorum animis infixa haeret: *age iam, SS. Pater*, utere praerogativa divinitus tibi concessa, et

afflante Spiritu S. quod piae memoriae Gregorius XVI Antecessor tuus in votis habuit, tu successor eiusdem divino instinctu exequere, *atque oraculo summae Sedis in perpetuum valituro defini et pronuncia: Immaculatam BMV. Conceptionem veri dogmatis instar ab omnibus fidelibus credendam profitendamque, sententiam contrariam tamquam haereticam impiamque esse respuendam.* Hoc si propitio Numine prospere peregeris, quippe cum Deigenitrici soli datum sit omnes haereses interimere in universo mundo: quid obstat, quominus speremus, imo confidamus, fore, ut piissima Servatoris nostri Genitrix, coelestisque omnium nostrum Mater, novo quasi antiquae suae praerogativae ornamento illustrata, multiplicatis tandem fidelium invocationibus exorata, acerbissimas, quae Ecclesiae Cath. totique christianae societati acciderunt adhucque imminent, calamitates, humanis tantum viribus non avertendas, omnipotenti suo apud Filium patrocinio depellat, pacemque feliciter restituat? Ratisbonae, pridie Cathedrae S. Petri Romanae. 1850. *Valentinus.*

1028. **Nuntius Apost. Monacensis de sententia Parochorum sibi subiectorum Anhalt-Dessau, et Anhalt-Cöthen.** (Ad Card. Praef. Propag.) Vix pertigit ad me veneratissima Litera Em. V. de 25. Aprilis p. p. mox festinavi scribere parochis *Anhalt-Coethensi*, et *Anhalt-Dessauensi* sub spirituali iurisdictione huius Nunciaturae existentibus, iis iniungendo, ut in Ecclesiis suis instituant preces pro gravissimo obiecto, in praelaudatis Literis attacto. Commisi una iisdem, ut me certum reddant de eo, qualinam devotione sint animati fideles dictarum parochiarum erga Immaculatam Conceptionem SSmae Virginis Mariae, et quod desiderium, ut per S. Sedem solemniter definiatur qua dogma fidei, quod nempe ipsa Sanctissima Virgo Mater Dei in suo Conceptu immunis fuerit a quacunque macula peccati originalis. Parochus Anhalt-Dessauensis mox reposuit ad meas Literas, sed Coethensis responsum dedit saltem hodie. Festino ad notitiam E. V. perferre responsa eorum, transsumta ad verbum in adnexo folio, in quibus

repertura est replicam ad positas quaestiones. Mea ex parte non habeo quod adiungam, quam [quod mihi cordi sit, ut solemnis declaratio, qua dogma fidei, locum habeat, Sanctissimam Virginem Mariam conceptam fuisse absque omni macula originalis culpae. Non possum reticere esse hic nonnullos ecclesiasticos significantiores, doctrina et pietate conspicuos, qui desiderium hoc non fovent, metuentes, quod talis declaratio possit esse motivum impetitionum a parte protestantium, et cuiusdam dissidii inter Catholicos, et quia Ecclesia, dicunt, dum rem aliquam ut dogma fidei definiendam habuit, solita sit facere id in Conciliis oecumenicis et in adiunctis alicuius haereseos. Monachii die 15. Iunii 1850. *Carolus Sacconi.*

1029. 1030. **Provocatae Epistolae Parochorum: a) Anhalt-Dessaviensis.** Literas ab Exc. V. de die 6 huius mensis ad me datas, in Vigilia Ascensionis Domini recipiens, sine mora sequenti die fidelibus novenam in honorem Spiritus S. ad intentionem SS. D. N. Pii IX. indixi, quae etiam a magis piis parochianis quotidie visitatur. Ego quidem libenter non solum orationem de Spiritu S. quotidie per mensem in Missae Sacrificio addam, sed etiam ipsum SS. Sacrificium pluries eadem intentione offeram, ut tandem aliquando honor BMV. Matris nostrae amantissimae etiam ex hac parte augeatur, et pia hucusque ab immuneris animabus fidelibus habita opinio qua dogma a S. Sede Apost. definiatur. De devotione quidem, quae in hac Parochia erga immac. BMV. Conceptionem existat, vix quidquam propter eius exiguitatem referri potest, attamen *affirmare debeo, quod sparsae hinc inde piae animae singularem devotionem erga BMV. immac. Conceptionem iamdudum exerceant, et generatim omnes catholici huius Parochiae festum Conceptionis BMV. die 8 Dec. ea opinione celebraverint, quod huius festi diei fundamentum sit immaculata sine labe originali BMV. Conceptio. Ex quo eorum desiderium facile concludi potest, ut qua dogma a S. Sede definiatur, quod qua veritas ab ipsis iamdudum aestimatum fuit.* Quod ad me spectat, quamplurimum desidero, ut Officium novum Immac. V. M. Conc. in

posterum dicere et Missam correspondenti modo celebrare possim. — Dessaviae, 16 Maii 1850. *Franc. Küstner.* — b) **Anhalt-Cöthensis.** — Literis de die 6 Maii a. l. Exc. V. interrogat, quaenam devotio in mea Parochia in immaculatam V. Mariae Conceptionem existat. Sciunt hic habitantes Catholici, immac. Conceptionem hucusque non dogma sed piam Ecclesiae opinionem esse, atque ut fere ubique in regionibus protestanticis, et hic plerique Catholici Conceptionem immaculatam rem in incerto relictam habent. *Pauci tantum inveniuntur, qui SS. Deigenitricem omniumque nostrum amantissimam Matrem immaculate et sine labe originali conceptam venerantur. Qui eam tali modo colunt, diem Conceptionis concelebrant festum immaculatae Conceptionis. Desiderium relate ad hanc rem in hac Parochia non adest.* Mihi pergratum fuit, quod novum Officium Imm. Concept. nuper Clero Romano concessum Exc. V. etiam mihi concesserit. — Cöthen, 12 Iun. 1850. *Balthasar Bode.*

1031. **Eppus Monasteriensis in Borussia.** Literae Encyclicae Caietae die 2 Febr. 1849 datae, quibus Sanct. tua totius orbis cath. Eppos de BVMariae Conceptione immaculata tandem a Sede Apost. definienda consulere dignata est, etiam ad me pervenere. Haud possum, quin hac occasione arrepta edicam, quantopere mihi summa Sanct. tuae erga amantissimam omnium nostrum Matrem Deigenitricem iisdem literis tam manifeste expressa devotio delectationi necnon aedificationi fuerit. Libentissime ergo Sanct. tuae voluntati obsequens die 3 Maii 1850 publicas per totam dioecesim mihi concreditam preces peragendas indixi. Frequentissime iisdem interfuerunt fideles, Spiritum S. ferventibus mecum implorando orationibus, ut in re tanti momenti divino gratiae lumine Sanct. tuae assistere dignetur. Laetissimo sane animo testificandi mihi copia est, quod Clerus aeque ac populus fidelis in hac dioecesi ferventissima et tenerrima devotione erga SS. Virginem sit affectus, neque omnimode sententiae de immaculata eiusdem Conceptione absonam teneat opinionem. Ceterum desiderium quod attinet, ut sententia haec ab Ap. Sede nunc

temporis veluti Cath. Ecclesiae doctrina definiatur, vota in id directa mihi hucusque, aliorum virorum specialiter expetitam sententiam si excipiam, non obvenerunt; imo non desunt, qui definitionem de illa re dogmaticam pro hoc tempore et pro Germaniae regionibus sine periculo non esse arbitrantur. Neque ego ipse negarem, in hac temporum ratione et in patriae nostrae Germanicae provinciis, in quibus tot degunt dogmatum acatholicorum asseclae utplurimum cum Catholicis permixti, oriri posse ex occasione talis definitionis controversias rei catholicae iniuriosas, et catholicis iis, qui doctrinam catholicam minus profunde pernoscunt, ideoque infidelium et haereticorum oblocutionibus facilius moventur, periculosas. Contra vero minime me latet, alia ex parte *gravissimas adesse rationes, quae definitionem emittendam expostulant. Id certe Sanct. tua firmissimum habere et tenere me sciat, definitionem talem per seculorum seriem esse quasi praeparatam, et iamdudum Sanctam Dei Ecclesiam, in honoribus SS. Deiparae decernendis semper pronam, praestolari quodammodo tempus edicendae sententiae de mysterio immaculatae eiusdem Conceptionis opportunum. Quodsi ergo Apostolicae tuae vocis oraculo, audito iam Epporum totius orbis cath. coetu, sententia definitiva emitteretur, Spiritum S. qui tempora noscit et discernit et maxime opportuna semper eligit, per Petrum locutum esse praedicarem, et nil nisi prosperum, nil nisi salutiferum ex eadem auspicarer.* — Monasterii Westphalorum, 25 Mart. 1852. *Ioannes Georgius Müller.*

1032. **Eppus Trevirensis in Borussia.** — Votis Sanct. Vestrae obsecundans, ubiprimum ad me allatae fuerunt literae praefatae, per universam dioecesim preces publicas indicendas curavi, quae maxima cum alacritate summoque devotionis fervore peractae sunt. *Viget* enim *in Clero populoque Trevirensi pristina erga B. Deigenitricem immaculate conceptam devotio ac pietas,* cuius rei testis est Confraternitas SS. ac imm. Cordis Mariae propagata per centenas dioecesis istius parochias. Cum haec sit pia omnium fides, persvasum habeo,

Clerum populumque ingenti cum gaudio suscepturum esse solemne Sedis Apost. iudicium, quo decernatur, SS. V. Mariam absque labe originali fuisse conceptam. Fateor equidem, me aliquantisper cum quibusdam aliis viris ecclesiasticis dubium haesisse, num habito respectu ad acatholicos, quibuscum in plerisque Germaniae dioecesibus permixti vivimus, tempus adsit opportunum solemni eiusmodi declarationi, nòvas inde cavillationes et incriminationes contra S. Matrem Ecclesiam et contra S. Sedem Ap. pertimescens. *Re* vero *maturius perpensa omnem deposui dubitationem, firmiterque in Domino confido, fore, ut immac. V. Conceptio veluti Cath. Ecclesiae doctrina definita maximopere conferat ad confundendos adversarios fidei*, cum ipsa sit, quae cunctas haereses sola interemerit in universo mundo. — Treviris, Kal. Mart. 1852. *Guilelmus Arnoldi.*

1033. **Card. AEppus Coloniensis in Borussia.** — Datis literis die 3 Maii 1849 cum RR. DD. Eppis huius Provinciae negotium communicavi, ut communi consilio determinarentur publicae preces indicendae per proprias dioeceses et peragendae. — Literis pastoralibus datis 25 Maii 1850 in ADioecesi mea hunc in finem publicas preces indicendas et peragendas curavi. Dein ut eo securius Sanct. Vestrae significare valeam, qua devotione Clerus noster populusque fidelis erga immac. V. Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Apost. Sede decernatur, eam inivi rationem, ut tum Capituli Cathedralis aeque ac Capituli Eccl. Colleg. Aquisgranensis, tum Magistrorum Facultatis Theologicae Bonnensis et AEppalis Seminarii Clericalis rogarem sententiam, qua primo edicant, quid de re ipsa sentiant; secundo, quid circa definitionem exoptent. Antequam ad singula vota descendam recensenda, admonendum esse arbitror, *Clerum A. Dioecesis Coloniensis e triplici*, ut ita dicam, *schola prodiisse.* Et quidem quod ad *veterem Scholam, Coloniensem Universitatem* attinet, *ea antiquitus et semper praeclara extitit* tum propter doctrinae puritatem, tum propter magistrorum probitatem. *Cui autem successit tempus liberioris disciplinae et*

novarum rerum cupidum, ubi sepositis auctoritatis repagulis et pio maiorum ingenio relicto, ea quae diu sancta et probata videbantur spreta sunt atque reiecta. Notum enim est, exinde ab a. 1825 usque a. 1840 haud parvam Coloniensis Cleri partem infectam fuisse *Hermesianismo,* qui quidem in hac quoque re, de qua agitur, pia Ecclesiae sanctorumque Patrum sensa reliquit. Quod vero tertiam scholam attinet, mala et pericula mox indicata ex eo tempore, quo Summi Pontificis Gregorii XVI rec. m. decreta, quibus Hermesii errores damnati fuerant, strictissime observanda curavi, divino adiuvante auxilio evanuerunt et iampridem coeptum est ad priora et meliora sensa regredi. Et quidem quod ad *Ecclesiae* nostrae *Metrop. Capitularium* pertinet suffragium, mense Decembri 1851 ad protocollum duo Capitulares professi sunt: sese lubentissime piae Ecclesiae opinioni de immac. Conc. adhaerere, sibique exoptandam videri dogmaticam definitionem. Quatuor autem alii Capitulares ad praecedentium sententiam accedunt quoad primum, ad alterum autem ex diversis ratiunculis non exoptandam esse definitionem putant. Septimus confitetur, se habere BMV. quidem sanctificatam, ast utrum hoc in conceptione aut post conceptionem factum sit, parum referre putat, seu rem indifferentem esse; ad alterum vero se adhaerere quatuor praecedentibus, definitionem nempe non esse exoptandam. Octavus demum confitetur, se nondum potuisse sibi de hac re acquirere opinionem seu iudicium, se autem accedere in sententiam Concapitularium, quibus non exoptanda videtur Ecclesiae definitio. Quod spectat *Seminarium AEppale,* tres moderatores rogati sententiam, unanimi suffragio, literis exaratis die 4. Ian. 1852 responderunt: se ex intimo corde piae Ecclesiae opinioni adhaerere, et exoptandam sibi videri Ecclesiae definitionem. *Facultatis Theologicae Universitatis Bonnensis* quinque Sacerdotes Professores literis datis 9 Nov. 1851 unanimi suffragio confessi sunt, se adhaerere piae Ecclesiae opinioni de immac. BMV. Conceptione, non tamen exoptandam inpraesentiarum definitionis emanationem. *Capitulares Ecclesiae Collegiatae Aquisgranensis* literis exaratis 27 Nov. 1851. piae Ecclesiae opinioni sese adhaerere confitentur, plures tamen e gremio Capituli non exoptandam putant

Ecclesiae definitionem. Quod ad *ceterum ADioeceseos Clerum* attinet, eadem fere ratione ac in iis, quae hucusque tractavimus, edisserendum erit, nisi forte et quidem iure merito dixeris, pia Ecclesiae sensa, quae fideles pene cum nutricis lacte suxisse videantur, educationis naevis praevaluisse, et ingruentes errores a populo fideli arcuisse, cuius rei specimen saepenumero populus exhibet. *Pro certo* enim *affirmari poterit, sacerdotes quosque pios ac fideles erga immac. V. Deiparae Conceptionem tenerrima semper devotione fuisse et etiamnum esse animatos, et pro maiori veneratione, qua in Beatissimam Dei Matrem semper Virginem flagrant, pientissime cupere et desiderare, ut eiusmodi res a Sede Ap. decernatur.* Quod vero spectat ad *populum fidelem,* hic *piam de imm. conc. sententiam fido firmoque corde et devota mente tenet,* et ex intimis, ut par est, praecordiis fovet, atque pro debito filiali affectu erga BV. eiusdem immac. Conceptionem lubentissime veneratur. Rem vero ita se habere, ut alia omittam, vel ex eo patet, quod Archiconfraternitas sub titulo et invocatione SS. et immac. Cordis BVM. ad convertendos peccatores in permultis ADioec. nostrae parochiis instituta sit, atque eius Confraternitatis preces publicae et pia officia a populo innumero maximo cum fervore ubique frequentantur. Et hanc esse antiquitus ADioecesis Coloniensis solemnem et indubitatam sententiam, variis documentis historicis evinci potest. Ut pauca solum de hoc argumento deponam, notum est: *Academiam Coloniensem ab a. 1492—1499 iteratis vicibus hanc ipsam de imm. BMV. Conc. doctrinam suis praescripsisse,* ut legere est apud ‚Car. Sardagna Th. Dogm. Pol. IV ed. Rom. 1820 N. 87. p. 103‘, et pluribus expositum in ‚prodromo historiae Coloniensis edito Colon. 1759‘, cuius tenor hic est: ‚A. 1496 Oct. Assumt. sub Decano Lamberto de Monte conclusum fuit, quod promovendis in futurum iniungeretur, ut supra conclusum fuit (a. 1495 XII Sept.), quod intemerata Virgo sine originali macula concepta fuerit. Et voluerunt Magistri nostri istam conclusionem extendi etiam ad omnes de Fac. Theol. Colon. promotos et ad singula membra Facultatis. Sed ab a. 1492—1499 saepius instauratum hoc edictum.‘ Laurentius Surius de rebus memor. a. 1501 testatur de insigni Colon. Academia, quod hanc doctrinam

non solum receperit, sed etiam publico et solemni iuramento eius definitionem hilari fronte susceperit. Accedit, quod festum Conceptionis BMV. dupl. 1 Cl. cum Oct. et patrocinium primarium huius ADioec. nostrae a multis retro seculis celebratur, et quod Canonici Capitulares Eccl. Cathedr. adeo iam ab antiquis temporibus insignia deportant pro decoratione pectorali a collo dependente, nempe imaginem stellae aureae (in memoriam stellae tribus Magis praelucentis), in cuius aversa parte Icon BMV. conspicitur cum hac inscriptione: Virgo sine labe concepta. Quae omnia satis superque ostendunt, quae ab antiquo tempore fuerit Cleri populique fidelis Colon. sententia circa BMV. Conceptionem. Reliquum est, *ut quae ipse sentiam, SS. Ambrosii et Augustini verbis edicam.* Primus enim Serm. 22 in Ps. 118 de BV. testatur: ‚Virgo est per gratiam *ab omni integra labe peccati.*' ‚De qua (ut cum altero loquar) propter honorem Domini *nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem.* Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit *ad vincendum omni ex parte peccatum,* quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.' *Haec autem sententia, quam a prima infantia didici, praeter quam aliam nullo vitae meae tempore fovebam, et quam veram habeo,* sane pro singulari quae decet filium erga amantissimam matrem pietate, necnon pro fideli, qua maiorum nostrorum Coloniensium piis vestigiis inhaerendum esse censeo, devotione, *valde exoptare debeo, ut a Summa Ecclesiae auctoritate defendatur et stabiliatur,* quippe quum fieri non possit, quin eius confirmatio ad Dei gloriam, BVM. honorem, et Christifidelium devotionem augendam salutemque promovendam quam maxime contribuat. — Coloniae, 20 Dec. 1853. *Ioannes Card. de Geissel.*

---

2. *Pro defin. conditionata.*

1034. **AEppus Monaco-Frisingensis in Bavaria.** Literae Encyclicae circa mysterium Imm. Conc. sub 2 Febr. Caieta ad universi orbis Eppos a Sanct. tua directae summa

cum veneratione et animo laetabundo ab humillimo infrascripto sub 2 April. receptae fuerunt. Non potui enim, B. Pater, quin admirarer et tuam insignem erga Immac. Virginem pietatem, quae etiam in summo rerum discrimine eius gloriae propagandae non obliviscitur, et singularem divinae Providentiae dispositionem, quae in corde primi Pastoris devotum hunc Matris misericordiae amorem excitavit, ut inde novum et fortissimum in praesentibus procellis Ecclesiae Dei auxilium pararetur. Quod vero attinet ad quaestiones omnibus Eppis a Sanct. tua propositas, humanae quidem fragilitatis conscius, sed etiam Spiritus S. mihi per Sacrum Eppatus ordinem communicati auxilio confisus respondeo: 1. *Me ipsum mysterium Imm. Conc. credere et omnibus viribus tueri,* ideoque iam ab initio meae eppalis administrationis huius ADioeceseos cum Sanct. tuae licentia in Praef. Missae et Lit. Laur. praedicatum Immac. Conc. introduxisse; *meque pro modulo meo opinari, hanc doctrinam ab Ecclesia definiri posse, quia non est novum dogma, sed agniti ab omnibus dogmatis de Deipara necessaria sequela,* et quia dogma de propagato in omnes Adae posteros peccato originali hac doctrina non solum non infringitur, sed manifestius declaratur, quippe quod ad ipsam Dei Matrem de naturae debito pertinuisset; et quia labis illius foeditas eo magis elucet, quod a Matre Dei per speciale privilegium debuit esse exclusa, et quia redemtionis opus eo altius extollitur, quo perfectius una illa speciosa, omnium redemtorum mater, fuit redemta. *Utrum vero haec definitio in praesentibus Ecclesiae circumstantiis consulenda sit necne, vix audeo decidere, quia non sine aliqua veri specie dici possit, eiusmodi definitionem in regionibus, ubi catholici cum haereticis permixti vivunt, novas dissensiones esse provocaturam.* 2. Devotio erga imm. Conc. altissimas in mea dioecesi misit radices, festumque Conc. BMV. iam duobus seculis ante extensionem per Clementem XI a. 1708 factam fuit celebratum. *Fidelium devotio et pia opinio de imm. Conc. tam firma est,* ut ingenue fateri debeam, me hanc ipsam ob causam publicas preces a Sanct. tua exoptatas in ADioecesi mea non indixisse, quia valde pertimescendum foret, populum catholicum turbatum et scandalisatum iri, si tale mysterium, quod iam piissime credit,

nondum definitum esse disceret; theologicam autem distinctionem inter piam et ab Ecclesia approbatam sententiam et dogma explicitum captum laicorum in nostris saltem regionibus superare constat. 3. Doctorum hominum opinionem eo explorare studui, quod Facultatem Theol. Monacensem hac de re interrogavi, cuius responsum Sanct. tuae transmittere non tardabo. 4. Interim Officium imm. Conc. quo Clerus Romanus utitur, pro a. 1850 meo Clero praescribere non dubitavi. — Monachii, 7 Dec. 1849. *Carolus Augustus Reisach.*

1035. **Eppus Paderbornensis in Borussia.** — Permagnum rei, de qua agitur, momentum expostulavit, ut non solum pro me ipse probe matureque eam perpenderem, sed etiam alios viros divina scientia et pietate insignitos in consilium adhiberem, necnon cum Fratribus et Eppis Comprovincialibus consultarem, ut communicatis consiliis et iuvante Deo securius ea cognoscamus, quae attentis dioecesium nostrarum circumstantiis et temporis huius conditione, honori divino, Ecclesiae utilitati et Sanct. tuae intentioni magis proficiant. Iam nunc vero ad Sanct. tuam maxima qua par est observantia et devotione quae sequuntur referre festino. — Inter signa pergrata fidei adhuc vigentis quinimo increscentis, quibus Deus O. M. in hisce temporibus ceteroquin tristissimis fidelium suorum animos laetificat atque confortat, illud quoque maximo nobis est solatio, quod ex ultimo decennio et ultra cultus et devotio erga SS. Deigenitricem per dioecesin quoque meam incrementa haud exigua ceperit. In pluribus Ecclesiis recentiori tempore fraternitates de ss. et imm. Corde BMV. cum consensu meo sunt erectae: et ex diversis aliis quoque argumentis lucide patet, Beatissimam coeli Reginam et Ecclesiae universae decus nostro tempore ferventiori ac prius devotione a Clero et populo christiano coli et invocari. Haud exigua proin laetitia spirituali sacerdotes et fideles probi huius Dioecesis affecti sunt, quum SS. Pater Gregorius XVI rec. mem. obsecundando humillimo petito ab Antecessore meo Richardo ipsi proposito, duobus Brevibus die 12 Ian. 1844 datis indulgeret

observandum, ut Praefationi Missae Conc. BMV. addatur verbum *Immaculata,* et ut in Litaniis Laur. post versum ‚Regina Sanctorum omnium‘ subiungatur hoc Deiparae encomium: *Regina sine labe originali concepta.* Iuxta omnia, quae ad meam pervenere notitiam, *merito possum asserere, Clerum aeque ac populum omnimode illi sententiae adhaerere et ex corde esse addictum, quam S. Ecclesia Dei tantopere hucusque suffulsit, et favore suo multimode prosecuta est, scilicet BMV. ab omni prorsus labe originalis peccati fuisse immunem.* Itaque non est dubitandum, fore, ut si dictam hucusque piam sententiam veluti Cath. Ecclesiae doctrinam definire Sanct. tuae placuerit, sacerdotes et illi dioecesani mei, qui S. Religionem sincero corde colunt, hanc declarationem dogmaticam imm. conc. omni qua par est promtitudine et alacritate amplectantur. Quum Sanct. tua exponere quoque mihi demandaverit, quid egomet ipse de re supra laudata sentiam atque exoptem, *Sanct. tuae omni asseveratione atque libenter affirmo, quod piam hucusque de imm. BV. Conceptu Ecclesiae sententiam numquam non ac inhaesitanter adoptaverim, et tempore quo tradendis disciplinis theologicis in hoc Seminario nostro operam navabam, ad amplectendam dictam sententiam alumnos instruere haud omiserim. Numquam quoque dubitavi de Conceptione BMV. ab Ecclesia et S. Sede Ap. declarationem dogmaticam huius tenoris* ‚SS. Deigenitricem imm. V. Mariam absque labe originali fuisse conceptam‘ *constitui et manifestari posse.* Ut rationes multifarias hanc sententiam fulcientes, et in doctissimorum virorum scriptis fuse ac luculenter explanatas de novo in hisce literis meis humillimis asseram, ni erro, non est de mandato, et non foret in votis Sanct. tuae. Sed si etiam persvasum mihi sit, definitionem dogmaticam imm. conceptionis firmo veritatis fundamento niti, *circa alteram quaestionem, num nostrum hoc tempus pro emanatione dictae declarationis dogmaticae sit opportunum et accomodatum, omne dubium vix tollere possum.* Attentis saltem circumstantiis meae dioecesis per regiones omnino fere protestanticas multimode extensae, et pensata praeprimis temporis huius irrequieti ad dissensiones et disputationes non solum politicas sed etiam religiosas valde proclivis, timendum est, ne adversarii Ecclesiae ex

dogmatica illa definitione disceptationum et conviciorum in S. Religionem nostram ansam expectatam capesserent, et ne fidelibus in rebus divinis iusto minus eruditis vel S. Matri Ecclesiae tepide tantum adhaerentibus scandala inde orirentur, et pericula discordiarum et abalienationis ab orthodoxa fide. Haec si perpendam, simulque animo volvam, maximam fidelis populi partem piae sententiae imm. conc. BMV. ex corde iam nunc esse addictam, ideoque urgentem indigentiam dogmaticae eiusdem declarationis non adesse, postquam diu multumque gravissimae huius rei momenta animo ponderavi, *Ecclesiae utilitati et amantissimae Matris nostrae Mariae laudi magis expedire mihi videtur, si definitio illa dogmatica non omnino relinquatur, sed ad tempus et tamdiu differatur, donec Germaniae nostrae tempora magis quieta et tranquilla restituta sint, et donec Ecclesia libertatum novissimis temporibus a Regibus et Principibus ipsi concessarum firmiore et consolidata gaudeat fruitione.* Hanc meam sententiam, cui omnes Cathedralis huius Ecclesiae Capitulares necnon alii docti probique sacerdotes consentiunt, Sanct. tuae maxima devotione et omni qua par est confidentia exponens, totam rem prudentiae et sapientiae tuae relinquo, et *quidcunque sub Divini Numinis afflatu hac de re statuere vel definire ad Dei honorem conducere tibi visum fuerit, hoc lubentissimo animo debitaque submissione tamquam Dei effatum accipiam, ratihabebo, verboque et opere per dioecesin pastorali meae curae concreditam profitebor.* — Paderbornae, 12 Iul. 1850. *Franciscus.*

---

3. *Contra decisionem.*

1036. **AEppus Bambergensis in Bavaria.** — Quae mihi ab illis (Decanis et Presbyteris) relata sunt, certissimum me fecerunt, *neque Clerum neque populum christianum dioecesis Bambergensis ulli omnino cedere in eo, quod attinet ad pietatem, obsequium, et cordis affectum colendi BVMariam,* et ea, quae ad maiorem ipsius Virginis gloriam et laudem procurandam cultumque promovendum conducere posse videantur per-

agendi: *sed quod attinet desiderium, quo Clerus flagret, ut quaestio illa difficillima toties ventilata hucusque tamen indecisa hisce tandem aliquando temporibus ab Ap. Sede solemni iudicio decernatur, et veluti Cath. Ecclesiae doctrina definiatur, longe maior pars Cleri sibi persvasum habet, non esse huius temporis decidere, quod tamdiu indecisum relinquebatur, quodque tot tantique Praedecessores Vestri ipsique Patres S. Conc. Tridentini decidere haesitabant.* Populo fideli non ulli commodo esse putant talem hac de re decisionem, cum iam piae opinioni de immac. BMV. conceptione longe lateque diffusae adhaereat; eruditiorum vero et ut ita dicam doctiorum agmini, eorum scilicet qui in Germania nostra versantur, rem non tam perspicuam esse, ut quidquid dicant clarissimi et doctissimi huius aevi viri, qui pro imm. BMV. conceptione trans montes nuperrime verba fecerunt, sententiam, quae hucusque quidem tamquam pia fovebatur opinio, dogmatum numero, de quibus dubitare nemini liceat, adscribendam esse putent. Porro autem temporis, utpote tam quoad statum ecclesiasticum quam politicum turbatissimi, rationem esse habendam censent; non huius temporis esse lites inveteratas resuscitare; periculum esse, ne novae oriantur in Ecclesia scissiones; denique nil detrahi amplissimo cultui BV. si diutius indecisum relinquatur, quod tamdiu difficillimae disquisitionis res videbatur. *Huic Cleri mei longe maioris partis sententiae,* quam ex relatione Decanorum compertam habeo, *Capitulum Eccl. Cathedr. unanimiter se adiunxit, cui ego non possum non accedere. Aliis temporibus relinquatur, SS. Pater, huius quaestionis dogmatica definitio. Concilio Generali quandocunque celebrando reservetur istius rei decisio.* Est nobis sacrum illud depositum dogmatum a SS. Patribus in Conciliis Generalibus decisorum, quae defendere contra creberrimas haereticorum huius temporis impugnationes et in mentibus fidelis nostri populi stabilire sat erit nostro iam valde arduo officio. Ceterum, SS. Pater, una cum Clero meo pergam in peragendis ad Patrem luminum precibus, ut det tibi scire quod rectum sit et temporibus nostris conveniens. *Quaecunque vero consulentibus ceteris orbis catholici Eppis in hac re tandem tibi statuenda esse videbuntur, ea qua decet erga Sedem Ap. Romanam*

reverentia et submissione una cum Clero meo et populo fideli amplectar, credam, et docebo. — Bambergae, 29 Aug. 1849. *Bonifacius Urban.*

1037. **Eppus Vratislaviensis in Borussia.** (ad Nuntium Vindob.) Mea opinione, in tam gravis momenti re, *cumprimis Germaniae respectus habendus foret;* et praeferenter huius partis catholicae Germaniae, quae in facie castrorum *Protestantium,* quotidianis illorum assultibus exponitur. Arbitror plurimum interesse, ut quaestio ex obtutu huius situs, et sequelarum inde redundantium expendatur. — Itaque ipso rei sacrae emolumento permotus, sequentes adaperire sustineo observationes. Nemo diffitebitur, manum divinae Providentiae eventibus dierum nostrorum uti, ut veritas Ecclesiae Catholicae oculis hominum cogitantium pateat. Soliditas hierarchici Ecclesiae organismi, cunctis succussionibus, sub quibus throni contremiscunt, resistentis, — quinimo suo in fideles influxu politicum ordinem consolidantis; — constantia et eximia prudentia Pastorum, fideles ad obedientiam et fidelitatem ipsis protestantibus Monarchis exhibendam monentium, dum protestantium Ministri tacent, aut cum democratis colludunt; — tristis effectus *Rongeanismi,* illis ipsis in lethiferum serpentem versi, qui eodem instar arietis ad pertundenda Catholicorum moenia uti cupiverunt; — porro magna communicationum facilitas, isolationem, praeiudiciorum nutricem exstirpans; — multiplex protestantium cum Catholicis in conventibus, comitiis, electionibus, etc. contactus; demum persona Summi Pontificis, cunctarum virtutum, in medio gravissimarum calamitatum exemplaris: haec omnia, — inprimis vero vigor et fortitudo catholicismi, eo magis prosperantis, quo ampliore libertate donatur, — dum ex opposito protestantismus, munimine dumtaxat guberniorum sustentatus, instar exhumati, liberoque aëri expositi cadaveris resolvitur, — haec omnia, inquam, potenter agunt in ingenia, meditari assueta; — squammae paulisper iam decidunt ex oculis, hucdum caligine tentis, lumen penetrat, primusque passus versus lucem fit, qui — cum eventus pari celeritate cum fugace tempore evolvantur —

procul, imo ad ipsum exoptatum scopum ducere potest; errantesque a tribus seculis stellae facile — fortassis ante exitum quarti seculi — ad suas orbitas remeabunt, nisi nova perturbatio supervenerit. Iam vero, *iudicio zelo et doctrina praestantium Catholicorum* huiusmodi *perturbatio indubie orietur, si dogmaticum S. Sedis decretum hoc in merito edi contingeret.* Profecto eventus hic pingvissimam escam praebere emaciatis et famelicis praeiudiciis! Ministri, scriptoresque protestantium, pro aris et focis decertantes, illo tamquam exoptatissima occasione uterentur, ut aures miseri populi clamore contra „papismum, eiusque dogmatum, post octodecim secula confictorum fabrinam“ novitus obtundere queant; — increduli autem, aemula cum pietistis concertatione, sacrum hoc mysterium immundo flumine sarcasmorum et blasphemiarum contegerent, literaria iuventute iudaica isthic ceteris palmam praeripiente. Haec pericula extrinsecus imminerent. Interne vero *in theologicis scholis recrudescerent seculares et aegerrime sopitae pugnae, quibus delicata quaestio infallibilitatis Romani Pontificis novum aculeum tribueret; oppositio fractionis Cleri neologismo imbuti, in provinciis rhenanis, in magno Ducatu Badeno, et Bohemia nova inde arma desumeret;* verbo: instar ultimi resultati, loco aedificationis, novique pietatis et devotionis in catholico populo excitandae stimuli, nihil, nisi pugnae, scissiones, scandala et perturbationes extrinsecus ac intrinsecus cernerentur! res certe nunc mille vicibus perniciosior ac fuerit elapsis seculis. — Prius quam has literas exarandas praesuscepissem, attente relegi capita *Pallavicinii* (Hist. Conc. Trid.) et *Petavii* (Theol. dogm. t 6. l. 14. c. 24 et seq.) hanc materiam pertractantia, haecque lectio me in proposito confirmavit. Historia perhibet, hucdum S. Sedem dogmatica decreta nonnisi ad pugnas et disceptationes polemicas et scandalosas componendas, aut perniciosos errores reprimendos edidisse. Praesenti vero causae neutrum horum motivorum suffragatur; unicum isthic motivum pietatis et devotionis operatur, pulcherrimum sane et pretiosissimum in conspectu Dei et omnis animae fidelis motivum, — quod in certis oris, aut apud quosdam sperandis fructibus quoque roboratur, quod tamen in nostris regionibus — quemadmodum

Excellentiae Vrae exponendi honorem habui — maioris indaginis obtutibus deprimitur, qui ex edendo dogmatico decreto maxima pericula in Ecclesiam redundatura praesagire faciunt. Episcopalem conscientiam meam alleviavi, hos cogitatus, hosque metus meos Excellentiae Vrae communicando. Locutus sum, tamquam ad Repraesentantem Summi Pontificis. Atque iterum repeto, me in his, quae exposueram, cum maxime zelosis, doctissimisque harum partium catholicis convenire. Velit itaque Excellentia Vra harum literarum usum, quem arbitrio suo congruum censuerit, facere. Dixi, et salvavi animam meam. — Vratislaviae 24 Decembris 1849. *Michael Diepenbrock.*

1038. **Nuntius Apost. Vindobonensis praecedentem literam sequente epistola comitabatur ad Cardinalem a Secretis Status.** In nexu literarum mearum, quibus honorem habui E. V. R. notificandi obtutus Episcoporum huius Monarchiae quoad propositam decisionem dogmaticam de immaculato Conceptu Dominae nostrae, opportunissimum censui E. V. substernere paria Literarum, per D. Episcopum Vratislaviensem super obiecto hoc ad me directarum. — Ex iisdem E. V. cognoscet, eundem Praelatum credere, quod dogmaticum circa Immaculatum Conceptum Sanctissimae Mariae, decretum in actualibus circumstantiis esset occasio pro incredulis et protestantismo novarum hostilitatum contra Ecclesiam Catholicam, et maioris semper ab ea aversionis. Perspiciet E. V. qualiter Praelatus ille assecuret, *idem secum sentire homines zelosissimos et maxime addictos causae catholicae* in Germania. *Dicere non scirem, an hi omnes realiter sic cogitent, sed tamen sunt plurimi, qui vident rem, prout illam repraesentat D. Diepenbrock*, et inter hos sunt multi homines causae religionis addicti. *Quod D. Diepenbrock dicit circa probabilitatem, quod ante finem seculi XIX Protestantes Germaniae possint reuniri Ecclesiae catholicae, id considero tamquam pium desiderium, quod si effectum haberet, esset verum miraculum.* — Scripsi fiducialiter novitus *Archi-Episcopis huius Monarchiae*, eos excitando ad exprimendos suos, suorumque suffraganeorum super gravi hoc

obiecto immaculati Conceptus B. Virginis sensus. *Eorum adusque observatum silentium,* prout honorem habui iam indicandi E. V., *est argumentum, quod propensi non sint ad determinationem, quae pro dogmate declararet piam fidem de immaculato Conceptu.* Viennae, 30 Dec. 1849. *Michael Viale Prela.*

1039. **Eppus Hildesiensis in Hannovera.** — Relationes, quae super quaestionibus a singulis advenerunt, fere unanimiter in hoc conspirant: *generatim populum fidelem magna erga BV. Deigenitricem devotione animari,* cuius testis sit confluxus poenitentium in festis eius diebus, et in festo quoque immac. Conceptionis. In hoc celebrando *B Virginem a populo considerari totam pulchram et sine macula, quin cogitet, id posse in controversiam venire, hinc decisionem ab illo non exoptari.* Vix spem esse, fore, ut tali decisione populi devotio augeatur, imo timendum, ne mirentur tale decretum in materia sibi certa, et ne iuniores eius publicatione et expositione incitarentur ad cogitationes minus puras. Quoad reliquos vero, qui ab Ecclesia Cath. sunt alieni, periculum esse, ne ansa inde sumeretur, novis calumniis cultum BMV. impetendi. Quare *maxima pars sensit, decretum dogmaticum neque necessarium hisce saltem in regionibus esse, neque exoptabile.* Quod ad *Clerum* attinet, divisae fuerunt sententiae. *Maior pars sententiam de imm. Conc. V. profitetur, alii eam ut piam tantum considerant,* innixi decreto C. Trid. Sess. 5 de pecc. originali. Superest, ut meam de imm. V. conceptu proferam sententiam. *Profiteor, eam mihi a dignitate Matris Dei inseparabilem et propter Ecclesiae consensum hac tempestate certam videri. Utrum vero dogmatica eius definitio pro nostris saltem regionibus sit in votis, et in bonum id cedat Ecclesiae, et maiorem BV. honorem, nec ne, id propter rationes a Clero supra expositas et non omnino spernendas affirmare non ausim.* — Hildesii, 15 Ian. 1851. *Eduardus Iacobus.*

1040—1045.

Responsa ex **Helvetia** ad Encyclicam Pontificiam. a. 1849—1854.

1. *Pro decisione.*

1040. **Eppus Basileensis.** Ad literas, quas Tua Sanctitas 2 Febr. c. a. in lucem ediderat, absque ulla mora responsurus, indico: dioecesanos meos summam in Deiparae praepotenti intercessione fiduciam ponentes non negligere BVMariae devotissimum hyperduliae cultum praestare. Quod in specie immaculatam eiusdem Conceptionem attinet, *nos firma fide adhaeremus declarationi, quam SS. C. Tridentinum in Sess. V. fecerat,* non esse intentionem huius S. Synodi, in decreto, ubi de peccato originali agitur, B. et Imm. V. Mariam Deigenitricem comprehendere, sed observandas esse fel. rec. Sixti IV. constitutiones. In quarum posteriori de a. 1483, quae incipit ,Grave nimis' cum pronuncietur, nondum esse a Romana Ecclesia et Sede Ap. decisum: *nostrum utique est, Romanae Ecclesiae et Sedi Apost. relinquere, numquid insuper decidere velit necne, ac si quid fuerit decisum, decisionem factam debitissima cum veneratione obsequioque amplecti.* — Solodori, 19 Apr. 1849. *Iosephus Antonius Salzmann.*

1041. **Eppus Curiensis.** Summa animi mei consolatione ac incredibili perfusus gaudio Encyclicas accepi literas, quibus Sanctitas Vestra pro singulari sapientia et praestantissima pietate BVMariae, illius ineffabilis universi generis humani decoris et miraculi, laudes praeconiaque enarrans, de eius immaculata Conceptione pertractanda significat, atque a singulis totius Reipublicae Christianae Praesulibus sensa desuper exposcit. Quibus alacri obsecundans calamo, praecipua, eaque, ut arbitror, invicta prorsus proferam momenta, quae singulare illud immaculati V. Mariae conceptus privilegium non quacunque sed certissima ratione evincunt. Ex horum

serie ceu reliquorum veluti caput eminet illa *Geneseos* in serpentem prolata sententia: Inimicitias etc. Et en, sub semine nulieris Christum, et sub hac muliere BVirginem vi ipsius iterae intelligi debere, ab omni antiquitate Ecclesiae persvaissimum fuit. Cum porro certum sit, hoc inimicitiarum genus um serpente vel peccato non exerceri nisi per gratiam sanctiicantem, haec absdubio prima, praeveniens, primitus iam nfusa, non reparata fuit, cum istud posterius inimicitiae genus um serpente a quovis iusto exerceatur. Quae enim, quaeso, piritus S. praedictio, matrem aliquam eiusque filium post dae peccatum gratia sanctificante ornatum iri? Quod enim peciatim dicitur, speciale quid significare debet. Nam simile imicitiae genus de Matre cum serpente, quod de Filio Spiris S. praenunciavit, gratiam, inquam, soli huic mulieri et emini eius propriam, nullique alteri communem, eam utique, uius intuitu Ecclesia ab ipso sui exordio celebre illud Canci Canticorum elogium ,Tota pulchra es' etc. huic tantum ulieri applicandum censuit. Deus Angelos caritatis vinculo ibi unitos creare adamavit, et hic ipse Deus hanc animam per ipsos (Angelos) in immensum gloria elevandam, Pater liam, Filius Matrem, Sponsam Spiritus S. in conceptionis ae instanti ipsi iuratissimo Deitatis hosti praedam fieri periserit? Quis vel cogitatu ferat, Verbum incarnandum eandem, uam propriam sibi tenuisset daemon, sibi elegisse domum, et ngelorum Reginam fuisse aliquando inferorum consortem? - Cum porro *Tridentina* Synodus in suo de peccato originali ecreto BVMariam non tantum non comprehensam, sed et nmaculatam appellet, velut ex obliquo infertur, ab ipsa hac ynodo BVirginis immunitatem a peccato originali fuisse gnitam, eo quod inibi de solo peccato originali sermo esset. d haec pro vindicando imm. conceptus privilegio palmare rgumentum offerunt *Summorum Pontificum decreta*, quibus iissimam de imm. BV. conc. sententiam privatim et publice ocere, propugnare, et quomodolibet fovere concessum est, uic oppositae arctissimo in perpetuum silentio imposito: quod tique fieri non potuisset, nisi Summi Pontifices illi sententiam anc priori oppositam catholicae traditioni omnino inimicam gnovissent. Sed et *festum Conceptionis* iussu Summae Sedis

a fidelibus ex praecepto quotannis celebrandum pro re na
diserte loquitur. Quis enim eo insaniae proripiatur, ut assere
audeat, Ecclesiam Catholicam a Sede Ap. hoc suo univers
decreto urgeri ad colendam animam, quae si dum uniret
cum corpore, immaculata non fuisset, revera daemonis ma
cipium a Deo abominandum extitisset, fidelesque in anin
illa non Salvatoris gratiam, sed opus serpentis, originale pe
catum, pro cultus obiecto sibi imperatum haberent. Et quan
haec in S. Sedem blasphemia! Porro ex longa *SS. Patru*
serie nec unum reperiendum puto, qui beatissimam hanc an
mam in peccato conceptam asseruerit, e contra ad unum omn
SS. hanc Virginem immaculatam, ab omni sorde peccati pen
tus alienam, ex intemerata essentia formatam, gratia plena
ab Angelo salutatam, et ad quam serpens aditum non habu
rit, summis plane elogiis depraedicantes scio, plurimis eoru
ipsam ab originali immunem etiam diserte docentibus; cun
vero unitim conspirant in laetissimam S. Augustini sententian
de SS. V. Matre propter honorem Domini nullam prorsus, cu
de peccatis agitur, quaestionem haberi volentis. Nec obes
quidquam crediderim, quospiam quondam *theologos* insig
istud imm. conc. privilegium negandum putasse, eo, quod
ipsorum serie reliquos illud viritim adstruentes iam tum
multitudinis copia et auctoritatis pondere longe potiores fuis
quam certissime constat. Hodiedum vero sincerae pieta
theologus, ut reor, nec unus reperitur, qui quaestionata
praerogativam gloriosissimae Dei Matri denegare non exho
rescat. Ceterum tantus iam est de immac. Deiparae concep
ubique *populorum consensus,* ut ipsa vix sub alio quam sv
vissimo imm. Conc. titulo tum a singulis constanti maioru
traditioni piissime inhaerentibus et publice et privatim, tu
ab innumeris Congregationibus iisque copiosissimis totum p
orbem ab ipsa Sede Apost. approbatis aeque ac indulgenti
gratiosissime ditatis invocetur, et quovis ubique maiori q
fieri potest honoretur cultu, quem quam gratus sibi sit, De
insignibus magis in dies miraculis testatum ipse facit. Quo
vero *gregem curae meae commissum* speciatim attinet, *certiss*
mus sum, quemvis de BVM. imm. Conceptione vel minimu
dubitantem ab illo haeretici adinstar abominandum fore. Cu

lenique non dubitem, quin totius orbis Eppatus in piissimam e immac. Conceptu BMV. sententiam per infallibile Sanct. Vestrae oraculum etiam in vim dogmatis definiendam conspiet, superest, *ut et ego una cum Capitulo meo Cathedrali ac niverso dioeceseos necnon administrationis meae Clero, mihi esuper per omnia consentiente, ad pedes Sanct. Vestrae provoitus coram ipse profitear, Beatissimae Deiparae V. Mariae nimam a labe originalis Adae peccati, utpote in gratia santificante suo ipsius corpori infusam, immunem omnino fuisse; storque veritatem huius piissimae sententiae ceu certissimam dogmati in honorem Domini et gloriam Matris definiendo itis maturam, perpetuo et pro virili a me esse defensam.* — uriae Rhaetorum, 2 Maii 1849. *Gasparus de Carl.*

1042. **Eppus Sedunensis**. Iampridem ad me quoque icundissimae pervenerunt literae, quas in praesentis anni ecursu Sanctitas tua circa quaestionem de immaculato BV. onceptu definiendo ad omnes orbis cath. Antistites dirigendas sse iudicavit: iucundissimae, inquam; per ipsas quippe nunabatur generalis quaedam, maxime in Eppatu, reviviscentia eli in profitenda immaculata Mariae Conceptione; nuntiaantur interpositae penes Apost. Sedem non paucorum Praesuım preces, ut singulare hocce Deigenitricis privilegium Ponficio demum decreto assereretur; nuntiabatur magna Sedis post. ad acquiescendum porrectis sibi supplicationibus inlinatio ac dispositio. Atque haec omnia nuntiabantur a proıgo e Sede Petri Pontifice, cuius proin pium de Matris mnium Christianorum honore promovendo cultuque amplicando consilium nec adversitates, nec angustiae, nec amarisimae curae, nec ipsum exilium mutare, non ardens eius stuium imminuere valuerunt. Eiusmodi sunt ista, ut acceptissiıas literas encyclicas corpori Epporum universo reddere ebuerint, cui Supremi Pastoris ac Capitis vox in illis circumtantiis nonnisi maxime optata accidere poterat. Etsi vero *propter eam, quae Cathedrae Principis Apostolorum divinitus ttributa est, auctoritatem et inerrantiae praerogativam* per se

solam Beatitudo tua statim quaestionem supremo iudicio d
finire posset: ne tamen a praedecessorum suorum vestigi
recederet, primum quidem publicas fidelium preces ad nece
sarium Spiritus S. lumen impetrandum admirabili cum mod
stia ac humilitate deposcit, tum Cleri populique cuiusq
Dioecesis devotionem erga BVirginem immaculate concepta
eorumque desiderium circa dogmaticam modo dicti privileg
definitionem nosse exoptat; ac demum ipsorum Epporum
tanti momenti re sensa ac vota sibi iubet significari. Ad aug
stam hanc praescriptionem implendam praesentes destinant
literae; quae si serae veniant, indulgebit utique Sanctita
tua, reputans non immerito postremam tempore meam ess
responsionem, ne videlicet alium quam qui sibi debitus e
inter tot praestantissima venerabilium Collegarum rescrip
locum sibi vindicet. Ac primo quidem preces, quas uniu
cuiusque Praesulis prudentiae Sanct. Vestra praescribenda
reliquit, tam Clero quam populo mihi commisso indicere no
praetermisi, ut divina illustratio modernum Ecclesiae unive
salis Doctorem in executione consilii dirigat, quod ipse p
maiori Deigenitricis gloria ac Ecclesiae utilitate concep
Addit proinde minima haec dioecesis Sedunensis utut exigua
suas totius orbis cath. orationibus, quibus interpellatus Spir
tus S. abundans suum lumen non denegabit ei, qui huius ce
tam aliunde iam pollicitationem obtinet. Ut iam de popu
meae curae concrediti devotione erga Mariam sine labe orig
nali conceptam loquar, magnopere me testari posse laeto
quod huius dioecesis *fideles* filiali amore almam Dei Matre
prosequantur, nec minore si non maiore huncce gloriosu
quam ceteros eiusdem titulos affectu venerari consvescant. I
inprimis certum faciunt positivae relationes, quas animaru
pastores recentissime ad me desuper transmittere sategerun
dein *plus quam ordinarius ad poenitentiae et eucharistiae sacr
menta in die imm. Conceptioni sacra suscipienda concursus,* qua
dies hic loci inter festa de praecepto, non obstante iterato obtent
a Summis Pontificibus eorum diminutione, retenta est atqu
solemnis celebrari consvevit; certum facit subinde Congrega
tionis sub titulo Mariae immaculate conceptae existentia, c
in dimidia dioecesis parte videlicet germanica pleraequ

exus feminei personae se adscriptas esse gloriantur, ideoque t in hac ipsa Conceptionis festivitate per praescriptorum perum impletionem indulgentias ex Ecclesiae thesauro quem ummi Pontifices ea die pro sua liberalitate reseratum esse oluerunt, haurire satagunt. Huc pertinet *recens celeberrimae, utetiae Parisiorum natae, Sodalitatis immaculati Cordis lariae pro conversione peccatorum introductio,* ac cum Parisiısi Archisodalitate confoederatio; cuius rapida per univerım dioecesim propagatio, sodalium aggregatorum multitudo, edula praxium in ea praescriptarum frequentatio aperte eculiarem populi erga Mariam sine labe conceptam devotioem eloquuntur. Quod desiderium attinet, ut pia sententia ındem per Ecclesiae definitionem ad fidei dogma evehatur, ıllum equidem populus hucusque manifestavit. Id autem neıaquam eius indifferentiae, sed firmae potius, in qua versaır, convictioni adscribendum est. Siquidem ob Ecclesiae, stum imm. Conc. solemniter celebrari iubentis, ac Pastorum oique sine ulla haesitatione insigne hoc Mariae privilegium cathedris asserentium auctoritatem inconcusse Dei Matrem labe originali divinitus praeservatam esse credit. *Haece les prorsus pacifica eaque diuturna in populo possessione udet;* ita ut sola dubitationis alicuius hac super re manifeatio haeresis suspicionem penes plebem incurreret, ut et ipsa ıminentis desuper dogmaticae definitionis enunciatio, nisi ebitae eam cautelae concomitentur, in simpliciorum animis ırbationem quin et in offensionem degenerare posset. Omnes lhuc Marianae Congregationis sodales utriusque sexus, quoım maximus profecto numerus est, quotannis in formula enovari solita publice coram SS. Altaris Sacramento exposito isce verbis immaculati conceptus praerogativam profitentur: Adhuc profiteor, tuam S. Conceptionem esse prorsus immaılatam et a labe peccati originalis penitus immunem; quam nimi sententiam retinere, et contra alios, quoad licuerit, ropugnare firmissime constituo.' Quare *ipse desiderii defectus rdenti aequipollet desiderio,* quod sine mora palam prorumeret, si fideles prudenter edocti fuerint, id adhuc tam praelarae BV. praerogativae deesse, ut supremo Ecclesiae seu omani Pontificis iudicio solemniter adstruatur. Unde dubitari

nequit fore, ut tale iudicium rite propositum ac explicatum non cum summa solum submissione, sed et cum ingenti laetitia ab huius dioecesis fidelibus suscipiatur, quippe quo pretiosissimo Reginae coelorum diademati nova gemma, seu potius novum splendoris ornamentum accessurum est, amantesque filii de aucto divinitus sibi datae Matris honore summopere gratulabuntur. Quodsi ista de populo adserere licet, quid non de *Clero*, ex quo sua fideles sensa hausere, affirmari poterit? Piam profecto de imm. Mariae conceptu opinionem ad unum omnes Ecclesiastici iam in scholis theologicis edocti et firmiter amplexi sunt; quinimo cum vix non omnes, dum in inferioribus adhuc studiis versarentur, Marianae sodalitati nomen dederint, iam tunc adeo gloriosam dilectae Matri ac Patronae sententiam in formula superius relata profiteri coeperunt; animarum pastores utique sunt, qui commissos sibi fideles ad sodalitatis sub titulo Mariae sine labe conceptae ingressum invitant atque sollicitant; animarum pastores, qui eidem sodalitio in parochiis ruralibus praesident, quique Mariae clientes ad Sacramentorum susceptionem in immaculatae Conceptionis eius honorem hortantur atque exstimulant. Quapropter cumprimum Pontificium consilium, immaculatam divinae Genitricis conceptionem dogmatice definiendi, Clero huiati innotuisset, desiderium ut id tandem executioni mandetur antea nonnisi sopitum, excitatum est, et hucusque in cordibus latens, foras prorupit, — exin impatienter expectat, ut proditurum decretum novam eamque opportunissimam tam honorifici almae Deigenitricis privilegii promulgandi extollendique praebeat occasionem et materiem. Haec sunt, quae ad tenorem pontificiarum literarum de Clero populoque mihi subiecto nuntianda habeo; quamvis haud diffitear, nec hic loci inter Catholicos deesse, qui circa religionem indifferentes imo impii sacrarum rerum irrisores increduli que existant, quique proin uti cetera, quae ad fidem ac peculiariter ad BVMariae decus spectant, ita et immac. concept. eius praerogativam, ne plus dicam, parum curant atque curabunt. Verumtamen horum numerus, etsi postremo hoc tempore post rerum publicarum conversionem adauctus fuerit, in se exiguus longeque minor est numero eorum, quibus adhuc fides pietasque inest, quique

religionem avitam venerantur, docilesque Ecclesiae filios se profitentur. — Ad illud modo pontificium venio quaesitum, quid ego ipse in tanti momenti re sentiam atque exoptem; cui ut satisfaciam, unice debita S. Sedi obedientia ac obsequiositas me adducere possunt, non quod quid sentiam optemque circa tam praeclarae praerogativae definitionem, intra me anceps incertusque haeream, sed quod perbene noverim, me non eum esse, qui in tanta hominum consiliorumque undequaque Romam versus, ubi luminis ipse focus est consiliique sedes, convergentium abundantia quidquam praestare valeam, unde veritas clarius patescat et quaestionis solutio felicior evadat; quapropter satis mihi esse deberet, si exinde mihi illustratio contingat. Ut porro mea opinione praemisso quaesito plene satisfiat, responsio quatuor puncta, videlicet immac. conceptus Mariae definibilitatem, huius gradum, definitionis pro praesente tempore opportunitatem, ac denique definitionis edendae modum complectatur, meamque circa singula sententiam exponat necesse est: quod quidem praestiturus sum ita, ut eatenus solum meo sensui inhaesurus sim, quatenus hic perfecte Apost. Sedis menti ac iudicio consonuerit. I. *Anne imm. BMV. Conceptio definibilis est?* Inhaesitanter respondeo: *definibilis est.* Indubium ac a theologis unanimiter admissum est principium, ut quidpiam ab Ecclesia dogmatice definiri queat, necesse atque satis esse, ut in revelatione divina, ac proin in Verbo Dei scripto vel tradito aliquomodo, i. e. expresse vel implicite, immediate vel mediate contineatur. — Sed vero *anne immac. Mariae Conceptus in divina revelatione, ideoque in Verbo Dei continetur?* Profecto, et *in ipso* quidem *Dei Verbo scripto,* quod immediate ac proxime, licet obscure solum ac implicite BVirginis ab omni prorsus labe etiam originali immunitatem insinuat. Deus etenim Gen. 3, 15. ad serpentem, i. e. daemonem: Inimicitias, inquit, etc. Quaenam illa mulier, nisi Deigenitrix Maria? ipsa mulier est per excellentiam; ipsa alteri mulieri, scilicet Evae, merito opponi potest; ipsa est Mater Redemtoris seu Messiae, cuius utut obscuram promissionem in laudato oraculo contineri et exegesis sacra et iudaica traditio, et christiana antiquitas indicant. Quid illae mutuae inter daemonem et mulierem inimicitiae, quid

capitis serpentis insidiantis per mulierem mediante utique ipsius semine i. e. filio facienda contritio sibi volunt, nisi irreconciliabile odium, aversionem, repulsionem, nocendi studium ac luctam, nisi plenam mulieris de daemone, ideoque et de peccato victoriam? Profecto in hoc sensu Patres quidam hocce oraculum de semine mulieris, i. e. de Christo Filio Mariae exponunt, imo quidam et de ipsa Maria intelligere videntur, dum Mariam Evae opponunt, atque uti ex hac adhuc virgine per serpentem inobedientiam ortam in paradiso, ita per illam inobedientiae dissolutionem locum habuisse dicunt; dum Mariam draconis audaciam abscidisse affirmant; dum ab ipsis vipera femineis proteri pedibus, et edere Deum merita Virgo, omnia serpentis venena domare adstruitur. Nonne eiusmodi locutiones haud obscurae ad supra relatum oraculum sunt allusiones, quae huius sensum legitimum exponunt atque evolvunt? Verum *et in Verbo Dei tradito imm. Mariae conceptio indubie continetur*. Traditionis divinae vehicula sunt: primo *SS. Patrum* scripta; haec quippe tum suorum tum anteriorum temporum fidem exhibent, cum Patres ea tradiderint quae acceperunt, ea docuerint quae didicerunt, ea reliquerint quae invenerunt. Iam vero *Patrum aliqui talia de Maria affirmant, quae cum maculata eius conceptione nullatenus consistere queunt, aut ex quibus necessario ipsius a labe originaria consequitur immunitas.* Aiunt enim: uti Adamus ex immaculata terra, i. e. necdum ob peccatum Adami maledicta, conceptus est, ita et Christum ex immaculata Virgine conceptum esse; unam et solam Virginem filium vitae genuisse Verbum vivens, utique vitae, quae omne prorsus peccatum excludit; conceptum et ortum Mariae a solo Deo Verbo cognitum esse, sane nonnisi ob immac. conceptionis mysterium; Mariam fuisse Dei tabernaculum non ab hominibus fabricatum sed a Spiritu S. firmatum, a spirituali Beseleel — Deo — aedificatum; Matrem Dei, Dei manu fabricatam atque formatam fuisse; quae manus suum opus utique a quavis macula praeservare novit, ex qua manu nihil impium prodire potest. *Patrum aliqui Mariam a labe originali immunem fuisse aequipollentibus verbis adstruunt;* aiunt enim, Dominum peccati expertem fuisse, atque ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem,

h. e. ex Virgine et Spiritu S. utique per putredinis peccati exclusionem; Mariam neque persvasione serpentis deceptam, neque eius afflatibus venenosis infectam esse; cum fieret, Christo in utero oppignoratam fuisse; ab omni sorde ac peccato alienissimam; uti Evam in paradiso sine noxa; ab omni labe peccati per gratiam integram, Seraphim sanctiorem, nubemque fuisse, quae numquam in tenebris sed semper in luce fuit. Nonne tales sunt istae expressiones, quae huic propositioni: ‚Maria sine labe originali concepta est' omnino aequivaleant? Aliqui demum Patres, Ecclesiae Doctores et Ecclesiastici Scriptores expresse Mariae a labe peccati originalis immunitatem tradunt, cum aiunt Mariam idoneum Christo fuisse habitaculum pro gratia originali, mala Evae non doctam fuisse, constare eam ab omni originali peccato immunem fuisse, ad hunc paradisum serpenti aditum non patuisse, carnem Virginis ex Adam assumtam maculas Adae non admisisse, in Maria primi parentis lapsum substitisse. Ita iam Patres Scriptoresque ecclesiastici S. Bernardo anteriores non minus 40 numero loquuntur, si fides habenda sit Theologis, qui recentissime in discutienda quaestione de immaculato Mariae conceptu diligentissime versati esse videntur. Verum tot Patrum diversorum seculorum consensus, quin ipsis aliquis contradixisse, aut eis contrarium sensisse demonstrative ostendi possit, numquid non sufficiens traditionis divinae testimonium est? Profecto Ecclesia pauciorum Patrum, quibus et nonnulli adversabantur, testimonio nixa dogmaticas edidit definitiones; quales inter alias illae fuere, quibus librorum deuterocanonicorum divinitas, ac visionis beatificae statim post mortem consecutio adstruuntur. Rebatur igitur Ecclesia et longe pauciorum Patrum auctoritatem sufficiens divinae traditionis esse indicium, ut dogmatica decreta idcirco sibi condere liceret. Traditionis divinae vehiculum est *perantiqua indeque constans Ecclesiae consvetudo* sive praxis; ista quippe Ecclesiae sensum atque fidem manifestat, cum illa praxis semper alicui theoretico innitatur principio. Ast vero in immaculati conceptus Mariae favorem perantiqua Ecclesiae praxis sive cultus militat; quem iam Sec. V et deinceps in Ecclesia Orientali, et Sec. VIII et sequentibus in Occidentali Ecclesia Mariae im-

pensum fuisse *festi celebratio, hymni in sacra liturgia adhibiti ac conciones* habitae comprobant; quae omnia iam praedictis seculis locum habuisse constat, ita, ut cultum publicum Conceptionis non tunc solum coepisse sed simpliciter viguisse innuant. Eiusmodi cultus Ecclesiae illum introducentis ac adhibentis sensum sive persvasionem de sancta Mariae Conceptione demonstrant; cum ipsa nonnisi sancta colat, i. e. sacro suo cultui nonnisi sanctum obiectum praestituat; ad haec liturgiae, hymni et conciones immaculatam in Conceptione, immunem a labe originali Mariam festi obiectum fuisse clare indicant. Iamvero perantiqua Ecclesiae persvasio, quae ad V imo et ad IV seculum certo pertinet, cuius origo ostendi nequit, cui nemo prioribus illis seculis contradixisse ostenditur, unde si non ab apostolica ac proin divina traditione profluxisset? Traditionis divinae vehiculum est *antiquissima eaque pacifica Christifidelium persvasio atque consensio;* in quo quippe ista nisi in vivo Ecclesiae magisterio, hocve ipsum in Apostolorum magisterio, cuius illud nonnisi continuatio est, fundaretur? Sed vero antiquissima datur fidelium persvasio atque consensio de tanta puritate, immunitate ab omni sorde peccati, ac de sanctitate in Maria, ut ea maior sub Deo non detur. Idcirco iam in Seculi V initio, testante *Pelagio* haeresiarcha, et consentiente *S. Augustino,* Mariam sine peccato confiteri necesse erat pietati; eadem pietas fidelium, innuente *Iuliano* haeretico nec abnuente Augustino, Mariam per peccatum diabolo transscribi non patiebatur. Duo hi haeresiarchae S. Augustino universalem peccati propagationem defendenti apud fideles invidiam et odium per id creare satagebant, quod hic Doctor Dei quoque Matrem peccato subiicere videretur, quae res penes fideles inaudita foret, horumque erga Mariam pietatem offenderet. Porro tanta puritas cum peccati originalis macula consistere nequit, ac proin immunitatem a labe originali implicite saltem complectitur. Licet hucusque exposita argumenta sufficiant ad evincendum, Virgineum, de quo agimus, privilegium, in verbo Dei scripto et maxime tradito ac proin revelatione divina implicite saltem reperiri: isthaec tamen assertio sequenti adhuc modo confirmari potest. Nisi universalis Ecclesia certo modo accepisset,

3. Deigenitricem sine originali peccato conceptam fuisse, non
itique festum instituisset ac celebraret, cuius passiva Mariae
conceptio est obiectum; huius festi institutionem ac celebra-
ionem Summi Pontifices solemniter non sancivissent; nec
psam conceptionem, i. e. animae in corpus Mariae infusio-
iem eius obiectum esse ex cathedra declarassent. Etenim *circa
ultus publici obiectum etiam materiale falli nequit Ecclesia, falli
equeunt Summi Pontifices, cum cultus puritas ad religionis per-
ineat puritatem, quae Ecclesiae custodiae commissa est.* Inde est,
uod ex universali Nativitatis Mariae celebratione SS. Eccle-
iae Doctores praestantissimique Theologi indubie immacula-
um Mariae ortum deducant. Iamvero immaculatum Mariae
onceptum nonnisi ex Dei revelatione, et quidem in SS. Lite-
is vel Traditione contenta discere poterat Ecclesia. Talis
iquidem manifeste est naturae, ut nonnisi via supernaturali
rimitus innotescere potuerit, nec, uti inter theologos conve-
it, Ecclesia novas post Apostolorum tempora accepit a Deo
evelationes. Immaculatus igitur Mariae conceptus explicite
el implicite, mediate vel immediate, vel in se vel in alio, in
S. Scripturis vel in traditione apostolica divina reperiatur
ecesse est. Universalis insuper in Ecclesia iam est de imma-
ulata Mariae conceptione persvasio: in hoc conveniunt et
astores et fideles; conveniunt docti et indocti, omnes cuius-
ue conditionis et status homines. Nec vero discens et docens
cclesia generaliter doctrinam sive sententiam amplecti potest
n materia religionis, quae falsa sit, cum eidem et passiva
nfallibilitas repromissa sit. Sane *S. Augustinus* ep. 164 ad
vodium scribere non dubitabat: ‚Ecclesia fere tota consen-
t; quod eam non inaniter credidisse credendum est; unde-
unque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum Scripturarum
xpressa non proferatur auctoritas.‘ Et *Cassianus:* ‚Sufficere
olus nunc ad confutandam haeresin deberet consensus omnium,
uia indubitatae veritatis manifestatio est auctoritas univer-
orum.‘ At vero immaculatus Mariae conceptus Ecclesiae
er revelationem divinam solummodo, eamque vel expres-
am vel implicitam, ideoque per verbum Dei scriptum vel
raditum explicite vel implicite, mediate vel immediate inno-
escere potuit, cum iam, ut dictum, novis ab Apostolorum

20*

aevo revelationibus careat; quia praeservatio BVirginis ab originaria noxa per se ac primitus illi soli nota erat, cuius opus est; ac proin a Deo aliis revelari debuit. Igitur certum est, insignem hanc praerogativam Mariae vel in Verbo Dei scripto, vel tradito, explicite vel implicite, mediate aut immediate reperiri. — II. *Anne remote solum, aut anne proxime definibilis est imm. V. M. conceptio?* Respondeo: *proxime definibilis est.* Ad ita sentiendum sequentes me permovent rationes: 1. Proxime definibilem esse piam sententiam opinantur multi theologi, quorum magnum est in rebus theologicis et nomen et auctoritas; 2. argumentorum, quibus divina saltem implicita imm. conceptus revelatio constabilitur, soliditas et numerus rationabile quodcunque dubium excludere videtur; quinimo 3. argumentum ex Ecclesiae festum conc. imm. celebrantis, et Pontificum id sancientium auctoritate, necnon ex universali Ecclesiae, i. e. pastorum et fidelium persvasione petitum moralem parit certitudinem, unde nullus iam dubio locus esse potest. — Demum 4. iam *Concilii Tridentini tempore pia sententia proxime definibilis erat;* siquidem, ut Scriptores fidedigni referunt, Eppi omnes paucis exceptis in eo dedere suffragium, ut dogmaticum de immaculata Mariae Conceptione decretum ederetur; a quo edendo destitere nonnisi ob instantiam quorumdam, ne anathema ferretur in viros, qui alias de re christiana bene meriti fuerant; ob prudentiam, ne pax et concordia inter catholicos, ex quibus aliqui adhuc contrariae adhaerebant sententiae, turbaretur; ac ob observationem a quibusdam factam, eo fine congregatum fuisse Concilium, ut novatorum errores damnarentur, non autem ut domesticae controversiae dirimerentur. Ast vero sententiae Virgineum privilegium propugnanti nedum aliquid ex eo tempore decesserit, novum potius robur accessit et lumen per continuatam disquisitionem, per novorum monumentorum detectionem, quae firmius divinam traditionem constabiliunt, per severioris criticae usum, quae monumentis et argumentis opponi solitis vix non omnem vim ademit. Unde factum est, ut *pia sententia prorsus universalis in Ecclesia* evaserit. Quapropter multo magis modo quam Concilii Tridentini tempore proxime definibilis evasit. III. *Anne iam immac. Mariae conceptum dogma-*

tice definire opportunum est? Duplex opportunitas, negativa alia, alia positiva distingvi potest; illa in motivorum definitionem dissvadentium sive ab ea absterrentium absentia, haec in motivorum definitionem svadentium sive ad eam impellentium existentia sita est. Iamvero *praedictae definitionis editionem negative opportunam esse* opinor. Quid etenim illam dissuadere posset? *anne vigens adhuc contraria sententia,* vel viris contra opinantibus debita attentio? Haec equidem tempore postremi Concilii Oecumenici huius Patres absterrere poterant, quominus dogmaticum desuper decretum conderent: ast vero ubinam modo sunt viri doctrina sacra praestantes, qui Virgineo refragentur privilegio; nonne iam omnes theologi in affirmativam illius privilegii abiere sententiam? Ipsa illustris Dominicanorum familia, quae ob Doctoris Angelici reverentiam adversam opinionem tueri se debere existimabat, ab ea recessit, pulchrumque zeli in tam insigni Mariae praerogativa profitenda nuperrime dedit exemplum, dum praedicti Ordinis minister generalis S. Sedi supplicavit, ut suo Ordini in Praefatione ac Litaniis Conceptioni vocem ,Immaculatae' adiicere liceret. *An indifferentia?* verum nemo nescit, mediis industriisque novis opus esse, ut ea ex fidelium animis excutiatur, quare nedum obstaculum, potius est definiendi motivum indifferentia; quamquam tot Praesulum supplicatio pro concessione insertionis ,Immaculatae,' eorumque instantia pro definitionis editione non indifferentiae sed certa fervoris argumenta sunt. *An temporum malitia,* quae alio Ecclesiae attentionem atque studium avocant? Ast ut S. Pauli verbis respondeam, haec oportet fieri, et illud non omitti. Verum huic quaesito non verbis, sed, quod potius est, facto modernum Ecclesiae Caput respondit: quippe quod, etsi in praesentibus Ecclesiae calamitatibus ac angustiis, imo et inter procellas, quibus Petri Sedes exposita est, profecto habet unde occupetur, et tamen huic negotio suas curas suumque studium consecrare potuit atque voluit. *An seculi invalescens impietas atque incredulitas?* Ast istae non magis uni doctrinae capiti sive puncto quam alteri hostiles sunt, nec iam revelationem circa aliquod dogma in specie, sed in genere impugnant atque reiiciunt. Ceterum Ecclesia non magis impietatis ac incredulitatis, quam haereseos

dicteriis moveri debet, quae Tridentinos Patres non absterru
ere, ut novatorum Seculi XVI errores anathemate percellerent
Verum et positivam adstruo opportunitatem; multa namqu
sunt, quae immac. conceptus dogmaticam definitionem svader
videntur: ac primo quidem *praesentes Ecclesiae calamitates a
persecutiones;* quae quales et quantae sint, nemo est, qu
ignoret; ipsae maris Stellam respicere iubent, potentemqu
illius implorare intercessionem, cuius efficaciam semper ex
perta est Ecclesia; at ad conciliandam Mariae benevolentian
ad impetrandos eius favores potentius est nihil, quam si in
signia illius privilegia specialius asserantur ac celebrentur
horum porro si non primum at secundum certe est eius a lab
originali immunitas, per quam id consecuta est, ut ne un
quidem existentiae suae momento Deo Creatori suo displicu
rit, atque per necessariam sequelam ei semper placuerit; u
numquam peccati serva, sed semper dilecta Dei filia extiteri
ut numquam mancipata fuerit ei, cuius potestatem destructu
rus divinus ipsius Filius in mundum venerat. Quam gloriosum
quam proinde carum esse debet Mariae hocce privilegium
2. *Repente reviviscens Antistitum, Ordinum Religiosorum, a
Collegiorum eccles. aemulatio ac instantia pro definition
editione;* nonne supernum indicium, nonne Spiritus S. indig
tatio est, iam opportunum adesse tempus, ut solemni demu
Ecclesiae iudicio id adstruatur, quod pie solum hucusque cr
debatur? Aut quis nisi Spiritus S. qui Ecclesiae continue pr
missus est, zeli huius subito ac generaliter reviviscentis auct
dici debet, qui quae Ecclesiae quovis tempore congruunt
proficiunt, novit, atque ut ad effectum deducantur, svavit
praeparat atque disponit? 3. Quod maius est, *nonne ipsa L
Mater haud obscure velle se indicat,* ut saepe laudatum priv
legium supremo Ecclesiae iudicio adseratur? quid enim rece
illius sodalitatis celeberrimae institutio sub titulo imm. cord
Mariae, ab ipsa Deigenitrice quasi suggesta? quid stupen
huius per orbem catholicum ad orbis usque fines propagati
quid extraordinariae eius ope impetratae gratiae ac favor
immensi, quorum fama orbem implet catholicum, mireque r
creat? quid haec, inquam, loquuntur, nisi advenisse momentu
quo immaculatum suum conceptum inerrabili Ecclesiae decre

definiri expetit Coeli Regina; siquidem modo enumerata effecisse ac praestitisse nil aliud est, quam per dictae devotionis ad Cor Mariae immaculatum fervorem ac universalitatem definitioni dogmaticae viam parasse, fidelium animos praeparasse, ut illa cum omnimoda submissione ac reverentia, quinimo cum universali laetitia et exultatione suscipiatur. IV. *Quis definitionis edendae modus?* mihi quidem praeplaceret *Pontificia Constitutio, per quam Mariae a noxa originali immunitas directe ac expresse definiretur.* Huncce modum sequentes rationes svadere videntur: 1. expressa ac directa definitio magis honorifica ac gloriosa est BVirgini; quippe qua et firmius et apertius tam illustris eiusdem praerogativa constabilitur, ac ceu fidei dogma a fidelibus credenda proponitur. Ast honoris Mariae, potentissimae protectricis Ecclesiae, incrementum una ex iis causis est, quae definitionem ab Ecclesia in praesenti tempore exposcere videntur. 2. Vix aliquid peculiare per indirectam definitionem obtinetur, cum haec simpliciter certitudinem sententiae imm. conceptum asserenti tribueret, ast illam iam modo per Ecclesiae, Conceptionis festum celebrantis, et RR. Pontificum id sancientium auctoritatem, ac discussionis continuationem consecuta est. 3. Per indirectam definitionem vix ullum fidelium devotio erga Mariam caperet incrementum; quia eorum inde non cresceret convictio, quae iam ob Ecclesiae, festum imm. Conc. celebrantis, auctoritatem firma consistit; in ea fideles iam securi conquiescunt; ast fervoris fidelium in Deigenitrice colenda instauratio nonne unum ex motivis est, quae definitionem svadere videntur? 4. Per indirectam definitionem christiani populi falleretur expectatio, nedum ei satisfieret. Ex quo namque ei innotescere coepit S. Sedis intentio, aliquod circa Virgineum privilegium edendi decretum, non aliam quam directam definitionem praestolatur, quo nempe pia sententia ad dogmatis fidei dignitatem evehatur, quippe quae sola sententiae defuisse putatur. Iamvero provocatae expectationi minus satisfacere ne dicam fallere, numquid non quoddam priori populi convictioni devotionique parere posset praeiudicium, dum illius firmitatem debilitandi, huius fervorem minuendi periculo exponeret? Si quid directae definitioni obesset, id unum foret,

quod durum inconveniensque videatur, viros apprime catholicos, deque Ecclesia ceteroquin bene meritos, imo ipsos Ecclesiae Patres ac Doctores, qui contra sensere ac sentiunt, condemnationi subiicere, in eorumque sententiam anathema pronunciare. Ast neminem viventem illa condemnatio attingeret, cum contraria sententia neminem iam alicuius nominis theologum patronum habeat; usque adeo ardens olim circa praesentem quaestionem disputationis aestus in scholis iam deferbuit, ut una harum omnium iam mens sit unaque professio. Quod defunctos attinet, eorum animae iamiam in gloriae lumine versantes nonnisi agnita veritate delectantur, nilque sane ardentius desiderant, quam ut quod ipsae in coelis intuentur mirantur atque celebrant, viventes in terris ac per aenigma solum videntes et ipsi universim credant profiteantur atque praeconisent, ut ita Ecclesiae triumphanti concinat Ecclesia militans, unaque utriusque sit vox, professio, atque perfecta concentus harmonia. Praeterea ex historia eccles. novimus, non semel ab Ecclesia directe definitam fuisse doctrinam, cui nonnulli Patrum atque Doctorum antea adversari visi sunt. Quamquam horum ne unus quidem contrariam immaculato conceptui sententiam tenuisse certo dicendus est, si fides sit viris eruditione praestantibus, qui illis vindicandis egregiam operam impenderunt. Ex theologis non pauci ab aliis in hoc solum dissensere, quod piam sententiam definibilem esse inficiarentur, etsi eidem saltem ut probabili adstipularentur; unde et hi extra anathematis ictum constituti sunt. Noscet dein Ecclesia in suo decreto mitissimis uti verbis, ac pro sua prudentia ita proferre iudicium, ut, dum veritas definitur, in olim contrarium sentientibus veritatis amor ac studium agnoscatur atque iusta his laus attribuatur. Ex dictis facile iam Sanct. Vestra intelligit, quid ego in proposita quaestione sentiam atque exoptem. Id tamen adiicere liceat, in meis esse votis, ut Ap. Sedes, si ipsi rem definire placuerit, una simul peculiare pro Conceptionis festivitate Officium Urbi et Orbi praescribere dignetur. Atque modo factae mihi per Sanct. Vestram iniunctioni me satisfecisse existimo, cuius supremae voluntati obsequi in hoc responso exarando mihi unice propositum erat. Quid enim ego illi suggerere praesumerem, cui in

etri persona dictum est: Et tu confirma fratres tuos? quid
li, qui divinam perpetuo Christi et Spiritus S. secum ma-
ntium promissionem habet? hi duo sine dubio suo in terris
icario inspirare non omittent, quod dilectissimae Matris ac
ponsae suae honori magis expedit; aut quis nisi filius, quis
isi sponsus, et tales quidem maxime, quales Maria n acta
t, huius inprimis gloriam zelabunt? hi profecto nec sine
nsilio voluere, ut hisce temporibus augusta Petri cathedra
eo Pontifice occuparetur, qui eximius Divinae Matris sine
acula conceptae cultor, tenerrimusque eius amator existeret;
ui nil proin ardentius exoptaret, quam ut publicum quoddam
ialis sui erga Mariam affectus et venerationis relinqueret
onumentum, ac relinquendo tum laborioso suo Pontificatui,
m tribulatae Ecclesiae magis propitiam redderet potentissi-
am Coeli Reginam. — Seduni in Vallesia, 28 Dec. 1849.
etrus Ioseph.

1043. **Eppus et Abbas Agaunensis.** Cum magno gau-
o ac summa laetitia cognovimus ex Encyclica Caietae data
Febr. 1849, permultos Antistites etc. postulasse, ut ab Ap.
de solemni iudicio decerneretur, SS. Deigenitricem imm. V.
ariam absque labe originali fuisse conceptam. Non possumus
n adhaerere tali desiderio, quo semper flagravimus, prae-
rtim nunc, quando S. Sedes propensa videtur obsecundare
tis fidelium omnium. Apud nos BVirgo ubique sive a Clero
ve a populo fideli colitur sub invocatione immac. Conceptio-
s, cuius festum publicum necnon ex praecepto celebratur
e 8 Dec. Sub hac invocatione praesertim honoratur ab omni-
s et cum inscriptione huius praerogativae imagines BV. sive
numismatibus, sive in picturis repraesentantur. *Testamur
lerum ac populum nostrae iurisdictioni submissum summa
votione erga imm. V. conceptionem animatum esse, necnon
siderio flagrare, ut eiusmodi res ab Ap. Sede decernatur.
os vero pro humili scientia nostra credimus ac intime per-
asi sumus, S. Sedem posse tuto ex cathedra hanc veritatem
dogma declarare.* — Agaunii in Vallesia, 15 Iun. 1850.
ephanus.

1044. **Eppus Lausannensis et Genevensis.** Novit satis superque Sanct. Vestra, quam luctuosa malorum procella septem ab annis mea dioecesis concussa sit, quam difficilia quoque rerum adiuncta ipse expertus sim eo maxime tempore, quo literae encyclicae die 2 Febr. 1849 Caietae datae ad universos Eppos dirigebantur. — Quoniam autem in praesentiarum mihi in alma hac Urbe versari contingit, quam repetere, Sanct. Vestra peramanter invitante, festinavi: summopere in Domino laetor posse me tandem Paternitatis V. votis ex parte saltem satisfacere, dato, ut sequitur, ad Pontificia quaesita responso. — Ut primo de vigente in mea dioecesi devotione erga Mariam sine labe conceptam loquar, *testari gaudeo, omnes fideles catholicos meae sollicitudini concreditos,* paucis exceptis iisque indifferentibus vel rerum sacrarum irrisoribus, *fervida semper erga BV. pietate et filiali amore eminuisse et etiamnum animari, eiusque titulum imm. Conc. maiori prae ceteris titulis affectu et veneratione colere et solemniori pompa celebrare.* Quod sane probant tum ipsa Imm. Conc. festivitas, quae a longissimo tempore in maiori parte dioecesis inter festa de praecepto recolitur; tum ingens piorum fidelium in illa festa die ad Poenit. et Euch. Sacramenta concursus; tum institutae variae iuvenum utriusque sexus Congregationes sub titulo Mariae sine labe conceptae, quarum etiam numerus in dies augetur; tum demum introductio in dioecesim et propagatio illius admirabilis Sodalitatis sub titulo immaculati Cordis Mariae pro peccatorum conversione; quae quidem Sodalitas Parisiis orta plurimas in dioeceseos paroeciis congregationes habet confoederatas. Haec autem omnia non solum gregis mihi commissi devotionem erga imm. Concept. referunt, verum etiam innuunt, quanta nedicam veneratione et submissione tantum, sed laetitia potius et plausu dogmaticum de imm. BV. Conceptione iudicium a fidelibus sit suscipiendum; quorum etiam pars longe maior inconcussa iam convictione, quasi ad fidem pertineret, Deigenitricis privilegium credit et profitetur. Quod ad *Clerum* attinet, *asseverare non haereo, illum cultui BV. sine labe conceptae ex totis visceribus esse addictum et consona voce devotum.* Huius erga Mariam immaculate conceptam devotionis sensa, quae ab incuna-

bulis foverunt sacerdotes et postea in studiorum cursu professi sunt dum Marianae Sodalitati nomen dederunt, iam porro qua animarum pastores commissis sibi fidelibus praedicando instillant, eosque ad illa verbo et actu exerenda adhortantur. Eandem ipsi devotionem in explendo publico officio palam profiteri laetantur, dum facta benigne per Apost. Sedem facultate in Oratione et Praefatione Missae Conceptionis eam ‚Immaculatam' decantant, atque Litaniis Lauretanis una cum populo encomium addunt: ‚Regina sine labe originali concepta'; dumque iuxta recens Sanct. Vestrae indultum Officium votivum et Missam de Conceptione quovis Sabbato non impedito recitant. Ex quibus facile perspicitur, intime firmiterque Clerum meae dioecesis adhaerere piae de immaculato Mariae conceptu sententiae: quae si dogmatico iudicio definiatur, iucundissime procul omni dubio accidet universis sacerdotibus, qui novum hoc titulo concessum honorem Matri et Patronae amantissimae gaudentes gratulabuntur. Ut demum mentem quoque meam aperiam, et ultimo Pontificio quaesito respondeam, quid nimirum ego ipse de re sentiam, — humiliter et impari sane scientia inter tanta Ecclesiae lumina, dicam *mihi inprimis et ex omni quidem parte definibilem videri doctrinam de imm. Deiparae conceptu.* Hanc enim doctrinam in Verbo Dei etiam scripto saltem implicite iuxta gravium auctorum opinionem, sed maxime et explicite in Verbo Dei tradito contineri probatur tum ex SS. Patrum scriptis, tum ex antiqua Ecclesiae persvasione, indeque a primis fere seculis orta consvetudine festum Conceptionis celebrandi, tum ex ipsorum fidelium non minus antiqua constantique et universali persvasione. An autem opportunum sit, imm. BV. conceptionem dogmatice definire, meum non est pronunciare; et re quidem vera ipse dicere haereo, maxime tot doctis hominibus diversa opinantibus, suamque utrinque sententiam gravium rationum pondere stabilientibus. Si enim ex una parte timendum videtur, ne in regionibus saltem ubi catholici cum haereticis permixti vivunt, qualis est mea dioecesis, dogmatica definitio obtrectationes haereticorum, novasque proin fortasse dissensiones, atque etiam impiorum blasphemias sit provocatura: ex altera parte non parum imo magis movent et ad

definitionem invitant illae tam instantes tamque multiplices Antistitum, Ordinum, et eccl. Collegiorum supplicationes, necnon ipsius populi christiani vox fere unanimis, eiusque ardens et his ultimis maxime temporibus reviviscens votum. Quibus si addatur calamitatum ac malorum omnium consideratio, quibus undique Sponsa Christi S. Mater Ecclesia premitur, spesque affulgens, fore, ut illis per potens Mariae subsidium medela afferatur, nullo sane tempore magis opportuna videbitum illa pie et ardenter efflagitata definitio. Huic ego spei maxime innixus, votaque totius fere Ecclesiae tum docentis tum discentis prae oculis habens, *ex intimo corde exopto, ut immac. Mariae Conceptio dogmatico iudicio definiri possit.* — Romae, 15 Nov. 1854. *Stephanus Marilley.*

---

2. *Contra decisionem.*

1045. **Eppus Sangallensis.** Persolutis diutius ardentibus ad Deum Patrem luminum precibus, auditisque Consiliariorum nostrorum Eccles. sententiis, devotissime ac humillime transmitto responsum meum ad quaestionem omnibus totius cath. orbis Eppis propositam circa statuendum dogma de imm. Conc. BVM. *In dioecesi nostra omnes vere Christifideles Clerici et laici firmiter credunt, BVMariam absque macula peccati originalis esse conceptam, semperque immaculatam fuisse.* Nam 1. gratia plenam salutat Angelus Gabriel BVirginem. 2. Nullo momento potuit displicere Deo. 3. Christus Iesus aeterni Patris Filius consubstantialis carnem et sangvinem peccaminosum assumere non potuit. 4. Omnipotentiae Divinae facile est, et sanctitati eius infinitae consentaneum, excipere BMatrem Filii sui a peccato originali. 5. Denique relatio singularis S. Deigenitricis ad SS. Trinitatem exigere omnino nobis videtur, eam sicut ab omni peccato actuali, ita etiam a peccato originali immunem, intactam, et immaculatam, adeoque in conspectu Divinitatis semper totam pulchram extitisse. Quare quilibet sanae mentis vere catholicus immaculatam Conceptionem BVM. firma fide credit, nec ullus contrarium asserere praesumit. Cultus BVMariae in regionibus

nostris eximie viget. Festa eius solemniter ac devote celebrantur. Frequentia eorum, qui in festis BVMariae dedicatis adeunt Poenitentiae tribunal, et SS. Eucharistiam, permagna in omnibus paroeciis existit. In qualibet parochiali ecclesia altare secundum in honorem B. Deigenitricis erectum habetur. Nulla invenitur parochia, in qua non sint Confraternitates in eiusdem honorem, e. g. Confraternitas S. Rosarii, S. Scapularis, SS. et immaculati Cordis BV. pro conversione peccatorum et infidelium etc. Scapularia vel numismata cum imagine BVM. non solum plurimi ruricolae, sed etiam devotiores fideles urbani portant. Coronam BMV. seu Rosarium omnes vere catholici nondum spiritu mundano correpti vel qualibet die, antequam cubitum eunt, vel saltem diebus Sabbati in communi vel in domibus vel in ecclesiis aut sacellis recitant. Diebus dominicis et festivis sub missis privatis alta voce Rosarium cum Litaniis de BVirgine recitare moris est. Idem fit in Missis quotidianis non solemnibus a populo congregato assistente. Salutationem Angelicam ad sonum campanae ter in die in omnibus Ecclesiis resonantem religiose ac devote recitant. Singulis mensibus Processiones publicae in honorem Immaculatae V. Mariae fere in omnibus parochiis solemniter habentur. Denique in angustiis et adversitatibus ordinarie confugiunt ad BVMariam, refugium peccatorum, auxilium Christianorum, et consolatricem afflictorum. Frequenter peregrinantur ex devotione ad templa BVirgini dedicata et ob exauditas preces celebria, v. g. ad Monasterium miraculis insignitum loci Eremitarum. (Einsiedeln.) Haec omnia luculenter probant, B. Deigenitricem in Dioecesi nostra aliisque Helvetiae partibus prae omnibus creaturis summo honore Hyperduliae, nulli alii creaturae debitae, coli, atque populum christianum maiori cum fiducia ad Matrem pulchrae dilectionis Reginamque coeli confugere, quam ad alios Sanctos et Angelos cuiuscunque ordinis. Ex quibus omnibus *mihi meisque Consiliariis persvasum est, venerationem BMV. quam immaculate conceptam et a peccato originali exemtam immunemque cum SS. Patribus et S. Ecclesia firmiter credimus, decisione vel definitione dogmatica, quod immaculate concepta sit, augeri non posse, talemque definitionem dogmaticam pro tempore esse superfluam.* Quae autem nostris

perturbatis et undique falso lumine mundano seductis temporibus svadere videntur, inpraesentiarum non statuere dogma de imm. Conceptione, sed potius id differre ad novam aeram, uti speratur, Religioni Cath. et obedientiae erga Christi Vicarium ac S. Ecclesiae Eppis magis amicam, sunt sequentia: tali decreto dogmatico supervacaneo dato et publicato in Helvetia et Germania, acatholicis et novatoribus infecta, variae disputationes causarentur; libelli odio et calumniis pleni ederentur; in foliis publicis ubique grassantibus hoc dogma impugnaretur ac nefarie deformaretur; quare multorum seductio timenda foret, acatholicorum autem obstinatio firmaretur, iique longius a veritate averterentur; folia publica et libelli contra religionem scripti longe copiosius in lucem sparguntur, quam Cath. Religionem defendentes. Materiam de Conceptione admodum delicatam, et tractatum de ea in publicum edere absque necessitate, consultum non videtur. Nimis magna foret tentatio malorum, et carnalium literatorum, obscoena eructandi in modum infelicis Voltairii, eiusque successorum. *Attamen his rationibus non obstantibus, nec momento haesitabo me subiicere decisioni Sanct. tuae, persvasus, eam a Spiritu S. esse infusam.* — Ad S. Gallum, 25 Maii 1850. *Ioannes Petrus.*

1046—1070.

Responsa ex Imp. Austriaco ad Encyclicam Pontificiam. a. 1849—1854.

1. *Pro decisione absoluta.*

1046. **Eppus Veronensis.** Perlectis in ephemeride ‚L' Amico Cattolico' quae mense Martio Mediolani prodiit, apostolicis literis Caietae datis, — pientissimis desideriis Beatitudinis Vestrae ea qua par est reverentia obsequi humiliter propero. Et — possum sine errandi formidine et omni asseveratione affirmare, *Clerum populumque huius Civitatis et dioecesis praeeximio cultu veneratione et honore, quo B Virginem prosequuntur, huiusmodi sententiae non aliter factis inhaerere*

isos esse, ac si ab Ap. Sede ceu doctrina catholica esset defi-ita. Quapropter iam ab a. 1843. ardentissimis eorum votis et epetitis postulationibus satisfacturus enixe petii, ut in Prae-atione Missae de Conc. vocem illam ‚Immaculata,' et in Lita-iis Lauretanis ‚sine labe concepta' palam publiceque enun-iare et addere liceret, quod a rec. mem. Gregorio XVI beni-ne concessum est. Si ergo huiusmodi honorem SS. Virgini ecerni placuerit, nullum dubium quin omnes ad unum Apost. efinitionem quam libentissime sint excepturi. Quod ad me, si nei animi sensus Beatitudini Vestrae ingenue aperire debeam, uum et egomet nihil potius nihilque antiquius semper habue-im quam singulari pietate et obsequio BVirginem colere et iligere, *opto vehementissime, ut sententia haec, cui semper avit S. Mater Ecclesia, tamquam catholicae doctrinae articu-is decernatur.* — Veronae, 14 April. 1849. *Aurelius.*

1047. **AEppus Utinensis.** Veneratissima Encyclica 'estrae Sanctitatis de 2 Februarii a. c. via Vindobonensi ertigit ad me saltem 17 Iunii. Piissimis animi Vestri dispo-tionibus solatio plenus, Beatissime Pater, publicas preces idixi, lumen Spiritus S. invocavi, seriae meditationi subieci l, quod cor meum nunquam potuit vocare in dubium, et nunc estino Pater Sancte, Apostolico Throno substernere humile esponsum, quod S. V. expectat a me etiam in Episcopatu ltimo. — Oraculum, per Vestram Sanctitatem enunciandum, audio replebit mundum Catholicum. *Quantum ad hanc Dioe-esin, non est homo pius et religiosus, qui non honoret Mariam mmaculatam inde a sua Conceptione: non est, qui in preci-us domesticis non salutet et invocet conceptam sine macula riginali benedictam Dei Matrem. Haec pia fides est quasi octrina dogmatica, deposita per Traditionem in universas nimas.* Quantum dein ad me, qui provocatus sum ad expo-endos meos sensus, *dicam* Beatissime Pater, *quod lectio En-yclicae inundaverit animum meum solatio et teneritudine; icam, quod Mariam in sua Conceptione Immaculatam emper sim veneratus; quod privilegium istud mihi semper*

apparuerit pro gloria Dei necessarium, quia potuit non creare Universum, et gloria sua permansisset integerrima; sed Regiam suam permittere non potuit imperio inferni (Deus mihi parcat) absque diminutione honoris in sua omnipotentia, bonitate, sanctitate; quia ego non scivi cogitare, quod Angelus tenebrarum potuisset gloriari, Domum Domini a se prius occupatam fuisse; quod Deus potuisset domiciliari in anima, ubi prius sedile habuisset inimicus suus, et tenuisset adhuc vestigia tyrannidis suae; quod demum Deus sanctitatis, carnem peccati assumsisset; quia caro Christi est caro Mariae; non potui unquam cogitare, quod rara ista creatura, ab Eo dilecta inde ab annis aeternis potuisset esse obiectum irae etiamsi uno dumtaxat momento; electa ab aeternitate obiectum reprobationis, etiamsi momento solum; electa ab aeterno Mater obiectum maledictionis etiamsi momento; nunquam potui cogitare, quod haec Benedicta, quae gignere debebat ad ferendam mundo salutem, fuerit etiamsi uno momento vas anathematis, dum Eva quae eam amiserat, creata fuit in iustitia originali. Idcirco semper adplaudebam piae mundi fidei, quae recognovit convenientiam talis privilegii in Matre Dei; adplaudebam Ordinibus religiosis, scholis, Theologis, id propugnantibus; Collegiis, Academiis, Universitatibus id celebrantibus, et sua membra ad defendendum iuramento obligantibus; Patribus, Doctoribus, mirabilibus modis desuper disserentibus, vocando Mariam sine stigmate, sine macula, fructum gratiae, totam Sanctam, Deiformem, vas electum in terra, imo in coelo ad formandum templum Christo, quod subingredi debuit; verbis sufficienter significativis Patrum Basileensium, Avenionensium, Tridentinorum; Constitutionibus Romanorum Pontificum, Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. Pii V. qui suam sententiam sufficienter declaraverunt; quorum ultimus universae Ecclesiae imposuit festivitatem conceptionis, quae si non fuisset immaculata non potuisset certe honorari. Adplaudebam tandem (Vestra Sanctitas indulgebit hanc diversionem teneritudinis cordis mei) ipsi Prophetae Mahometi, qui in suo Corano ad os matris Mariae ponit verba illa: „Ego peperi mulierem, eamque nominavi Mariam; et tu, Deus, assume illam, subduc illam, eiusque filium Satanae

lapidato. Et hoc signum, si eam exceperit affabiliter, et eam fecerit germinare germen pulchrum. Et Angeli dixerunt: *o Maria, pro certo Deus elegit te, et te fecit puram,* et te praeferenter elegit supra feminas mundi." Adplaudebam etiam interpretibus Corani dicentibus: „Excepta Maria, et Filio eius, omnis qui nascitur, percutitur a culpa Satanae. Omnis descendens ab Adamo, nascendo transfigitur in latere a Satana, excepto Iesu et Maria Matre Eius. Siquidem Deus inter eos et Satanam interposuerit velum ita, ut ictus Satanae adhaerens velo, non penetret usque illos." Adplaudebam, et adplaudo, adorando Providentiam Divinam, quae posuit verba benedictionis super labia, quae aperiuntur ad maledicendum, et arma salutis in manu inimicorum nostrorum. *Beatissime Pater! Magister veritatis! Interpres inter Coelum et terram! levate Apostolicam vocem, pronunciate illa cum securitate, quae a Deo venit. Maria salutata ab Angelo plena gratiae, fuit semper plena gratiae, semper pulchra, semper pura, semper immaculata, semper sancta;* sancta sanctitate nova, singulari, miraculosa; sanctitate, quae a Deo venit, quae super illam pluit a Deo, et circumdedit, penetravit, replevit et sanctissimam reddidit suam Matrem; dicite impatienti mundo: Hoc pronunciat Petrus, haec est doctrina Catholica. In medio tempestatum, quae nos terrore concutiunt, dulce est provolvi ad stellam maris, et salutare in Maria spem dierum meliorum. Ego id ex intimo animo suspiro, suspiro pro mundo adeo convulso; suspiro pro Ecclesia tantopere agitata, suspiro pro vobis Beatissime Pater! factum signum et adeo terribiles, adeo crudeles contradictiones. Pater Sancte! ego, qui honorem habeo vos cominus noscendi, ego, qui amplexatus sum vestra genua, qui ploravi super manum vestram; ego, quem tanta humanitate excepistis, tanta benevolentia consolati estis, tantis beneficiis cumulastis, ego, qui in Vobis Vicarium Iesu Christi veneratus sum, et dilexi (indulgete confessionem) Angelum in similitudine hominis: ego concepi infortunium Vestrum in dolore, in consternatione cordis, quod Vobis ardenter, et inconcusse devotum est. Cor istud vibravit sanguinem, nec sibi temperavit in amaritudine coram Eo, qui contristat, et consolatur. Veniet dies, et Deus revolvet cortinas aureas, cuius nunc

aversam contemplamur partem. Sed Vos beati, Pater credentium, quos Deus in tanta tribulatione consolatur pace sua ineffabili! Beati, quod dicere possitis: quando ego cadebam sub pondere meorum malorum, consolationes tuae laetificarunt animam meam: in die adversitatis levasti me supra praesidium et abscondisti in tabernaculo tuo. Et in terra exilii, rétectis opprobriis estis magis venerabiles in oculis nostris, o Auguste Repraesentans Iesu Christi; non, plausus, qui Vos circumdabant, non sunt digni vituperiis, quae effutita sunt contra vos; vestrum Triregnum non imponit plus reverentiae, quam corona ista spinarum, quae Vos transfigit. — Utini, 7 Iul. 1849. *Zacharias.*

1048. **Eppus Feltriae et Belluni.** Maximam mihi in tanta temporum nequitia et animorum exagitatione Literae tuae, quas accepi die 20 Iunii, attulere laetitiam. Quid enim dulcius, quid iucundius, aut magis optandum, quam de SS. Dei et omnium nostrum Matre Maria cogitare et loqui, quam eam maximis, uti decet, honoribus prosequi, atque praeclarissima gratiarum privilegia ei divinitus collata debitis laudibus celebrare? Inter quae illud singulare merito habendum, *quo ipsam ab originali macula pie credimus praeservatam, quodque hactenus sic creditum nunc, ut magis atque magis eius dignitas elucescat, omnibus de fide credendum iustissimo paras consilio. Plurima siquidem sunt argumenta, quae hanc nostram sententiam non iam probabilem tantum, sed mea opinione veram efficiunt: nihil enim in ea, quod repugnet pietati, vel fidei, vel Conciliorum definitionibus, aut SS. Patrum doctrinis.* Quare semper viri integritate vitae, ingenio et sapientia praestantissimi vehementer optarunt, ut aliquando ab Ecclesia aut ab infallibili Rom. Pontificum oraculo inter fidei dogmata solemni definitione censeatur, quod pie semper fere ab omnibus creditum veneratumque est. Horrescit enim animus fateri, Matrem Domini, quae serpentis caput erat contritura, quandoquidem ab eo fuisse contritam. (Carthusianus.) Et revera, qua ratione mihi persvadere potero, vel minimo temporis spatio sub turpissimo peccati iugo illam fuisse, quam Deus ab initio

viarum suarum possedit, quamque creavit simulque omnibus Spiritus sui carismatibus locupletavit, ut dignum foret incarnati Verbi tabernaculum atque redemtionis nostrae mater et causa? Anne decebat fuisse aliquando Adae peccato obstrictam mulierem illam, quae pulchra atque electa sicuti aurora ab aeterno fuerat ordinata, ut virum orientem praecurreret, et novo lumine a suo conceptu consurgens moeroris tenebras dimoveret, atque gaudia benedictionis universo mundo nunciaret? Per Mariam solvenda erat matris Evae maledictio, per Mariam omnibus danda benedictio: quis itaque censebit eam macula originali inquinatam, per quam talia et tam magna erant praestanda? Idcirco ipsa mihi est ea mulier, quam Ioannes in Patmos insula conspexit sole amictam, quaeque ne ullo quidem draconis halitu vel leviter laesa Deum in pectore gerebat. ‚Stetit quidem, inquit *Rupertus* (de Victore Verbi Dei lib. 2.) draco ante illam, insidiabatur enim, ne fieret, quod proposuerat Deus: ast Deus propositi sui victoriam in potestate habens, mysterio a seculis abscondito immaculatam iam sibi Matrem delegerat.' Quare recte sentiunt, ni fallor, qui cum Richardo a S. Victore profitentur, Virginem tenebrarum principibus semper terribilem ita fuisse, ut ad eam accedere numquam praesumserint. Haec, B. Pater, mea sententia: verum non mea solum, sed et piorum ac devotorum hominum, quos commemoravi, et quod magis interest, quorumdam etiam Patrum, qui sanctitate, ingenio et doctrina inter ceteros maxime praestant. Quemnam praeterit *Ambrosium* dixisse ‚Mariam per gratiam ab omni integram labe peccati? In lumine vitae tenebrae mortis non sunt inquirendae, cum nequeat quidquam reperiri splendidius ea, quam splendor elegit.' (Orat. 22 in Ps. 118. — Lib. 1 Hexaem.) Ambrosio consentit *Hieronymus*, qui exponens illud Ps. 77: Deduxit eos in nube diei, ait: nubem illam esse Mariam, subdens: ‚Pulchre dixit, dies, quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.' Satis aperta ex his mihi videtur fides Hieronymi; nam si labe originali vel uno temporis momento inquinatam Virginem putasset, dixissetne eam semper in luce fuisse? Sed hac super re consideranda sunt verba D. Augustini: ‚Excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem

Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.' Nullam igitur Augustinus se profitetur velle de Maria habere quaestionem, cum de peccatis agitur; ergo neque cum agitur de originali. Multum gratiae ait Augustinus collatum esse Mariae, ut vinceret omni ex parte peccatum: ast si Adae culpa affecta fuisset, vicissetne ipsa iuxta Augustinum omni ex parte peccatum? Propter honorem Domini ait Augustinus: nonne, quaeso, honor Dei postulabat, ne Mater ipsius ulla prorsus sive originalis sive actualis peccati vel levi sorde contaminaretur? Plurima alia sunt, quae mihi svadent Matrem Dei Mariam sine labe originali fuisse conceptam; verum ea duxi omittenda, ne, cum sim discipulus, videar esse supra Magistrum. Tu enim Magister summus in Israel, a te populi legem Dei requirunt, cui praecipue depositum fidei concreditum est, et imposita scientiae custodia. Tibi in Petro dictum esse novimus: Pasce oves meas, pasce agnos meos; tu vicem geris illius, qui dixit: non est discipulus supra Magistrum. *Ex mea* igitur, si quid valet, *sententia,* quam rogare dignatus es, *perge, B. Pater, quo coepisti, evehe, supplex deprecor, ad dogmatis dignitatem et inconcussam stabilitatem, quod mente et corde piissime revolvis, ac illud firma, quod nos ipsi laeti iam canimus in Ecclesiis; neque dubites, quin populi omnes definitionem, quam proferes, sint devoto animo amplexuri.* — Belluni, 26 Iul. 1849. *Antonius.*

1049. **Eppus Spalatensis et Macarensis.** — Quoniam suprema Auctoritas vestra in re divini argumenti humilitatem meam de sententia rogare dignata est: aperte dicam, *nonnisi e peculiari Spiritus S. collustratione mentem Vestram consilium cepisse, ut a Petri Cathedra de immaculata Deiparae Conceptione iuxta meliorem Doctorum sententiam decerneretur.* Quid magis enim ab ardentibus Ecclesiae votis expetitum? quid in hac collapsae pietatis aetate ad augendum

Divinae Matris cultum opportunius, quid sanctius? Nemo erit praeterea, qui doctrinam hanc, nonnullis licet olim disputationibus oppugnatam, a doctissimis sanctissimisque viris suffultam semper, et ab universa christiana plebe pio devotionis sensu retentam fuisse non fateatur. De qua etiamsi Concilia Oecumenica et Suprema Sedes tamquam de fidei dogmate iudicium proferre bonis de causis hucusque haesitaverint, ea tamen semper in iisdem voluntas luculenter apparuit, ut iudicium ipsum, quando foret, non alia ratione, nisi qua a maiori doctorum parte totiusque Ecclesiae votis conceptum erat, pronunciaretur. *Anathema vero, si quis est, qui Sanct. Vestrae ius officiumque denegare audeat, ea in rebus fidei decernendi, quae dubia sunt, non nova quasi dogmata conflando, sed quae in intimiori Ecclesiae sensu manebant, enucleando atque illustrando.* De cultu tandem, de honore, de fidei gradu, quo mysterium istud excipitur ab hac gregis Vestri parte, Sanct. Vestra novisse velit, *huius pervetustae latissimaeque dioecesis ex utroque Clero forte esse neminem, qui a Scoti doctrina recedat, hanc in scholis usurpari, hanc in catechesibus concionibusque ad populum, a quo non alio, quam quem edoctus est, sensu retinetur.* Altaria quoque plura, plures Ecclesias Virgini sine labe originali conceptae dicatas, plura oppida Dei Matrem sibi Patronam sub hoc titulo adscivisse, plures fidelium sodalitates sub vexillo Virginis angvem tartareum calcaneo conterentis congregavi: talem uno verbo mysterio huic habere devotionem fidemque, quod in precibus indicendis Epistola Vestra praescriptis commendata prudentia sic uti debui, ut quamvis iis, qui de Clero sunt, res facile innotesceret, ceteris tamen non revelaretur, ne quis in eius suspicionem incideret, quod numquam iu dubium revocavit. Quantum denique ad me pertinet, ad Dei Beatissimaeque Parentis eius gloriam fatebor, me, quotiescunque pro ingenii exiguitate doctrinam hanc studio et meditatione sum prosequutus, eum semper fructum retulisse, a quo magis magisque in saniori sententia confirmarer. Praeterea si quo devotionis affectu erga hunc misericordiae et gratiarum fontem unquam incalui, si quando oculos meos opem impetraturus ad ipsam converto, sacrum mihi fuit semper et est, eidem sub hoc potissimum mysterio obsequium praebere,

eandem hac praesertim salutatione invocare. Quapropter *non solum tamquam unus e catholici gregis Pastoribus ea quam exposui mente sortem meam in infallibilem Romanae Sedis urnam coniicio, sed Sanct. Vestram oro obtestorque, ne Angelorum in coelis hominumque in terris Spes ulterius producatur.* Hac gloriae aureola, antiquis illis Caesarum et Imperatorum coronis longe potiore, proximus Vester in Urbem reditus, hoc prae ceteris laudum praeconio Vester condecoretur triumphus. — Spalati, 18 Aug. 1849. *Aloysius M. Pini.*

1050. **Eppus Linciensis.** Divina Providentia svaviter omnia disponens, creationem humani generis tam laetam libertate omnigena in orbe agendi ornatam, diabolici serpentis seductione in paradiso turbatam, servare tamen clementissime voluit. At vero conterendum erat caput serpentis per semen mulieris, per alteram utique mulierem, quam quae fuit Eva, quamque os Angelicum post multa secula salutavit gratia plenam, et benedictam in mulieribus. *Revera gratia plena fuerat Maria, quae una digna fuit concipere Unigenitum Dei Filium; plena, inquam, gratia Dei, in qua esse numquam potuit quod Numini omniscio displicuisse videbatur, noxa nulla. Benedicta in mulieribus, sive praecedens et antecedens omnes mulieres, Deo gratissima, quae nihil in se unquam habuit, quod divinam creationem maculavit.* Haec ratio erat Sponsae Christi, Ecclesiae Catholicae, quam ob rem eadem Virgo Maria Deigenitrix ab initio statim Ecclesiae Christianae in orationibus praeponeretur semper Angelis et Archangelis. *Nulla labes in Angelis fuit, nec esse credatur in selectissima Virgine, in vase dilectionis divinae, quam his omnibus in precibus suis praeposuit eadem Christi Ecclesia.* Quemadmodum una eademque fides in Christi Ecclesia semper viguit, semper viget, semper vigebit ab initio usque ad consummationem seculi, de quibusdam tamen terminis unam eandemque fidem exprimendi aliquoties, et sero quidem dilucidius pronunciatum est, v. g. de tribus SS. Trinitatis personis, quamtumvis implicita fides una eademque fuerat, quae postea fide explicita definita propositaque fuit, Filium Dei Iesum Christum Patri esse consubstantialem

simul ac Spiritum S. Creditum semper et ubique in Ecclesia Catholica fuit, BVMariam non solum hominem Christum peperisse, sed Deum simul et hominem; oborta autem Nestorii haeresi palam definitum est in Synodo Ephesina et in Chalcedonensi, duas in Christo esse naturas, divinam et humanam, unam tamen personam. In primis statim Ecclesiae seculis Nativitas D. N. I. C. ubique ferme a coetibus fidelium celebrata est, et paulo post vestigia inveniuntur solemnitatis *de Nativitate B. Deigenitricis. Quae res eam in cogitationem nostram rationem veluti sponte inducit, eos omnes Christicolas implicite, ut diximus, credidisse, Deiparam singularis privilegii ortum habuisse, adeoque ab omni noxa immunem.* Nativitatem enim tunc temporis nullius Patriarchae, mulieris nullius celebravit coetus christianus, praeterquam Nativitatem Ioannis Baptistae, quoniam adveniente SS. Virgine praegnante puer exultavit in utero matris. Quod factum pios fideles ad celebrandam quoque nativitatem S. Ioannis excitasse videtur, sanctificati nempe in utero matris. Seculo denique XII *Lugduni Galliarum* Clerus populusque catholicus fidem implicitam palam explicito ritu manifestarunt instituta celebratione *Conceptionis BMV.* Conceptionem alicuius hominis reatu et culpa originali maculati christiana pietas procul omni dubio haud poterit celebrare. Non procul post haec idem festum celebrare Ecclesiae cunctae voluerunt, factum profecto omni consideratione longe dignissimum. Accedunt tanta praeconia BMV. a SS. Patribus omnium seculorum edita, quanta maxima esse possunt. Sancti Ecclesiae Patres tam eximiis titulis et laudibus summis celebrarunt Deigenitricem in scriptis ac coetibus suis, ut eis verba deficerent, suam erga Mariam devotionem satis testificari. *S. Ephrem* Syrus in Orat. ad SS. Deigenitricem ait: Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima Virgo, Dei Sponsa et Domina nostra; inviolata, integra, planeque pura ac casta Virgo Deigenitrix; — sanctior Seraphim et incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior. *S. Fulgentius* in Serm. de duplici Nativ. Christi instituit antithesin inter Evam et Mariam his verbis: In primi hominis coniuge nequitia diaboli seductam depravavit mentem; in

secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integram servavit et carnem. *S. Ioannes Chrysostomus* in Serm. de Nativ. Domini scribit: Quemadmodum artifex inventa materia utilissima vas pulcherrimum fabricatur, ita Christus invento Virginis sancto corpore et anima templum sibi construxit ornatum. *S. Ioannes Damascenus* de dormitione BMV. loquens, eam vocat Virginem immaculatam, quae nihil terrenarum affectionum admisit; et eius integritatem hisce verbis laudat: Ad hunc paradisum serpenti aditus non patuit, cuius falsae divinitatis cupiditate flagrantes iumentis sumus comparati. Ipse enim Unigenitus Dei Filius cum Deus esset eiusdemque ac Pater substantiae, ex hac Virgine ac pura terra se ipsum in hominem formavit. *S. Ambrosius* BVMariam hisce laudibus extollit: Sit vobis tamquam in imagine descripta. virginitas vita Mariae, de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis. Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius ea, quam Splendor elegit? Et *S. Augustinus* in festo Assumt. BMVirginis: Quae Virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus S.? quae tam speciosa, ut eam Deus ipse eligeret in sponsam? quae tam casta, ut esse possit Virgo post partum? Haec est Dei templum, fons ille signatus, et porta in domo Dei clausa. *S. Anselmus Cantuariensis* in lib. de Conceptu Virginali ait: Decebat, ut Christi conceptio de Matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius; et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, et de qua Spiritus S. volebat, et operatus erat, ut conciperetur et nasceretur illud, de quo ipse procedebat. *S. Bernardus* de dignitate S. Deigenitricis sic loquitur: Talem sibi Deus Matrem condere voluit, imo talem sibi delegit, qualem ipsum decebat, et quam noverat sibi esse placituram. *S. Thomas Aquinas* extollit BMVirginem super omnes ordines Angelorum, et declarat eam fuisse expertem maledictionis Evae, atque bis sanctificatam, scilicet in utero matris, et quando concepit Christum. In prima sanctificatione fomes fuit ligatus, in se-

cunda vero totaliter ablatus. Cum igitur BVMaria credatur omnino fuisse immunis a fomitis inclinatione propter eius sanctificationem perfectam, non est pium, ponere aliquam pugnam a carne fuisse in ea, cum talis pugna non sit nisi ex fomitis inclinatione. Controversiae Scholarum Sec. XIV, quae pro et contra piam sententiam immac. Conc. BMV. certarunt, necnon subsequa aetate, modum quodammodo excesserunt fervore forte nimio aliquando et livore animorum. *Sanior* tamen *pars stetit semper pro pia sententia Virginis immaculatae, et vix non omnium Religiosorum Ordinum, Academiarum Cath. oratio et professio publica.* Coacta denique est Synodus Tridentina, utique celebratissima. Haec Sessione 5 cum de peccato originali solidissime tractaret, disertis verbis enunciavit, longe se abesse, ut declararet, eandem culpam tetigisse etiam B. Deigenitricem Mariam; quapropter editis canonibus de originali peccato, haec verba adiecit: Declarat tamen etc. (ut suo loco.) Praeterea eadem S. Synodus Sess. 6 affirmavit, in sola BMV. nullum inventum esse peccatum, nec veniale quidem. Itaque quod crediderunt primipili fidelium tradideruntquae per tot secula Cath. Ecclesiae, salvum intactumque servandum duxit laudatum Concilium, adeo, ut Summi Pontifices Sixtus IV, Pius V, Paulus V, et Gregorius XV merito prohiberent quidpiam contra tam piam traditionem orbis christiani contrarium proferre, e contra laudaverunt eos, qui in coetibus eccles. eandem profiterentur. *Nullum ergo dubium amplius esse potest catholico sincero, doctrinam de imm. Conc. BMV. omni ex parte esse sanam, atque usque adeo fundatam, ut tamquam Ecclesiae Cath. doctrina a Summa Sede Apost. adstipulantibus certe Apostolorum successoribus Eppis iam nunc declaretur,* quinimo in Praefatione Missae BVM. addatur: ‚in immac. conceptione', cui apprime concordant supra recitata SS. Patrum praeconia atque argumenta affatim ponderosa. Populus curae meae pastorali concreditus 800 ferme millium fidelium de laudibus BV. praesertim de immac. Conceptione igne quodam devotionis accensus audire avidissime cupit, quod non ego solum, sed vix non omnes presbyteri huius dioeceseos multoties experti sumus. — Lincii, a. 1849. *Gregorius Thomas Ziegler.*

1051. **Eppus Tarvisinus.** (Sub titulo: **Votum Dioecesis Tarvisinae ab Eppo substratum pro illustratione et defensione specialissimi privilegii immaculati conceptus excelsae Nostrae Dominae concessi.**) Nimis tarde, Beatissime Pater, e ratione vicissitudinum rerum italicarum, tumultuum belli, et conditionis temporum, omnibus plene notorum, via excellentissimae Personae, quae Vindobonae sustinet munus Nuncii Apostolici, et insigni virtute ac pari constantia manutenet gravissima negotia S. Romanae Sedis apud Imperatorem et Regem Franciscum Iosephum, (apud quem de praesenti est summa dominii Domus Austriacae, et moles Imperii Germanici adeo extensi) circa finem mensis Iunii percepi Apostolicas Vestras Literas datas Caietae die 2 Februarii 1849 ad universos Pastores Superiores et Patres Catholicae Familiae: queis Literis Vobis placuit significare, cum incredibili adplausu et laetitia omnium, qui eas legerunt, Vos totos eo nunc occupari, inter veritates revelatas, dictamine divinae fidei populo christiano ad credendum propositas comprehendere etiam privilegium Immaculatae Conceptionis, quo per Sanctissimam Trinitatem decorata et ditata fuit a primo instanti vitae suae SS. Virgo et Mater Dei. Insuper iisdem Apostolicis Literis, usum faciendo supremae illius et divinitus collatae potestatis, qua distinquimini et magnificamini in universo orbe catholico, cunctis Episcopis imposuistis, quod in hoc proposito, ut primum potuerint, Vobis rescribant et referant cum accuratia, quam deposcit gravitas materiae. Praecepistis pastoribus et ducibus quarumvis Ecclesiarum, ut Vobis communicent, quid in gravissimo hoc puncto quo ocyus definiendum sentiant ipsi et populi gubernio eorum concrediti. Nonne probabilem fovetis spem, ut emergente in futurum novo hoc subsidio, per Religionem suppeditato, cesset turpissima vitiorum seges, reflorescat contemta Religio, reviviscat virtutum amor, reducatur morum honestas, et stabilitas fidei revertatur ad statum primitivum? Ut benedicta Virgo usu et invocatione huius privilegii ad excelsum dignitatis gradum elevata, qua longe superat et vincit in beatissimo Coelorum regno totum, quidquid non est Deus: secundum expectationem conceptam per omnes bonos, sit provisura utilitati nostrae quo-

cunque modo, et in specie faveat omni ordini civium, protegatque causam filiorum Adae. His itaque omnibus rebus obstrictus Vobis respondere, quid potero dicere, quod mereatur a Vobis adprobari, iudex sapientissime, et dignum sit satisfacere expectationi Vestrae? Si in materia, de qua agitur, Vobis placeret me interrogare, quid sentiam ego: dicam Vobis libere: tantum abest, ut ego iudicem, quo causa haec dici possit decisa magna cum celeritate, ut potius agnoscam causas fuisse gravissimas, ob quas retardatio intervenit, ut divina Mater decursu novemdecim seculorum privata fuerit augmento illo honoris, et decoris, quod a primo temporum exordio, et ab Ecclesiae institutione eidem integre deberi videbatur. Si mihi mandatis, quid iudicet populus meus Tarvisinus, dicam Vobis cum veritate, non existere, qui non vehementer gaudeat, et singulari modo non congratuletur Virgini de excelso honore, qui in dies ampliatur Apostolicis Literis Vestris. Si desideratis, an christiana respublica possit expectare perpetuum patrocinium, copiosam utilitatem, coelestem defensam, si Virgo benedicta ornata fuerit glorioso titulo Immaculatae: immediate respondebo, existere fere innumera exempla ex historia ecclesiastica desumta, e quibus discimus, quod Ecclesia Catholica, et S. Sedes Apostolica, armis inferorum turbata, per crudelem tempestatem agitata, per violentias impiorum filiorum vexata, nunquam melius praesidium et tutelam habuerit, quam recursum ad protectionem Dominae nostrae, salutando eam novo aliquo titulo, invocando clementiam eius, se ipsas, causamque suam misericordi illius affectui commendando. Et reipsa dum pessimus et audacissimus Nestorius nullum intermisit medium ad tollendum Reginae Virginum eximium Dei Matris decorem: Romani Pontifices et Episcopi totius Ecclesiae Catholicae aperuerunt viam ad asserendum Ei plenum triumphum, publicando decretum, quod ab omnibus Christianis semper et ubique in publico et privato invocata fuerit, ut vera Mater divini Salvatoris. Et iam facto isto, magna Iesu Christi familia expectatam pacem recuperavit, fugatis densis nubibus reluxit in coelo primitiva serenitas, siluit procella, et horribiles inimicorum Crucis voces ad perpetuum damnatae fuere silentium. Seculo decimo sexto

Ecclesia, divina religio gravissima damna sustinuit per violentias et temerarios ausus Turcarum, aliorumve his similium; egregius Pontifex Pius V huius nominis, abundantissimum percepit fructum e suis et publicis precibus, ordinatis solemnissimis processionibus in honorem Beatae Virginis Mariae, invocatae sub glorioso titulo *Reginae Victoriarum* et promota devota recitatione *SS. Rosarii*, quae nunc omnes in partes propagata est. Si ad initium huius seculi decimi noni propter agitationes inimicorum fidei Papa Pius VII Romana sua Sede pulsus per quinque et ultra annos Roma exul vivere debuit, innumeras adversitates sustinere, multisque periculis obiici, vix Roma discedens, per confinia Liguriae peregrinans, et Savonae receptus ornavit templa Immaculatae Virginis, voluitque ut ab omnibus laudetur et celebretur sub titulo *Auxilium Christianorum*. Quae cum ita sint, introite viam Sanctissime Pater, per Coelos Vobis signatam, cum securitate reportandae palmae, sertorum, et proemiorum ab ardentissimo amore, quo erga Virginem flagratis. *Totus mundus christianus, quacunque protenditur, nihil ardentius optat, quam videre auroram nunciam faustissimae diei, qua aperto Oris Apostolici oraculo proferatis decretum, e quo cognoscatur privilegium Immaculati Conceptus, a nullo, nisi Deo O. M. concessum, nec pro futuro concedendum; sit iunctum certitudini, stabilitati, evidentiae tali, ut fidei catholicae gravissimam inferat iniuriam, et separetur a grege christiano, qui audacter negaret, aut in dubium vocaret idgenus Virginis privilegium.* Hoc facilius colligetur, tam ex invincibilibus argumentis Theologicis, veritatem hanc confirmantibus, quam e claris Patrum et Doctorum testimoniis, rem hanc eo modo illustrantibus, ut nullum remaneat de opposito dubium; tam denique ex universali, constante et perpetuo Ecclesiae consensu in defendendo specioso hoc et magnifico privilegio. Apostolico Mandato taliter honoratus, ad quaepiam super hoc puncto nomine Ecclesiae meae Tarvisinae scribenda, id paucis praesto, tanto magis, quanto certius scio quod Cathedra Romana ea coelesti sapientia distingvatur, ut superfluum et inutilem adprehenderet laborem illius, qui Supremo fidei Magistro scribendo, non dubitaret immiscere res Romae notissimas, et certe minus necessarias.

Cum loqui debeam, ut pastorale meum deposcit officium, de purissimo Conceptu Magnae Matris Mariae, in quo recurrunt etiam res intellectu difficiles, utplurimum ad Theologiam pertinentes, et dignae, ut prius adcurate definiantur, ne ulla exurgat dubietas; iudico necessarium praemittere, quod ex operibus sapientissimi Papae Benedicti XIV eruitur, his expressis verbis: „Conceptio (dicit laudatissimus Auctor in suo opere de festis D. N. et B. M. V. Cap. 15.) potest sumi sub duplici obtutu, et duplici modo: quia vel est *activa* in qua sancti Genitores B. V. actu maritali mutuo cooperantes fecerunt id, quod principaliter respiciebat formationem corporis Eius, organisationem dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam; aut vero *passiva* locum habens tunc, dum anima rationalis unitur corpori. Quoniam ipsa infusio et unio corporis debite organisata vulgo nominatur conceptio *passiva*, quae mox succedit illo ipso instanti, quo anima rationalis unitur corpori composito ex omnibus suis membris et organis." (Sic scribit laudatus Auctor loco citato.) Praetermissa igitur conceptione *activa*, de qua nihil, quod loquamur, habemus, occupemur cum exultatione et debitis laudibus, conceptione *passiva*, et per totum discursum nostrum demonstrabimus, hanc fuisse privilegio gratiae sanctificantis ita puram et immaculatam, ut candore ac munditie praecedat non tantum homines, sed ipsos etiam Angelos. Qui attente considerat firmissima illa et invicta argumenta, queis rerum divinarum scriptores a novem decim seculis defendunt speciosum privilegium immaculatae Conceptionis *passivae*, quo Beata Virgo Maria per Augustissimam Trinitatem nobilitata fuit exemplo sane novo, necesse est ut confiteatur, quod immunitas illius a quacunque macula, talibus innitatur fundamentis, quae a nullo vere docto, et in fide sano succuti possunt. Quam certa et indubitata sit veritas ista, felici et iteratim repetita didici experientia. Quando quidem ego inde ab anno 1830 constitui omni anno ex ambone Cathedralis Basilicae, praesentibus multis meis Tarvisinis iuxta modum pauperis mei ingenii aliquas res, semper prout allocutio secumfert variatas, in imaginibus, in figuris, retentis solum rebus et sententiis ad elevandum meritum et amplificandam virginalis conceptus gloriam servientibus proponere;

pleraque proposita e Scripturis, Patribus et Doctoribus hausta fuere, meque pro futuro non facile iuvare valens, evolvi antiquos et doctissimos libros de hac materia tractantes, indeque accepi animum integre vacuum, et ab omni amore partium liberum in proferendo hoc iudicio: non amplectere, non aestima, non adproba piam sententiam. Et effective quis sibi potest persvadere, ut Verbum Patris, proxine assumturum corpus humanum, voluisset sibi seligere Matrem turpissima peccati macula contaminatam, postquam ad lubitum pro tanto munere eligere potuit sanctam, innocentem, purissimam! An non est verum, quod admissa semel ista hypothesi, inhonoratio et ignominia Matris redundaret in filium, ex muliere generatum, quae fuisset odiosa Deo, subiecta peccato, subdita daemonio? Si Unigenitus Patris id fecisset, cum fundamento dici potuisset, id propterea evenisse, quod ipse aut non potuerit, aut certe non voluerit praeservare immunem suam Matrem a communi perditione et miseranda ruina. Si id fecisset ob defectum potestatis, iam non esset Deus omnipotens, *qui fecit omnia quaecunque voluit in Coelo et in terra.* Si vero ob defectum amoris et propensionis negasset benemeritae Matri suae privilegium eidem plene debitum, non amplius esset verum, quod amet Mariam tam forti dilectione, ut dici possit, *dilexit rex hanc mulierem super omnes feminas; multae fuerunt filiae, quae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Quare si volumus declinare assertiones absurdas, disordinatas, indignas, Deo iniuriosas, attendendum nobis est ad piam sententiam, et sequenda vestigia ingeniosissimi, et subtilissimi Doctoris, et e praemissis deducenda haec unica consequentia: *quod ille potuerit sibi eligere Matrem immaculatam, quod hoc dignitas Illius secum tulerit, ergo id fecit etiam.* Nam ubi et quando potuit reperiri artifex sapientissimus, qui scivit a fundamentis aedificare domum, eam tamen non pro aliis destinatam, sed pro se ipso erectam, struat contra dictamina legum architectonicarum, aut hic ubi aspectus coeli, aer, producta, terrenum horribile sensibus praebent spectaculum, aut illic, ubi iuratus inimicus eius aliquo temporis tractu suum fixit domicilium? Hypothesis haec ita repugnat rectae rationi, sicut ad illam penitus evertendam sufficit doctrina in

divinis scripturis: *Sapientia sibi aedificavit domum*. Si auctor mystici huius aedificii est Deus sapientissimus, genitus a Patre, eique perfecte aequalis et coaeternus, in splendoribus Sanctorum, prodiens ex utero eius priusquam appareret aurora et sol; facile videtur, quod non potuerit in aedificio illo existere res vel minima, quae non convenisset excelsae dignitati Matris Dei. Praeterea si Verbum Dei aedificavit hanc habitationem non pro aliquo hospite extraneo, sed se solo, certe exhinc consequitur, nullam ibi rem permissam haberi, quae oculos offendere potuisset, sublimis adeo Maiestatis. Si revera filius Dei salutifera sua Incarnatione ad hunc unice tetendit scopum, ut *nos liberati a peccato, facti servi Dei, habeamus fructum in sanctificatione animae, et finem vitam aeternam,* e praemissis sponte deducitur necessaria consequentia, quod victo daemonio, expugnato infernali carcere, et efficaciter impedita transfusione maculae peccati originalis ita, ut nec fuerit nec esse potuerit superstes vel minimum vestigium eius, sanctissima et innocentissima anima magnae Virginis Mariae inde ab ipso primo instanti suae conceptionis, fuerit a quacunque sorde culpae adeo libera, ut de hoc pariter capite dici possit verbis Isaiae: et *ecce totus fructus est illud unum, quod sublatum sit peccatum.* Si filius Patris aeterni aliter fecisset, fors censuisset angelus tenebrarum se ad hoc determinatum, ut ipsi improbet et dicat, quod etiam ipsa sua Mater in primo instanti vitae gemuisset sub durissima eius captivitae, quod Deo odiosa fuerit, quod amiserit ius ad consecutionem regni coelestis? Rebus ita stantibus, post completam mundi creationem seculo quadragesimo, adpropinquavit magnus ille dies, *quo stella matutina in medio nebularum* praecessura erat solem orientem iustitiae; emissa fuerit vox concutiens Cedros, et commovens desertum Cades: *magnum et excelsum est opus istud, quia non praeparatur habitatio homini, sed Deo.* Ad spiritum tenebrarum dirigendo vocem dixit: *Non te dimittit Deus, quia nocuisti.* Ad virginem dein, ei adeo caram prae omni alia, faciendo verba, auditum fuit: *Non, non morieris, quia iam non propter te, sed propter omnes alios est stabilita lex* (contrahendi maculam paternam). Pronunciata haec verba, et omnes res quas fecit et dixit filius Dei nisi indirecte mon-

strarunt, sanctissimam filiam Ioachimi et Annae esse delicias sanctissimae Trinitatis, et idcirco eam debere esse decoratam dono immaculati conceptus, quia alia mulier similis illi nunquam fuit visa antehac nec deinceps videbitur amplius. Et iam mihi praefiguro audire vocem omnipotentis Domini, sic se euunciantis: ‚Depone o purissima Virgo omnem timorem, resume animos, promitto tibi novum triumphum: quia quamvis generata sis ab Adam, et reportasti imaginem naturae, non tamen paternae culpae. Murmuret, frematque, quantum vult, infernalis inimicus, ego ipse te succolabo in pugna, ne reportes exhinc vel levissimum detrimentum. *Scio ego bene infinitum esse numerum Virginum, sed scio etiam esse unicam columbam meam, unicam perfectam meam.* Propterea inter omnes res creatas existentes et possibiles ego te delegi, ut sustineas officium Matris Dei, quia *tota pulchra es, et macula non est in te.* Audiamus Angelicos spiritus dulcissimo carmine ubique concinentes: *quia pulchra es ut luna, electa ut sol, terribilis ut acies bene ordinata.* Iste, iste est dies, quo impleri voluit promissionem in primordiis mundi factam, dum loquendo ad serpentem omnium malorum auctorem dixit: *inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius; Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Currentibus ita rebus, iuste possumus coniiciendo recurrere, et deducere e sacris Literis: Congratulamini nobis cum electa Virgine, quae protecta et sustentata brachio divino sola declinavit venenum culpae paternae, seque insigni victoria nobilitavit.

Istud sit sculptum et profunde impressum fideli memoriae, quia dum adhuc in Theologorum scholis cum magno animorum aestu disputatur hic pro stabiliendo et confirmando, illic pro negando et reiiciendo privilegio Immaculatae Conceptionis *passivae;* non desunt Doctores, qui scripsere, duas esse et gravissimas difficultates, quae hominem impellant ad non protegendam sententiam affirmativam; quarum difficultatum prima desumitur e doctrina Pauli Apostoli ad Corinthios scribentis: *In Adamo omnes moriuntur;* secunda colligitur ex doctrinis Theologorum docentium, non esse inter filios Adae unum, qui nos debeat merito divini Redemtoris I. C. adscribere gratiam, redemtionem, salutem. Iam videamus,

qualis consequentia promanet e difficultatibus nunc expressis? Si Paulus Apostolus faciendo generalem et amplissimam propositionem, iure affirmavit, venenum illud, quod culpa patrum diffunditur in omnes, quotquot sunt, filios, adeo esse lethiferum, ut omnes, ne uno excepto, subiaceant crudelissimae morti spirituali: quis erit adeo rudis in cognitione divinorum voluminum, Scripturarum Sacrarum, et tam parum exercitatus in disciplinis Theologicis, ut ignoret, quod memorata et aliae similes conclusiones in libris scripturalibus contentae secundum materialem sonum verborum considerandae sint universales, ac proinde aliquam admittant restrictionem? E. g. lex omnibus filiabus Evae imposita est, ut decorem virginalis integritatis amittant, dum marito ligatae consequuntur maternam foecunditatem. Et tamen, non obstante hac lege, Magna Dei Mater in se ipsa speciosissimum exhibet exceptionis exemplar, quia in ea conciliatum est solatium Matris cum honore perpetuae virginitatis. Lex universalis est, quod nulla inter feminas maritatas debeat in tempore stabilito in lucem edere prolem sine sensu acerbissimorum dolorum: id quod secus evenit cum benedicta Virgine, quae in spelunca Bethlehemitica peperit suum unigenitum, non solum sine omni sensu angustiae, sed potius cum gaudio et iucunditate. Est lex universalis, quod omnes filii Adae serius aut tardius exempla praebeant humanae debilitatis, committendo aliquale peccatum etiamsi levissimum; id quod non accidit in Maria, quae conservata est semper purissima, et Domino accepta. Est lex universalis, quod quisquis hanc lucem contemplatus est, penitus debeat subiacere imperio mortis, legibus sepulchri, phasibus corruptionis; quod locum non habuit unquam in Matre divina, quae complendo solum triduum post suam mortem resuscitata est victrix e tumba, incepit vitam, nunquam finem habituram, cum anima et corpore sublata ad sedes beatorum inter plausus universi totius. Si memorata lex generalis Apostoli, verbis clarissimis praescribens, quod omnes filii ab Adam prognati inde a principio vitae suae subiaceant terribili morti, perdant gratiam, priventur privilegiis coelestibus, sicut omnes, nemine excepto nascuntur filii irae, filii poenae, filii flammis infernalibus digni, non potuit impe-

dimentum ponere, quominus B. V. specioso privilegio locupletata excipiatur a communi maledictione prout demonstravimus: nemo sane controvertet, felicissimum statum hunc adscribi unice unigenito filio Dei. Nam duae sunt species redemtionis Christi per Theologos memoratae; prima earum sita est in sublevatione eius, quod propter conditionem naturae humanae conciderat; alia in confirmatione et sustentatione illius, quod sibi ipsi relictum, nisi manus auxiliatoris succurreret, certe ruiturum erat. Tantum abest igitur, ut magna Dei Mater, eximio immaculati conceptus privilegio ditata, nihil debeat filio suo, ut affirmant minus vere aliqui doctores, qui in praeterito sententiam negativam sustinebant: ut potius, quidquid habet Maria, quidquid ipsa est, quidquid consecuta est, agnoscat id soli redemtori nostri generis deberi, qui illam constituit primogenitam inter creaturas, et gloriosum trophaeum completae reparationis, ita ut argumentum grati animi repetere possit verbis Davidicis: *Venite, audite et narrabo Vobis quanti estis, qui timetis Dominum, quanta bona fecerit animae meae.* Et Maria adeo privilegiata verbis Iudith merito exclamat: *Non, Dominus Deus non admisit, ut commaculer, quae sum ancilla eius.*

Sed quum in dicendo ultro progredior, et in silentio considero infinita prodigia, quae manus Excelsi operata est secundum varietatem et conditionem temporum, ad signandam miraculis veritatem privilegii Mariae collati immaculatae Conceptionis: adeo convincor in animo, ut nulla ratione dubitare valeam de realitate privilegii Mariani. Verum etenim est, quod omnia, quae superant vires naturae, adscribantur dexterae divinae, non ingenio, voluntati, viribus hominum; quodve evenire nequeat, ut D. O. M. auctor et fons veritatis, velit confirmare operatione miraculorum rem falsam, erroneam, reiiciendam; facilius apparet quod speciosum privilegium immaculati Conceptus, in gratiam cuius aeterno Deo placuit operari multa miracula, sit adeo certum, ut de veritate eius dubitare non liceat. Et effective, quod mare non noscit, quae remotissima terra ignorat opera vere mirabilia et inconsueta, quae omnipotens Deus operatus est inde ab anno 1830 in Civitate Parisiensi, stupente universo mundo, usus eotum ministerio virginis vitae probatissimae,

quae nomen suum silentio pressum voluit; adhibuitque hunc in finem exiguam imaginem ex auricalcho formatam, Conceptioni divinae Matris dicatam prout colligitur ex incisa inscriptione, oculis omnium exposita, portandam in collo; non solum restituit priori valetudini innumeros infirmos, coecos, claudos, languidos, debiles, febricitantes; sed etiam (quod plus omnibus valet) revocavit plurimos ad amplectendam et sequendam semitam salutis aeternae; plurimos, repeto, qui nunquam cognoverunt Iesum Christum aut per apostasiam dereliquerunt Religionem Catholicam? Rememoro haec in signum grati animi, ut venturis seculis constet, quantus sis debitor divinae gratiae, et Immaculatae Conceptioni Virginis, o Alphonse Ratisbonnè, qui mense Ianuario 1842 relicta superstitione iudaica, nomen tuum dedisti familiae catholicae, desiderasti salutares aquas fontis baptismalis, amplexus es Crucem Christi, et sic impraevise concepisti desiderium volendi, quod melius est, taliterque te praebuisti omnibus obiectum admirationis, stimuli, boni exempli. Quod cum ita sit, quis non spontanee confitebitur esse verum, certissimum, divinum illud privilegium, quo I. C. suam Matrem locupletavit, dum in eiusdem confirmationem talia et tanta facta sunt prodigia? Quis adeo rudis et veritatis inimicus, quo sibi persvadere possit, ut D. O. M. fons omnis sanctitatis, errorem et mendacium operatione innumerorum miraculorum protegat? Istud adeo repugnat catholicae fidei, ut nihil magis. Ergo privilegium immaculati conceptus (pro cuius demonstratione facta fuere prodigia) est certitudinis evidentissimae, eo modo, qui a nullo sanae mentis negari, aut in dubium vocari potest.

Enumeratis adusque fortissimis argumentis e fontibus Theologicis haustis, et servato in iis explicandis ordine paulo superius exposito, procedo ad consideranda testimonia, a sanctissimis et doctissimis Patribus, Doctoribus super hac materia suppeditata, et firmissimum fundamentum Apostolicarum Traditionum formantia. In pretiosissimis his divitiis, invenimus tanta, et tam varia et accuratissima lectione digna solatiosa testimonia, Immaculatam Conceptionem Nostrae Dominae illustrantia, ut merito verbis Pauli Apostoli dicere possimus: *tantam habemus testium nubem.* O bone Deus! Quis unquam

posset enumerare et secundum meritum commendare testimonia inde a secundo usque duodecimum seculum Ecclesiae per Patres et Doctores relicta, ad stabiliendam et confirmandam immaculatam Conceptionem, qua e singulari privilegio gratia ornata fuit magna Virgo Mater Dei inde a primo instanti sui conceptus? Primarius, vere insignis dux, rex et quasi antesignanus huius cohortis habetur graecus *Origenes,* qui de Maria scribendo, non dubitavit affirmare, *non fuisse maculatam unquam aliqua sorde peccati, nec contraxisse vel minimam infectionem per halitum venenati serpentis.* Huius vestigiis institit eloquentissimus *S. Ambrosius,* qui magnas res de laudibus excelsae Virginis dicere intendens, sequentia pronunciavit verba, memoria dignissima: *Virgo per beneficium gratiae, immunis ab omni macula peccati.* Uni et alteri se adiunxit *S. Epiphanius,* seculo Ecclesiae quinto florens, qui in suis scriptis hanc ditissimam haereditatem nobis reliquit: *Excepto solo Deo, Maria fuit superior omnibus. Ex ipsa natura est pulchrior ipsis Cherubim et Seraphim, totoque exercitu Angelorum: illa est ovicula immaculata, quae parturiit verum Angelum I. C.*

Quamvis autem producta testimonia sint vere egregia, et specialiter idonea ad confirmandum in Virgine immaculatae Conceptionis privilegium, res tamen a Doctorum maximo *S. Hieronymo* conscriptae tali me replent admiratione, ut non solum intellectum sentiam ad sublimes cogitationes elevandum, sed etiam animum meum repentino laetitiae sensu commovendum. Reipsa, dum Hieronymus supra laudatus se accingebat explicandis illis propheticis vocibus: *Et conduxit eos in nube diei,* concludit suum sermonem hac mirabili sententia: *Dominus venit in Aegyptum huius seculi, super levi nube* sive medio Virginis excelsae, et conduxit eos in nube diei. Egregie dixit diei, quia nubes ista *non fuit obvoluta tenebris, sed stetit semper in claritate lucis.* Ast, dum ego intendo evolvere doctissimos illos libros, queis *S. Augustinus,* fortis defensor catholicae veritatis, non solum iustissimis laudibus exaltavit immaculatam conceptionem Virginis; sed etiam scripsit de illa tanta cum soliditate, convenientia et sapientia, ut nomen suum immortalitati tradiderit, observo me devenisse eo, ubi

exultat et triumphat oratio. Quia ubi reperietur vel unicus, quamcunque propriae opinionis tenax, qui se non sentiat adactum ad deponenda arma, tenendumque silentium, postquam legerit sententiam tam famoso Theologo per omnia dignam: *Non est filius hominum nec fuit, nec erit, qui non fiat reus alicuius peccati. Excepta ab hoc ordine beatissima Virgine, de qua nolo fieri mentionem, dum agitur de peccato, ad vincendam omni ex parte culpam.* Praemissa hac S. Augustini doctrina non dubito affirmare, non exstitisse unquam, aut surrecturum in mundo, qui loquendo de Conceptione Dominae nostrae, magis adproximet ad inclytum gratiae Doctorem, quam fulgidum illud et decorum SS. Theologiae lumen, *Thomas ab Aquino,* quem honoris causa nomino, et quo audito, omnis finitur disputatio. En verba illius e capite 3 Commentarii sui super Epistola S. Pauli ad Galatas excerpta: *Non fuit inter omnes unica reperta mulier, quae ex integro exemta foret a peccato adminus originali, aut veniali. Si excipiatur magna Virgo Maria purissima, et supra omnem expressionem digna prolixis laudibus, quae absolute immunis fuit a peccato originali et veniali.* Considerent rite et omni cum accuratia hanc sententiam illi, qui erronee existimant Angelicum Doctorem sibi esse favorabilem, et defendant hanc causam: dum ex adverso manifestum est, maiori claritate quam sit radius solis meridianus, quod sententia Aquinatis, et totius illustris Ordinis Praedicatorum, quantum ad Conceptionem Virginis, nunquam fuerit alia, quam sit ea quam dicemus, imo semper fuit haec: *quod beata Virgo ne uno quidem instante subiecta fuerit irae Dei.* Nec potest silentio premi, quod super hoc obiecto scripserat *S. Anselmus,* dignum sane, quod diurna, nocturnaque manu versetur omnium, quotquot se adplicant Theologiae. *Conveniebat,* (sic loquitur pro memoria posterorum laudatus Pater,) *ut sit ornata tali puritate, qua post Deum non possit maior intelligi, illa Virgo benedicta, cui Deus Pater ordinavit dare filium suum unicum, quem toto suo corde generavit sibi aequalem, quemque ut se ipsum dilexit, sic ut naturaliter fuerit solus ipse, communis filius Dei Patris et Virginis immaculatae.* Utut autem maximum sint fundamentum et praesidium defendendae causae nostrae argumenta e fonti-

bus Theologicis, sententiisque SS. Patrum et Doctorum hausta, gravissimus tamen ubique, constans et perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tantopere illustrat, sustentat, ac elevat hoc Virginis privilegium, ut nulli liceat dubitare de immaculata Conceptione nostrae Dominae. Resonat adhuc, et semper resonabit in auribus Catholicorum illud Divini Magistri oraculum, quo nullum aliud reperietur excelsius, certius, ac illustrius. *Ite, docete omnes gentes, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculorum;* quibus verbis clare demonstravit, quod non possit cogitari disputatio, aut reperiri alter articulus fidei nostrae ad credendum propositus, in cuius definitione successor Petri et singularum Ecclesiarum Episcopi cum eo coniuncti strictissima communione, possint a veritate elongari. Quod quantopere verum sit, declaravit mirabili sua sapientia et eruditione S. Augustinus, pronuncians haec gravissima verba: *Quantum ad me, non crederem Evangelio, si me auctoritas Ecclesiae Catholicae non permoveret.* Quid potentius dici potest ad stabiliendam et confirmandam doctrinam Ecclesiasticam? Quapropter, utut plurimi aestimari debeant nomen, fama, excellentia singulorum Patrum et doctorum, ope quorum venerabiles Apostolicae traditiones pervenerunt usque ad nos, nihilominus auctoritas Ecclesiae, a divino Spiritu sustentata, merito praefertur omnibus aliis rebus, ea ratione, quam S. Thomas Aquinas, fidelis imitator et discipulus magni Augustini, dixit: *Consvetudo Ecclesiae summam habet auctoritatem, quae semper eam prae oculis habet, et pro norma in omnibus sumit. Propterea eam Ecclesia in maiori habet pretio, quam solius alicuius Doctoris, etiamsi esset immortalis Augustinus.* Teneant semper doctrinam hanc prae oculis illi, qui in fervore disputationum praeteritarum non metuerunt oppugnare privilegium immaculatae Conceptionis; ad ostendendum fors, quod velint facere sic, ad irridendum mundum respectu summi aestimii, quod duci ac magistro suae scholae tribuebant; quod taliter comprobarunt facta, iuxta quae aliter sensisset, et cogitasset super hoc puncto.

Quantum adtinet ad immaculatam Conceptionem Virginis, potestne quis adeo rudis, adeo in doctrina sacra

vacuus reperiri, qui non persvadeatur ex Apostolica Traditione derivari id, quod Ecclesia catholica affirmat, et praedicat de privilegiis magnae Matris Dei? Idque tanto magis, quod doctrinae huic competant omnes tres characteres, quos Vincentius Lirinensis in suo Commentario declaravit constanter reperiri in tractatibus ad institutionem christianam pertinentibus, qui characteres sunt sequentes: ut doctrina, de qua agitur, sit proposita *ubique, ab omnibus, sine ulla varietate.* Quia etsi Sedes Apostolica longissimo novemdecim seculorum tractu non iudicaverit maturum esse tempus, aut vicinum diem, quo solemni et peremtoria sententia definiatur, beatissimam Virginem Mariam tanta copia gratiae divinae ditatam, ut inde a primo instanti pretiosae suae vitae nunquam contraxerit maculam peccati, nec unquam subiecta fuerit irae sui Creatoris, eo tamen non obstante eam semper ut immaculatam praedicavit, et qua talem, ut ab omnibus teneatur, dicatur, commendetur, adprobavit: ut taliter tacitus hic Ecclesiae consensus circa hoc privilegium sumatur pro sententia affirmativa; non enim potuit unquam evenire, ut sanctissima familia I. C. aut in aliquo legitimo Concilio generali congregata, aut per totum mundum dispersa, a veritate elongetur, sive vocem levando loquatur, sive etiam e iusto motivo prudenter sileat. Illa erga est doctrina, quam nos circa immaculatum Mariae conceptum habemus, sibi ipsi semper conformis a primis seculis usque ad nostra tempora; hanc omni iure veneramur, adprobamus, admittimus velut a D. O. M. derivatam, non autem ut introductam ab arbitrio, aut opinione hominum. Sed quis sufficiet explicare pro merito, qua et quanta cum celeritate sit istud insigne Virginis privilegium adeo diffusum et propagatum a quatuor ventis, ut dici debeat generalis et communis doctrina christianorum; sive illi domicilium habeant in amplissimis civitatibus, castellis, oppidis, municipiis, aut habitent in squallidis insulis, et ob ipsam conditionem situs desertis, sub crepidine montium, aut plagis ardore solis calentibus, aut in cavernis, profundissimis recessibus, et frigore rigentibus? quid plus? inveniemus brevi post populos, omni ferme cultura, moribus, literis, artibus, scientiis, facultatibus, necessariis ad usum vitae subsidiis de-

stitutos, ac iis, quae gentes in communitate sociali uniunt; qui tamen honorent privilegium Mariae, eo fidei et religionis obsequio, quo oportet. Si considerare placeret, quanti sint e variis socialibus classibus, qui magno animo et virtute laudabili defendunt decorem, et ornamentum virginale magnae Dei Matris, et propter defensam eiusdem nullis parcunt fatigiis, nec vigiliis, nec curis; pro certo erit tempus, quo inveniantur innumeri principes, homines literati, duces gloria militari clarissimi, imperatores rerum gerendarum gloria vere admirabiles, qui non audent rem novam, aut magnam aut insolitam praesuscipere, sine praemisso fausto rei auspicio, nimirum laudes concinendo, et invocando Virginem sine macula conceptam. Sed dum in memoriam revoco venerabilem Congressum Tridentinorum Patrum, in tantum me commotum sentio in animo, ut confiteri debeam, quod sanctissimi ac doctissimi Episcopi totius orbis catholici, occupati fuerint in defendendo ac ampliando, quantum per adiuncta temporum licuit, decoro immaculato Mariae. Quia etsi suadente prudentia non crediderint conveniens emittere desuper decretum, voluerunt tamen attentos reddere cunctos Salvatoris asseclas, *non esse eorum intentionem comprehendere decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Matrem Dei, sed quod circa istud observari debeant Constitutiones felicis memoriae Sixti IV Papae, sub poenis in iisdem Constitutionibus contentis, quas S. Synodus renovat.* Iam si doctrina, quae immaculatam Virginis Conceptionem propugnat, est una de illis, quae fuere propositae semper, ubique et ab omnibus, iuxta praemissa demonstrata, eotum tacitus, universalis, constans Ecclesiae catholicae consensus super hoc puncto, est a Deo ipso introductus, et non ab hominibus: adeo, ut qui eam reiicit, eoipso ostendit bellum se suscitare contra aeternum Deum omnis veritatis fontem, et non iam contra miseros Adae filios errori semper obnoxios. Et revera, potuitne Ecclesia catholica piam sententiam amplius protegere, ac protexerit? quo affectu, quo solatio devotus populus gregis christiani convertit aures ad audiendos laudatores, et defensores virginalis privilegii? ex adverso, cum resensu et scandalo audivit totum id, quod opponebatur singulari Mariae

exemtioni a quacunque macula. Vos, vos nunc adpello, o nobilissimi testes, Romani Pontifices, Sixtus IV. Pius, et Paulus V. Gregorius XV. Alexander VII. qui Apostolica manu conclusistis ora inimicorum Immaculatae Conceptionis, totique promovistis subsidia, quae conferre potuerunt ad decorem causae istius! Quanta animi promtitudine non assignasti Missam, et Officium proprium in honorem huius festi, o Paule V.! qua exultatione animi stabilivisti, o Clemens XI, ut quotannis redeat sacer et solemnis toti gregi catholico, ab operibus servilibus exemtus memorabilis ille dies, quo concepta fuit Maria! qua laetitia admisisti, o XVI Gregori, et Tu etiam, Sanctissime Pie, ut a cunctis Sacerdotibus in Dioecesibus hoc privilegio locupletatis habitantibus in actu celebrationis augusti sacrificii licite dici possit: *et te in immaculata Conceptione BVM?* Quae res vix audita fuit, et mox in memoriam revocata fuit omnium, verissima doctrina Aquinatis Doctoris, quae merito dicit: *Ecclesia celebrat Conceptionem beatae Virginis Mariae. Sed festum non celebratur, nisi pro aliquo sancto; ergo B. V. in sua Conceptione fuit vere sancta.* Et reipsa possetne evenire unquam, ut solemnes et immortales gratiarum actiones reddantur Largitori omnium bonorum D. O. M. in publico congressu Christianorum pro Conceptione Matris Dei, si certe manifestum foret, Eam fuisse contaminatam macula peccati inde a primo instanti vitae suae? Et quis audivit unquam, ut Ecclesia catholica ab Eo instituta, qui est sanctissimus felici conditione divinae suae naturae, et qui suis sequacibus et discipulis dedit doctrinam, mysteria, ritus, sacrificia tanto auctore digna, possit tolerare animo indifferenti, ut reddantur gratiae pro re, perpetuis lacrymis deploranda, et veneno culpae infecta, quae certe est peccatum? Quis non videt, quod si istud unquam evenisset, praeter communem expectationem, merito diceretur in sensu et verbis Apostoli Pauli in II ad Corinthios: *quae pars iustitiae cum iniquitate, aut quae participatio lucis ad tenebras? quae communicatio Christi cum daemonio?* Vix legi cum maiori attentione id, quod scripsit tanta cum soliditate et claritate, ante annos sexaginta, sanctissimus ac doctissimus Episcopus *Alphonsus a Ligorio,* egregius defensor immaculati Conceptus Mariae,

et una dum meditatus fuissem super eo quod scripsit temporibus nostris doctissimus et eminentissimus Cardinalis *Lambruschini,* et celeber Theologus Societatis Iesu *Ioannes Perrone,* amplexus sum piam sententiam tanto cum affectu, qui nullatenus me potuit retrahere ab ea defendenda, et confirmanda; persvasus enim fui, quod speciosum istud privilegium sit probatum invictis argumentis derivatis e fontibus Theologicis, ita ut non remaneat ulli dubio locus; quod defendatur, laudetur, celebretur perpetuis elogiis per omnia secula a Patribus et Doctoribus Ecclesiae; quod demum sit firmatum tacito, firmo, constanti Ecclesiae consensu: ut adeo sola exterior definitio, quae a Pio Maximo expectatur, ad complementum dignae huius causae deesse videatur.

Quapropter, o Summe Pie! (quia intendo Tecum qua cum praesente loqui, et venerari in Te Moderatorem et supremum Principem totius christianae reipublicae, Tutorem et Patrem gregis dominici) universus mundus catholicus ab illo die, quo Apostolicum Pontificale Solium inter universales adplausus conscendisti, istud a Te expectat, istud sibi promittit a Te, ut pro pietate, prudentia, doctrina, qua distinctus es, addas hoc ornamentum et decorem magnae Dei Matri, ac ritu solemni in sacrosancta Vaticana Basilica proferas sententiam a tam longo tempore expectatam: **Immaculatam Conceptionem Matris Dei** dignissimae relatam esse inter veritates revelatas, credendam firmissimo mentis et cordis assensu; Te oro, Tibi supplico, Te obtestor, ut sublata tandem omni dubitatione, et amota quacunque procrastinatione pronuncies tandem Apostolicum Oraculum, Deo carissimum, Virgini gloriosum, et plus, quam verbis dici possit, Ecclesiae emolumento futurum. Quis scit, (admitte, o veneratissime Pater, ut, quod animo sentio, libere exponam) *quis scit, annon Tu ad regnum pervenisti propterea, quia a Coelo sis destinatus ad pronunciandum suo tempore super hac causa.* Tu a Te ipso facile vides, qua fera et horribili procella agitetur amplissima familia Christi et S. Sedes Apostolica: et ductore Tua propria experientia absque umbra obscuritatis cognosce: quorsum processerit furor impiorum, qui contemta divina Religione, *consurgunt adversus Dominum et adversus*

Christum eius. Quodve falsi nominis philosophia exinaniverit et spoliaverit vineam Domini Dei exercituum, confidentem in fortitudine brachii sui! Sume igitur animos, sanctissime Pater! depone omnem timorem, rumpe molestam dilationem, exspecta coeleste patrocinium; certum enim est magnam Dei Matrem materno affectu rediligere eos, qui aestuant amore in Illam. Cinge Caput Virginis pretiosissima Corona prae gemmis rutilante, a multis retro seculis praeparata, et confide, quod e pietate Tua sis reportaturus fructum abundantissimum. Praescribe cuivis Episcoporum Ecclesiarum particularium, ut impendantur honori magnae Virginis toto cordis affectu, venerentur illam, reddantque advocatam apud Deum: ut cum S. Patre et Doctore Bernardo veraciter dici possit: *Quaeramus gratiam, quaeramus illam medio Mariae, quia illa invenit quod quaerit, nec possunt vota eius manere effectu vacua.* Sunt hae, Sanctissime Pater, res, quas Tarvisina Ecclesia mea sentit circa Immaculatam Conceptionem Virginis; et quas ego post Apostolicum Mandatum retuli in scriptum, obsequuturus supremae Tuae voluntati. Et quia scio, me peccaturum in emolumentum publicum, si longo sermone distinerem, o Pontifex Maxime, Tuas tantas tamque graves occupationes, terminabo hanc meam disputationem verbis laudati Bernardi, ad rem nostram apposite dictis: Quod dixi, sit dictum sine praeiudicio eius, qui me plus scit, et specialiter sine praeiudicio auctoritatis Ecclesiae Romanae, cuius cognitioni et examini submitto totum meum tractatum, sicut etiam omnes alias res huius generis: paratus corrigere, emendare secundum indigitationem et correctionem S. Sedis Apostolicae. Tarvisii, 27 Sept. 1849. *Sebastianus Soldati.*

1052. **Eppus Patavinus.** Sancta Sedes Pontificia! Die 19 Iunii a. c. percepi Encyclicas Suae Sanctitatis Pii IX datas Caietae 2 Februarii p. p. Non intermisi respectivas Circulares diffundere ad universum Clerum secularem et regularem vastae huius Dioeceseos. Cum summa complacentia percepi responsa Capituli mei Cathedralis, omnium Vicariorum foraneorum in simul 32 cum suis parochis, Monasteri

Benedictinorum, Conventus Minorum Conventualium, et duorum Conventuum Capucinorum. *Unanimiter tenent immaculatam Conceptionem Mariae Virginis,* desiderantes Officium recenter a Summo Pontifice Clero Romano admissum. *Mihi videtur inutile fore repetere, quod diversi Theologi docte et vere iam publicarunt et scripserunt. Adiungo saltem vivum meum desiderium una et Cleri mei, quod ut sapienter tenet oecumenicum Concilium Tridentinum, sive unanimi consensu totius Ecclesiae, sive generaliter fuerit stabilitum dogma, Breviario adiungatur Dispositio Pontificia, Clero Romano concessa.* Patavii, 2 Decembris 1849. *Modestus.*

1053. **Eppus Clodiensis.** — Libenti animo humiliter respondeo: *Clerum hunc populumque fidelem iampridem imm. V. conceptionem summa veneratione prosecutos esse, nihilque dulcius illis accidere posse, quam ut eiusmodi res ab Apost. Sede decernatur. Quod et ego semper in votis habui,* ideoque impetrata apostolica facultate et in Litaniis Lauretanis ‚Reginam sine labe originali conceptam' per totam Civitatem et Dioecesim invocandam iam publice indixi, et in Praefatione Missae de B. V. Conceptione vocem ‚Immaculatam' palam publiceque enunciandam et addendam curavi. — *Quapropter vehementissime aveo, ut ab Ap. Sede tandem aliquando solemni iudicio decernatur, SS. Deigenitricem imm. V. Mariam absque labe originali fuisse conceptam.* Sit hoc semper ad maiorem Omnipotentis Dei gloriam, ad augendum cultum erga dilectissimam Matrem D. N. I. C. quae cunctas haereses interimit in universo mundo; sit perennis memoria grati animi nostri pro potentissimo suo patrocinio omnibus temporibus nobis praestito, sed praesertim in maximis calamitatibus, in tristissimis ac luctuosis vicissitudinibus ac procellis, inter quas arescentibus hominibus prae timore Petri navicula vehementissime iactatur. Sit denique instar votivae tabulae, quam omnes Christifideles ab imminenti naufragio prodigiosissime liberati ad pedes BMV. Immaculatae in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis devotissime apponant. — Clodiae, 4 Oct. 1849. *Iacobus.*

1054. **Eppus Cenetensis.** Literae Sanct. Vestrae pro B. Mariae immac. Conceptione, quas exeunte Iulio summa animi submissione accepi, magna affecerunt laetitia cor meum. Id enim omne, quod in laudem et gloriam Beatissimae Virginis cedit, in bonum etiam christianae Religionis redundat; cum ipsa sit, quae nobis attulit Salvatorem. — Post fusas in singulis paroeciis publicas ad Deum preces, *omnes uno ore expostulamus, ut quod hucusque de tanto mysterio pie creditur, firmiter inposterum per dogmaticam definitionem Sanct. Vestrae ab omnibus Christifidelibus teneatur.* Enimvero praeter cetera, quae a Patribus, a Conciliis, a Summis Pontificibus, a Theologis, aliisque celeberrimis viris, inter quos honoris causa viventem nominare iuvat Emin. Card. Aloysium Lambruschini, sapienter luculenterque iam dicta fuerunt, *unum illud sufficit, quod Maria Virgo gratia plena salutata sit ab Angelo. Ergo nulla ei defuit gratia, nec illa quidem, quae eam a peccato originali praeservavit. Ita cuncti credimus, ita sentimus, et maxima animi reverentia Sanct. Vestrae votum Ecclesiae Cenetensis submittimus.* — Cenetae, VI Kal. Nov. 1849. *Manfredus I. Baptista.*

1055. **Eppus Sibenicensis.** Acceptis literis, quas Sanct. Vestra dederat Caietae die 2 Febr. c. a. omnibus Catholicis Eppis, quaeque mihi maximum gaudium attulerunt ob peculiarem meam devotionem erga Beatissimam Deigenitricem, opus impositum libentissime aggressus sum, ac iuxta mandatum Sanct. Vestrae — publicas triduanas preces indixi, quibus a summo ac sapientissimo luminum Patre in re tanti momenti luce coelesti perfunderer, ac fidelis populi sensus exciperem, quos Beatitudini Vestrae praesentibus hisce literis notos facere possem. *Una est desuper omnium sacerdotum fideliumque mens, omniumque flagrans desiderium, ut per auctoritatem ac indefectibilem istius S. Sedis sententiam veluti Ecclesiae Cath. doctrina definiatur, BVMariae conceptum immaculatum fuisse atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* Et cumprimum exoptatus hic titulus BVirgini

per infallibile S. Sedis iudicium adscribetur, omnium ingens erit laetitia, quippe omnes huius dioecesis fideles SS. ac misericordem istam omnium Matrem filiali ac tenerrimo cultu prosequuntur. Quod meam humillimam personam attinet, *tota cordis exultatione* profundissimoque obsequio ad pedes Sanct. Vestrae provolutus, *ad maiorem Dei et Virginis gloriam assero profiteorque BV. Deigenitricis immac. Conceptionem;* decuit enim Matrem Dei, Reginam Angelorum, et Sanctorum purissime concipi. — Sibenici, 27 Nov. 1849. *Ioannes Berchich.*

1056. **Card. Patriarcha Venetus.** Cum diuturna, ut notum est, ac dira obsidione Venetiarum urbs premeretur, atque intus timores et foris pugnae per multos menses quaquaversus debaccharentur, fieri non potuit, ut Apost. Literas, quarum initium ‚Ubi primum' — iuxta mentem Sanct. Vestrae exequendas susciperem. Cum vero sublatis impedimentis, quibus a toto, ut ita dicam, terrarum orbe disiungebamur, nobis datum est divina favente misericordia e tot tantisque angustiis ad liberiorem statum redire, nihil mihi potius fuit, quam ut huiusmodi omnibus Ecclesiae Cath. Eppis impositum munus obeundum curarem. Quid enim nobis sanctius aut iucundius esse posset, quam augustissimis supremi Pastoris ac Patris nostri iussis obtemperare in ea potissimum re, quae ad maiorem BVMariae conciliandam venerationem proponitur? Quare edita Kal. Decembris pastorali epistola, — et factis frequenti populi concursu in omnibus — Ecclesiis publicis, precibus, expectavi, dum Canonici Metropolitani, Capitula, Seminarii Professores, omnes Parochi, et Regularium Ordinum Superiores ad me, ut iussi erant, referrent, quid hac in re ex generali animorum dispositione colligere potuissent. Nemo unus inventus est, qui non firmissime assereret, se omnino perspexisse (quantum ex iis quae apparent coniici potest), *unum esse cum Clericis tum laicis votum, ut immaculatus BVM. conceptus inter catholicas veritates infallibili S. Sedis Ap. oraculo recenseatur, ac solemni tandem iudicio declaretur, eandem BVirginem in ipso primo suae*

conceptionis momento ab omni prorsus originalis peccati labe immunem fuisse. Hoc vero esse generale huius populi votum ipse ego iampridem compertum exploratumque habui ex certis quibusdam indiciis, quae nullum dubitationi locum relinquunt. Perspicuum enim est cuilibet hanc Urbem perambulanti, singularem erga Deiparam devotionem adeo hic antiquam esse, ut eam uno eodemque tempore cum ipsa Urbe initium habuisse manifestissime pateat. Nam vetustissima, quae passim occurrunt atque adhuc extant, delubra, altaria, simulacra, aliaque idgenus monumenta Virgini Matri dicata satis abunde testantur, illius cultum apud priores Venetos inter praecipua religionis officia continenter viguisse. Testantur item historiae et lapides inscripti, qui tamquam seculorum voces clamant, pene dixerim, de templorum parietibus, universam civitatem semper consvevisse in privatis ac publicis necessitatibus praesentem ab eadem Virgine opem implorare, eiusque praesertim patrocinio accepta referre quotquot a Deo O. M. beneficia obtinerent. Haec vero pietas, et fiducia erga principalem Venetiarum Patronam ac Dominam tamquam pretiosa a maioribus tradita haereditas ad haec usque tempora in tanta morum ac rerum mutatione incolumis perseverat et religiose servatur. Cuius rei argumento est mira plurimorum hominum alacritas in visitandis ornandisque Ecclesiis ei nuncupatis, in observandis peculiari studio eius diebus festis, in piis ad eius honorem societatibus instituendis, sive augmentandis, et in erigendis aut amplificandis oratoriis, in quibus praesertim iuvenilis aetas ad eius maxime obsequium et amorem magis magisque informetur. *Quodsi tanta etiam nunc pietate ac veneratione populus Venetus praeeunte Clero SS. Deigenitricem prosequitur, nemini dubium esse potest, quin ipse vehementissime optet, ut singulare eiusdem Virginis Matris privilegium, de quo sermo est, quodque a plerisque pro certissimo semper habitum fuit, pontificio tandem decreto solemniter definiatur.* Atque id universim exoptari vel ex eo luculentissime innotuit, quod cum annuente rec. mem. Gregorio XVI licuit in sacra liturgia huius gloriosissimi tituli mentionem facere, nova quaedam laetitia piorum animos pervasit, et *cum ad aram BMV. cantantur Litaniae Lauretanae, illud*

prae ceteris elogium, quo illa asseritur sine labe originali concepta, pleniore ab universa multitudine atque elatiore voce repeti solet. Quae cum ita se habeant, quid causae esse potest, cur ego tot venerabilium Epporum, qui me praccesserunt, minimus et ultimus, eorum sententiae adhaerere, eorumque exemplum sequi detrectem? *Tantum profecto abest, ut hac in re ab istis dissentiam, ut, quamvis eorum nullus me sententia sua praevertisset, ego tamen minime dubitarem humillimas Sanctitati Vestrae preces porrigere, ut suprema qua pollet auctoritate inter catholicae Ecclesiae doctrinas immaculatum B V. conceptum ponendum esse decerneret.* Ad hoc vero me impelleret intimus animi mei sensus, cum nullam unquam honoris accessionem nimiam esse putaverim, in ea Virginum Regina exornanda, quae adeo supergressa est universa, ut nec primam similem visa sit nec habere sequentem. Tum me vehementer moverent gravissimae tot doctorum hominum commentationes, qui et praeteritis et nostris etiam temporibus tam validis argumentis tantaque eruditionis copia sententiam, quam sequimur, propugnarunt, ut nullo modo eidem iam nunc repugnari posse videatur. Denique me maxime urgerent miserrima, in quae incidimus tempora. Nam quandocunque furenti aliqua tempestate Petri Navis solito acrius iactaretur, ille, qui eius clavo gubernando divinitus praefectus est, nullum alibi certius ac validius praesidium quaerendum arbitratus est, quam in patrocinio Deiparae, quae iure merito stella maris appellatur, in qua scilicet stat omnis spes vitae et salutis, et cui uni datum est cunctas haereses interimere in universo mundo. Hinc nova eidem delubra aedificata, novi honorificentiae tituli adiuncti, novi dies festi, Pontifice ipso aut iubente aut certe quidem assentiente, adsignati fuerunt. Quis autem neget ea esse nunc tempora, quae gravissima non solum Ecclesiae verum etiam universae societati detrimenta iam intulerunt et multo adhuc graviora minantur? Quid vero opus est me singula enumerare, quae perditissimi quidam homines nescio quo diabolico aestu abrepti in Religionis aeque ac publicae rei perniciem, atque adeo absolutam, si fieri posset, eversionem sine intermissione moliuntur? cum Sanct. Vestra ea omnia non minus copiosa quam moerenti oratione descripserit, et

quasi oculis legentium subiecerit in ea praesertim epistola encyclica, quae incipit: ‚Nostis' ad AEppos et Eppos Italiae nuper missa sub auspiciis ipsius BV. immaculate conceptae. *Haec acerbissima temporum rerumque nostrarum conditio me potissimum cupere et postulare iubet, ut dogmaticum de immac. V. conceptu decretum proferatur.* Haud enim exigua me spes recreat, atque erigit, fore, ut eadem gratiarum Mater, tot tantisque ex toto terrarum orbe concordibus votis consalutata, atque exorata sub titulo nulli inposterum controversiae obnoxio, qui eam unicam ex adamitica stirpe prorsus eximit a communi, quo ceteri omnes interierunt, peccati naufragio, uberiora quam antea divinae nobis clementiae munera obtineat; ut scilicet exterminatis ab Italia nostra impiorum dogmatum monstris, penitus devictis ac profligatis Religionis hostibus, sublatisque de medio omnibus bellorum, dissidiorumque causis, quibus paucis praesertim abhinc annis miserrime angimur ac torquemur, veritas tandem divinorum eloquiorum caste integreque explicata omnium mentibus affulgeat, suum redeat Religioni, Religionisque ministris antiquum decus et praesidium, desinat gens contra gentem consurgere, atque omnes populi firmissima inter se pace inita se mutuo diligant, agnoscantque se esse vere fratres, eodem patre genitos, eodem pretio redemtos, eandemque ad patriam vocatos. Quod vero tamquam cumulus beneficiorum maxime expetendum est, ille dies iamdiu bonorum omnium votis expetitus, dies ille faustissimus, nisi mea me fallit spes, illucescet, quo Roma, quo Italia, quo quidquid catholicorum hominum in mundo est, gratuletur tandem, et iustissima gestiat laetitia de Sanct. Vestrae reditu ad Vaticanas aedes, quae nimis diu suo viduatae ornamento, et nequissimis dominis dominatae vel ipso parietum situ et squallore dolorem suum testari videntur, et nihil magis optare, quam ut augusta desideratissimi Principis praesentia iterum decorentur. Id quoque muneris utique sperandum est cito nobis obventurum, Virgine ipsa exorante, quae honores, qualesdemumcunque sint, sibi redditos amplissimis semper beneficiis rependit, et firmissimum, ut est, Ecclesiae columen nunquam passa est eam diutius, quam par fuerit, ab inimicis vexari. Decretum igitur, quo immaculatus illius Conceptus de

fide credendus statuatur, quodque iamdudum efflagitat atque expectat per omnem terram diffusa christianorum hominum universitas, hoc etiam praeter cetera bonum afferet, et novum apud posteros Pontificatui Vestro argumentum laudis adiiciet. Quare *Patriarcha et Clerus populusque Venetiarum universus non secus ac omnes Catholicae Ecclesiae filii ubicunque dissiti ac dispersi, in genua provoluti ante Sanct. Vestram, una cum benedictione Apostolica exoptatissimum, de quo supra, decretum humillime implorant.* — Venetiis, IV Kal. Febr. 1850. *Iacobus Card. Monico.*

1057. **Eppus Brixiensis.** De BVMariae illibata Conceptione decreto fidei definienda quid sentirem, prolaturus, ad orationis praesidium potissimum confugiendum duxi, ne quid temere assererem, sed in re tanti momenti eius lumine, qui Pater est luminum, indicarem. Agitur enim de Dei Matris honore illi adeo accepto, ut ab eo Ecclesiae incolumitatem seiunctam esse numquam voluerit; sed agitur simul de illo fidei deposito, quod ne pietatis quidem specie prodi aut temerari sine impietate potest. *Multa* igitur *argumenta eaque gravissima, quibus viri docti traditionem de immac. V. Conceptione confirmant, attentius consideranti, ita mihi in Domino statuendum est visum, ut nunc statuo, et coram Beatitudine tua declaro: de B. V. Mariae imm. conceptione divinitus revelata ita constare, ut ad eam dogmatice definiendam tuto procedi possit.* Sane si tot tantisque privilegiis, quibus BV. Mariam a Deo cumulatam fuisse fide tenemus, haec quoque praeclarissima addatur gloria, et fidelium omnium erga Patronam et Matrem dulcissimam devotionem mire auctum iri, et Beatitudini tuae Ecclesiaeque universae in tot, quibus premitur, angustiis solamen et praesidium additum iri firmissime teneo. Si quidem fel. rec. Clemens XI festum BV. immaculatae solemni decreto Ecclesiae universae indixit, quia super choros Angelorum exaltata pro populo Christi sedula exoratrix apud eum, quem genuit, assidue intercedit in coelis potentissimam opem in tot tantisque, quibus premitur Chri-

stiana Respublica et Catholica Ecclesia, necessitatibus. — Brixiae, X Kal. Febr. 1851. *Hieronymus.*

1058. **AEppus Iadrensis.** Ab incunabulis hunc honorem Virgini Matri deferendum accepi, ut eam immaculatam, sine labe conceptam singulis diebus pluries salutarem, eoque animo affectus adolevi ac maturui, ut fides mea in tantam Deiparae gloriam nullo unquam dubio laboraverit, quinimo ita in dies invaluerit, ut mortem potius oppetiturus, quam de ea vel minimum remissurus forem. Hanc mihi fidem insinuant tot ex S. Literis rationabiliter depromta argumenta, tot tantaque Ecclesiae Patrum ac Doctorum, Scriptorumque eccles. praeconia, tanta diligentia ab Ecclesiae Praesulibus iamdiu collata ad obtinendam dogmaticam Imm. Conc. definitionem, tantus Summorum Pontificum huic Deiparae honori favor studiumque confessionis illius propagandae, innumera denique ab Ecclesia adhibita media ad fideles in hanc pietatem inducendos, ut SS. Matrem sine labe conceptam agnoscerent, ac salutarent, adeo ut omnino dicere liceat, *Ecclesiam ipsam infallibilem talem imm. Conc. Deiparae cultum populis svasisse, ut confitendae Conceptionis immaculatae sensum totus mundus acceperit.* Non dubito porro asserere, gregi curae meae commisso haud aliam a mea esse mentem. *Clerus* enim *non modo nullum unquam mihi praebuit indicium dubitationis de glorioso hocce Virginis Mariae privilegio, verum etiam specimina nec modica nec pauca dedit persvasionis perquam firmae, fervidaeque erga illud devotionis.* Equidem summo cum gaudio audivi saepenumero tum e templorum suggestibus praedicantes, tum ex cathedra Theologiae in Seminario hoc centrali profitentes, SS. Deigenitricem sine labe conceptam fuisse; complures cognovi et sacerdotes, et inferiorum ordinum clericos, avide arripientes de Immaculata Conceptione tractatus, eos vel maxime, quos Emin. S. R. E. Card. *Lambruschini*, et clarissimus ac piissimus Pater *Perrone* edidere; comperi plures zelo eximio urgeri ad ingerendam, propagandam, fovendamque erga tantum Mariae decus devotionem

tum precibus novemdialibus, tum cultui cordis immaculati Mariae iam longe lateque mirum in modum diffuso adscriptione, tum numismatibus, quae vulgo ,Medaglie miracolose, nuncupantur, aliisque Virginis sine labe conceptae imaginibus, tum SS. Indulgentiarum huic pietati concessarum pagellis. Quibus dulcissimae pietatis argumentis hoc addidit Clerus meus, quod datam sibi a Beatitudine Vestra veniam persolvendi peculiares canonicas horas de SS. V. Conceptione recentissime compositas, laetissimo gratissimoque animo excepit, eisque incunctanter usus est. *Fidelium vero laicorum utriusque sexus talem erga BVM. sine labe conceptam comperi esse devotionem, ut dicere non dubitem eos hoc Deiparae privilegium haud secus ac definita doctrinae catholicae dogmata credere.* Quae quidem fides a maioribus accepta, uti constat ex altaribus perantiquis Virgini sine labe conceptae pluribus in locis dicatis, atque ex precationibus quas ab atavis legatas domibus fuisse glorianter audire est, proximis superioribus annis ex Cleri zelo magna accepit incrementa. — Quae cum ita sint, *nil certe mihi et Clero meo ac reliquo gregi optatius, quam ut pietati nostrae erga SS. Deigenitricem sine labe conceptam ea confirmatio per os Vestrum tamquam per os Petri addatur, quam ex omnibus orbis partibus a Cathedra veritatis expostulari audimus. Quapropter ego quoque, B. Pater, meo totiusque gregis mei nomine humillime peto, ut Beatitudo Vestra solemni iudicio decernere velit, Virginis Mariae conceptum immaculatum omnino fuisse atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* O quam vehementi voto diem expecto, qua coelum terrarumque orbis nova exultatione *Stellam* illam fulgentius radiantem salutent, qua ex *Horto illo concluso,* ex illo *Paradiso divinae voluptatis* intercessione singulari, votis ardentissimis pientissimis efflagitent, extrahant, educant bona omnia in Caput veneratissimum, dulcissimum, nostris prospiciens malis, nostris obsistens hostibus, nostrae incolumitati, nostrisque consulens gaudiis, in Patrem, Magistrum, ac Pastorem primarium Ecclesiae Christi, tantam festivitatem coelo terraeque indicturum! Aget, aget, B. Pater, Virgo illa, quae meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit, atque antiqui serpentis caput virtutis

pede contrivit, quaeque cunctas haereses semper interemit in universo mundo, in qua omnem fiduciae Vestrae rationem collocatis, aget, inquam, ut populus Christianus a calamitatibus, quibus premitur, eripiatur, ut tot perfidorum atque impiorum hominum artes, machinationes, insidiaeque horrendae destruantur, ut turbulentissimae malorum procellae, quae in Ecclesiam suscitantur, compescantur et dissipentur, ut dolor animi Vestri svavissimi et amantissimi, quo totus condolet orbis, in gaudium convertatur. — Iaderae in Dalmatia, die Dedic. Bas. SS. App. Petri et Pauli 1851. *Iosephus.*

1059. **Eppus Mantuanus.** Quidam Sacerdos qualificatus et zelosus huius Civitatis existimavit edendas esse typo aliquas paginas, in queis colligerentur subscriptiones eo fine, ut Sanctitati Vestrae innotescat *desiderium Cleri, ut quo ocyus definiatur qua dogma fidei Immaculata Conceptio Virginis Mariae,* et propagentur in iis Dioeceseos locis, in quibus aliquam habebat notitiam, quas mihi etiam obtulit subscriptas nominibus Nro 173 meorum Presbyterorum Dioecesanorum. Quamvis numerus hic arithmetice sumtus saltem unam tertiam Cleri mei repraesentet, rem tamen examinando, solatium habui comperiendi: 1-o Comprehendi ibi totam partem cultiorem et significantem id est, integrum Capitulum, corpus Professorum Theologiae, et totius Cleri Urbani. 2-o Quod, ubicunque casualiter exhibita fuit pagella, Clerus unanimiter subscripserit, unde sequitur spontanea conclusio, quod si provocatio per totam Dioecesin circulasset, universus Clerus meus uno labio enunciasset devotum istud votum. Si magnam sentio consolationem videndo Clerum meum unanimem in desiderio, quod meum quoque intimum est, in deponendo ad Pedes Sanctitatis Vestrae hoc testimonio me solatur cogitatio, quod hac ratione honorificam praestare possim de pietate mei Cleri testificationem, taliterque Paterno Sanctitatis Vestrae animo solatium afferre, cui devotio erga Virginem, et specialiter pro singulari hoc privilegio, est balsamum et vita. *Precor, ut*

ocyus illucescat dies, quo Oraculum Apostolicum signet novam hanc gloriae aeram pro Benedicta inter mulieres, et ut a felice hoc die incipiant bona illa per eos expectata, qui a sapientia spiritus confortati profundius penetrant res divinas. — Mantuae, 26 Iunii 1853. *Ioannes.*

1060. **Eppus Bergomensis.** Quum nuper ad regendam non exiguam Dominici gregis partem fuerim assumtus, et in grave proinde discrimen adductus, ad BVMariam, quae omnium patrona ac mater est, quamque in omnibus vitae meae angustiis ac necessitatibus praesentem habui, confugiendum mihi eiusque tutelam prae ceteris expetendam existimavi. Quod neque aptius neque melius hisce temporibus assequi posse videbar, quam *privilegium illud omni studio defendendo ac tuendo, quod perfecta sanctimonia commendat, quod gratiarum plenitudo reposcit, quod plenissimus de inferno triumphus exigit, quodque integerrimae ac supremae virginitati congruit, divinamque maternitatem maxime decet;* privilegium, inquam, illud praecelsum atque praeclarum, quo BVMaria ab omni labe etiam originali praedicatur immunis. Et quidem S. Tridentina Synodo expresse declarante, non esse suae intentionis, ubi agitur de peccato originali, comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem, Romani Pontifices saepe saepius in suis Constitutionibus immac. V. conceptionem summo studio amplissimisque declarationibus prosecuti sunt, eandemque veritatem uno ore catholicae scholae propugnarunt, Ecclesiae Praesules docuerunt, Divini Verbi praecones praedicaverunt, plebs cuncta christiana venerata est. Quibus omnibus accedit, quod famula Dei B. Birgitta accepit in suis Revelationibus, a Romanis Pontificibus saepius commendatis: ‚Veritas est, quod ego fui concepta sine peccato originali.‘ Sed tantam habentibus impositam nubem testium studia et vota nostra quid conferunt? quorsum haec epistola pertinet? Utique, B. Pater, et a nobis et pro nobis debebatur hoc officium BVirgini, a qua tot et tanta accepimus beneficia et maiora inposterum expectamus; debebatur huic

dioecesi, cui immerens nimis praelatus fui, quaeque non minima est, sive obsequium et reverentiam erga Cathedram D. Petri aspicias, sive cultum et devotionem in BV. imm. conceptionem; — debebatur et tibi, B. Pater, cui devotio et cultus in Deiparam sine labe originali conceptam spes, amor et decus est, quique maiori solemnitate, unanimi scilicet suffragio universorum per orbem Epporum, ad declarandam et statuendam uti fidei dogma tantam et hisce temporibus tam opportunam tamque providam veritatem animum convertebas. Accipe igitur et a me necnon ab universo clero ac populo meae curae commisso non tam suffragium quam officium pietatis et devotionis tum BVMariae, tum etiam tibi maxime debitum: et quoniam, ut ait ipsamet Virgo Beata eidem famulae suae dilectae Birgittae, ‚placuit Deo quod amici sui pie dubitarent de Conceptione mea, et quilibet ostenderet zelum suum donec veritas claresceret tempore praeórdinato': utinam advenerit plenitudo temporis! Non dubito enim, quin dogma Immac. Conceptionis solemniter declaratum peridoneum et perutile in praesentiarum sit ad comprimendos haereticorum conatus, ad profligandas perditorum hominum insidias, ad evellenda malarum doctrinarum semina, ad excitandam statuendamque catholicam fidem. Quod ut quam citissime fiat, prout sapientiae tuae visum fuerit, ad maiorem gloriam Omnipotentis Dei, in honorem Deiparae, in splendorem et amplitudinem Ecclesiae militantis, etiam atque etiam rogo D. N. I. C. et una cum Clero et populo meo numquam rogare cessabo. — Bergomi XVII Kal. Iun. 1854. *Petrus Aloysius.*

1061. **Archieppus et Gen. Abbas Mechitaristarum Viennensium.** 1. Ad sublimem et altam ideam, quam habemus, et habere debemus de Ente supremo, seu Deo, naturaliter pertinet indispensabilis obligatio eidem attribuendi omnem, quo maiorem perfectionem, quae non sit obnoxia contradictioni, *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Veritate hac non minus certa est illa, quod pro summa idea, quam habemus, et habere debemus de supernatu-

rali Incarnatione Verbi divini, naturali consequentia simus obligati, attribuendi ei omnem perfectionem quae eidem convenire potest et non continet contradictiones, uti in specie fuit prolata per Angelum Gabrielem sententia: *Quia non erit impossibile* etc. Hinc *dubitandi locus non est, quod sit magna perfectio Sanctissimae Incarnationis Verbi divini: nativitas Iesu Christi in ventre Virginis sine labe originali conceptae,* et haec eidem convenire potest, nec ullam in se effective continet contradictionem. Hinc naturali consequentia, et fors dici posset aliqua ratione, propter exigentiam fidei, recognoscere et profiteri debemus, *Verbum caro factum in utero B. V. Mariae sine labe originali conceptae.* **Maior,** quantum ad primam partem est evidentissima, et est, ita dicendo plus quam de fide, donec opposita propositio contineret in se contradictionem, posteaquam Deus est Ens summum, supremum, purissimum et perfectissimum, et nulla ei deest perfectio, et idcirco eam debemus nominare articulum fidei expressum et explicitum in omnibus paginis Scripturae S. et Traditione, seu in vera et pura idea Entis supremi, Dei, ut specialiter fides docet. In respectu secundae partis, ea similiter videtur esse indubitatus fidei articulus expressus, dici potest, explicitus in S. Scriptura et Traditione. Sic et una et altera exaltat eminentissimo modo omnia opera Dei etiam exteriora; et tamen inter ista omnia, opus Incarnationis Verbi divini secundum S. fidem nostram est sublimissimum omniaque Dei opera post decretum Redemtionis sunt disposita ad Sacrosanctum Mysterium Sanctissimae Incarnationis, sicut omnia Scripturae S. Veteris Foederis folia directa sunt ad annunciandum *Venturum,* ea autem Novi Foederis de iam *praesente Messia,* id significant omnes exclamationes Prophetarum et Apostolorum: *Aspicite in gentibus et videte: admiramini et obstupescite; quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur. O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei* etc. *Deus potest abundantius omnia facere quam petimus aut intelligimus.* Et sic in mille aliis locis veteris et novi Testamenti. Adiungatur huic principium aut sententia S. Augustini, ab omnibus Doctoribus et Theologis acceptata: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tamquam*

bonorum omnium conditorem; et si regula haec servire debet pro omnibus Dei factis, quanto magis de Sanctissima Incarnatione Iesu Christi, *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Itaque et haec pars maioris dici potest explicite revelata in S. Scriptura et Traditione. **Minor** etiam videtur explicite revelata esse in sacris oraculis. In peccato originali conceptum esse etiam minimo instanti est magna imperfectio per S. Oraculum declarata: *Ecce enim in iniquitate conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea;* ergo conceptum esse in iustitia originali, seu sine peccato est maxima perfectio pro B. V. M. etiam iuxta S. Oraculum. Mater haec partem efficit S. Incarnationis etiam secundum oraculum divinum: ergo Conceptio B. V. M. sine labe originali influit ad completam perfectionem Verbi Divini. An non ad literam pertinent ad SS. hanc Matrem praedictae laudes et encomia sufficienter celebrata in Canticis Canticorum, prout ea illi adaptant multi Patres et Doctores Ecclesiae, et in specie illud: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genitricis suae: viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt .... progreditur tamquam aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata;* conforme minacibus praedictionibus Patris Creatoris aeterni ad serpentem: *ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius.* Quomodo autem posset vocari perfecta, imo perfectissima, et electa et beatissima, si vel uno momento fuisset contaminata peccato, specialiter, cum in rebus spiritualibus non fit, nec potest admitti magna distinctio inter longum et breve tempus, prout in rebus materialibus?

2. In Conceptione et nativitate Verbi incarnati praesentantur nobis tres res admirabiles, et supernaturales, 1-mo Conceptio hominis Dei in utero Virginis sine minima humana cooperatione. 2. Conceptio propria ut dicitur passiva huius Virginis, absque omni naevo peccati originalis. 3. Nativitas ipsius hominis Dei ex utero eiusdem Virginis sine minima laesione materialis etiam Virginitatis. Prima est vere incomprehensibilis, quia supra omnes naturae leges, in signum quod etiam B. V. M. de extraordinaria praesentia Angeli

Gabrielis non potuerit persuaderi, nisi responso eiusdem roborato omnipotentia Dei et exemplo Elisabethae, seu a *minori ad maius*. — Secunda esset res extraordinaria attento praesente statu humani generis post lapsum Adami; sed accidentaliter solum, cum naturae nativitatis humanae sit indifferens, an mater concepta sit sine peccato originali; et revera si primi parentes continuassent permanere in iustitia originali, omnes homines nati fuissent ex matribus sine peccato originali conceptis, ast non ex matribus sine cooperatione patris. Tertia est res adhuc summe admirabilis, et si non primae aequalis, superior tamen sine dubio secunda, et ideo non minus extraordinaria ac ista, considerando praesertim, quod stricte loquendo nonintegritas materialis virginitatis, non intulisset ullum formalem dishonorem Verbo incarnato, et de Virgine nato. Est autem articulus fidei explicite revelatus in Scriptura S. quod Verbum divinum fuerit conceptum in utero Virginis Mariae sine patre, quamvis id totum sit supra essentialem ordinem naturae humanae; est pariter articulus fidei explicite revelatus in Traditione, et implicite in Scriptura S. non fuisse laesam Virginitatem Beatissimae Virginis divino suo partu, quamvis sit illud in oppositione cum naturali ordine nativitatis humanae, quamvis in narratione purificationis Mariae Virginis S. Lucas adferat textum veteris legis: *„Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur,“* e quo appareret, praefata verba sensum contrarium fundere. Quare ergo non esset articulus fidei adminus implicite revelatus in S. Scriptura et Traditione Conceptio eiusdem B. V. sine labe originali, cum tamen haec sit maioris considerationis respectu sublimitatis et sanctitatis incarnationis, quam conservatio materialis integritatis virginitatis M. V. quia defectus materialis integritatis est res mere physica, et nullam importat sive ignominiam, sive infamiam; defectus autem originalis iustitiae importat ignominiam et infamiam quod nempe fuerit etiamsi uno momento, serva et sclava inimici Dei. Si Pater aeternus tantopere zelosus fuit pro sanctificatione, et decore et sublimitate Incarnationis, quae in Beatissima sua Matre conservavit materialem integritatem, eo magis cogitari potest, quod eam praeservaverit ab illa for-

mali infamia et ignominia. Quid plus, Pater coelestis Mariam delegit in filiam, Unigenitus filius in Matrem, Spiritus S. in sponsam; posset itaque cogitari vel unico momento, quod Divinae Personae SS. Trinitatis patiantur, ut haec amabilissima filia, admirabilis Mater, Sanctissima Sponsa possit, imo debeat dicere: *„In iniquitatibus concepta sum, et in peccatis concepit me Mater mea?“* Praeterea ipsae eaedem SS. Personae naturali fere consequentia sublimium graduum, ad quos elevaverunt Virginem Mariam, eam constituerunt Reginam etiam Cherubim et Seraphim: possentne ergo admittere, ut nihilominus ultimus Angelorum gloriari possit, se in sua creatione et existentia puriores et liberiores ab omni lege esse, quam sua Regina, concepta etiamsi pro uno dumtaxat momento in peccato, sclava et serva illius Satanae, qui ligatus fuit ab uno suorum collegarum virtute illius Dei, qui dein admisit contrarium, ut Regina vincatur ab illo? Istud reipsa terribilem producit contradictionem auribus piis, et exhibet ideam, a qua omnis sana mens refugit.

3. Habemus praeterea explicite e Scripturis S. qualiter Ioannes Baptista, et sanctus propheta Ieremias purificati fuerint iam in utero Matris, et dotati gratia sanctificante. Ex adverso autem de B. V. M. nequidem implicite habemus e Scripturis S. talem declarationem, sed solum comparationem sublimis dignitatis suae cum dignitate prophetarum, deducitur, quod ipsa etiam sanctificata fuerit in utero Matris, et hac ratione implicite revelatum in S. Scriptura. Si saltem e comparatione cum prophetis instituta deduci debet sanctificatio, eotum ex alia parte nobis incumbit obligatio deducendi gradum sanctificationis ex obtutu dignitatis B. M. V. comparatae cum ea S. Ioannis et Ieremiae. Hi debuerant interpretes et praecones esse voluntatis, ordinum et mandatorum Dei; Ipsa debebat esse baiula in sancto suo utero Deihominis, et per consequens divinitatis ipsius per novem menses; quam specialis fuisset haec pro ipsa distinctio, pro summa sua dignitate, si prout illi, solummodo sanctificata fuisset in utero? Motivum, ob quod stricte dicendum est, quod iuxta comparationem cum dictis Sanctis institutam, et admi-

nus implicite in Scriptura S. declaratam, B. V. M. sit magis sanctificata, imo effective praeservata ab originali peccato, et per consequens *sine labe originali concepta.* Fortasse non esset extra seriem propositi rememorare syllogismum Divini Nostri Magistri: *„Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi: dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemat; quia dixit Filius Dei sum?* Si prophetae, qui annunciabant verbum Dei populo Israel, fuerunt sanctificati in utero Matrum, possetne credi, ut Maria, quae portare debebat in utero suo Deum ipsum, non fuisset effective praeservata ab ipsa eadem originali culpa? Et si sanctificatio dictorum Prophetarum est explicite revelata in sacris paginis, non potest, imo non debet a maiori affirmari, quod praeservatio B. V. adminus implicite sit manifestata in S. Scriptura?

4. Magnus praeparabatur conflictus contra Pharaonem, populum Israel in servitute tenentem. Res, quae cum triumpho huius superanda erat sub ductu Moysis. Istud totum praecessit prodigium rubi, qui ardebat, et non comburebatur. In hoc plures Doctores symbolum vident Immaculati Conceptus Mariae; et hac ratione Ipsa praecedebat magnum conflictum, quem filius suus, Homo-Deus debebat suscipere contra Satanam in Pharaone figuratum, victum, et penitus annihilatum sola virga Moysis, symbolo Crucis Iesu. Eidem ipsi Moysi praecepit Deus, ut erigeret sibi Altare holocausti dicendo: *Et aedificabis ibi Altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos ferrum non tetigit. — Et de saxis informibus, et impolitis, et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo.* Dubium non est holocaustum hoc fuisse figuram Iesu Christi, et si Dominus non admisit absolute, ut saxeum Altare, super quo figura illa aliquo momento iacere debebat, per ferrum attingatur, potuitne admittere, ut Maria, in cuius utero novem mensibus iacere debebat Homo-Deus, figuratum illud holocaustum, laesa fuisset a peccato originali etiamsi unico temporis momento? Id cogitare rationi repugnat. Alibi dixit Deus: „*Si enim levaveris cultrum super eo, polluetur.*“ Textus graecus Septuaginta Interpretum dicit: *Τὸ γὰρ ἐγχειρίδιον ἐου ἐπιβέβληκας ἐπ αὐτοὺς,*

καὶ μεμίανται, — quod textus armenus sic interpretatur: ... *Quia instrumentum manus tuae ad illud egisti, seu admovisti, et pollutum est.* Et si manus humana inficiebat altare figurae, qualiter admitteretur, ut infernalis inimicus etiamsi uno dumtaxat momento inficiat Virginem Matrem, cuius uterus tamquam altare homini Deo deservire debebat? Praeparabatur alter conflictus contra Madianitas, diabolum praefigurantes. Gedeon a Deo electus qua dux populi Israel. Hic praecedit miraculum novum. Gedeon extendit vellus super terram, et orat Dominum, ut cadat ros super illud solum, remanente omni circacircum terra sicca, et obtinuit. Orat secundo, ut ros cadat super omnem terram, manente sicco vellere, et hanc quoque gratiam obtinuit. Multi Doctores in vellere Mariam recognoscunt, quae sola est concepta gratia sanctificante repleta, dum interim universum genus humanum conceptum est in peccato originali. Novitus, tota humanitas infecta peccato originali, excepta Maria, quae concepta est *sine labe originali*. Sequitur dein celebris victoria contra praedictos Madianitas reportata confractione vasorum testaceorum, symbolo crucifixionis corporis humani Iesu, et mortificationis suorum sequacium.

5. Celeber porro passus est in Genesi, ubi Pater aeternus maledicendo serpenti, et manifestando generi humano mysterium incarnationis, priori illi minatur totalem ruinam his verbis: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Mulier haec secundum communem omnium Patrum et Doctorum Ecclesiae sensum significat Mariam, et dum Deus dicit, *ponam inimicitias,* iuxta stylum S. Scripturae ab omnibus Patribus et Interpretibus acceptatum, istud significare debet in gradu superlativo *semper pro semper,* nullo momento excluso, ergo a primo instanti passivae conceptionis Mariae incepit existere illa inimicitia inter ipsam et serpentem, seu diabolum. Si fuit inimicitia constans et perpetua, eotum non potuit admitti vel pro unico instanti triumphus serpentis super Virgine, praefigurata muliere Geneseos Maria, secus non fuissent cum tanta solemnitate minae intentatae diabolo per Patrem aeternum, quia sanctificatio

solummodo in utero a macula occasione conceptionis contracta, utut sit privilegium vix alicui Sanctorum ad nostram notitiam concessum, non est tamen tantae sublimitatis, qualem nobis planus sensus sacri textus innuere videtur; imo in respectu horum diabolus posset gloriari praesumendo, quod aliquo tempore etiamsi brevissimo eam habuerit secum consentientem, imo sibi subiugatam, id quod non posset componi cum eo *Ponam inimicitias,* absolute prolato ex ore divino. In respectu alterius partis eiusdem passus, id est: *ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius:* scitur per aliquos in codicibus hebraeis in vicem *Ipsà,* legi *Ipsum,* nempe *semen,* alii vero *Ipse* scilicet filius, prout etiam Codices Septuaginta Interpretum et Chaldaei; sed praeterquam quod codices latini, in specie Vulgata, habeant *Ipsa,* et sic legant non solum Patres latini Ambrosius, Augustinus, Gregorius etc. sed etiam inter graecos Chrysostomus, Eutherius etc. tribuantque explicationes firmas textui codicis hebraei etc. etiam ipse ordo passus memorati demonstrat, quod illud *ipsa,* vel *ipsum,* vel *ipse* debeat pertinere ad *mulierem,* quia dicitur *inter semen tuum* et *semen eius,* ubi tamen, si pronomen illud haberet significationem *semen eius,* dici deberet *caput seminis tui* et non *caput tuum;* redeundo itaque ad *te,* aut *tuum,* redit etiam *mulier* et dicitur, *ipsa.* Nos nihilominus argumentum nostrum plus super prima parte propositionis fundamus, nempe: inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, hoc est: inter daemonium, et Mariam, inter omnes infernales angelos et Iesum existet implacabilis inimicitia, quod nullo modo, nullo momento desinet: et sicut nulla fit distinctio inter inimicitiam mulieris, et seminis sui contra serpentem et semen eius, sic eam nec nos facere possumus. Inimicitia porro Iesu contra diabolum fuit a tempore sanctissimae suae conceptionis, sic etiam illa Mariae inde a sancta sua conceptione, quae idcirco potest et forte dici debet adminus implicite revelata in Sacris Libris.

6. Quantum ad Traditionem, celeberrimus P. Perrone in egregia sua dissertatione *de immaculato B. V. Mariae conceptu* sapientissime eam pertractat, demonstrando, quod adminus in respectu huius asseri deberet, implicite revelatam

esse sanctissimam immaculatam Conceptionem B. V. Mariae. Concedatur mihi libertas etiam faciendi aliquam super hoc puncto reflexionem. Maxima et forte dici potest unica oppositio, quam piissimus sensus de immaculata Conceptione expertus est, excitata fuit per contrariam opinionem *S. Thomae Aquinati* tributam, quam idcirco omnes rigorosi Thomistae, et fere totus Ordo Dominicanorum adoptandi obligationem crediderunt, eamque viribus omnibus sustentandi, propter quam tantae disputationes et conflictus publici et privati inter hos et PP. Franciscanos. Meo vili videre examinando bene et interne rem, posset, imo deberet contrarium asseri. Doctor Ecclesiae Angelicus adusque suos habuit interpretes et commentatores, sed inter hos omnes, adminus praetenditur, illi soli tetigerunt verum sensum scriptorum eius, qui non tam ad materialia verba, quam ad principia, et modum semet enunciandi S. Doctoris attentionem suam et scrutinium converterunt. Quod congruit etiam oraculo S. Pauli: *litera enim occidit, spiritus autem vivificat.* S. Doctor in quaestione *XXVII de Beatae Virginis Mariae sanctificatione,* ad primam quaestionem: *Utrum Beata Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero?* post exposita contraria argumenta, illud solidum principium stabilit, quod festum ab Ecclesia non instituatur nisi ob rem sanctam aut sacram: *Sed contra est, quod Ecclesia celebrat nativitatem Beatae Virginis: non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo Sancto: Ergo Beata Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta. Fuit ergo prius sanctificata;* aut *praeservata.* Videtur, quod argumentum hoc nullam admittat exceptionem; nam si tempore S. Doctoris Ecclesia instituisset festum Conceptionis B. V. M. eotum ille, sequendo suum proprium principium non potuisset non confirmare immaculatam Conceptionem B. V. M. Fors aliquis nobis opponet responsum eiusdem Sancti ad *tertium* articuli II ubi dicit: *Nec tamen per hoc, quod festum conceptionis (in aliquibus Ecclesiis) celebratur, datur intelligi, quod in sua conceptione fuerit sancta;* sed in hoc ipso responso dubium super dicta quaestione est solutum, dum subiungit: *Sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam conceptionis in die*

conceptionis ipsius; unde sequitur, quod si Ecclesia Romana instituisset celebrationem sanctae Conceptionis, ut de praesenti per universam Ecclesiam est, et non sanctificationis, ipse deposito dubio, asseruisset sanctitatem Conceptionis ita prout nativitatis ex eodem motivo. Obmovetur etiam, quod generalis haec institutio S. Romanae Ecclesiae facta sit seculo XV dum Ecclesia Orientalis effective separata fuit ab Ecclesia Romana. Et tamen unanimiter acceptavit hanc decisionem, et adhuc continuat celebrationem festi ipsius tamquam de praecepto. Etiam ex hac partiali circumstantia successisset S. Doctori uberius solvere dubium in favorem piissimae opinionis de immaculata Conceptione B. V. M. Tandem dicet fors aliquis: quae necessitas urget de praesenti decernere articulum fidei, postquam iam omnes agitationes disputationes et scandala cessaverunt? ego respondeo: aut cessarunt disputationes, aut non. Si posterius, quaestio concidit ex se; si primum, ergo assertio piae opinionis de praesenti est communis, non igitur patitur exceptionem, ergo facta est generalis opinio totius Ecclesiae, quae, e voluntate Iesu in doctrina tantae considerationis non cadit in errorem, ergo illi est explicite revelata si non in S. Scripturis certe in Traditione, et unanimi consensu Universalis Ecclesiae Iesu Christi, nec deest, quam auctoritativa declaratio Summi Pontificis feliciter regnantis *Pii IX* Vicarii Iesu Christi. *Ego vero in exilitate mea prostratus ad SS. Pedes Eiusdem imploro gratiam adnumerandi hoc meum, etsi exiguum scriptum votis, inter alia S. Sedi praesentatis, in unione cum minima mea Congregatione Suae Sanctitati supplicando, ne diutius differat expectatam declarationem, enunciando articulum fidei de Sanctissima Immaculata Conceptione B. V. Mariae,* cuius potenti protectione S. Ecclesia non solum, et mundus catholicus, sed totum genus humanum calamitosissimis his temporibus plus ac alias unquam indiget. Vindobonae, 8 Septembris. 1854. *Aristaces.*

1062. **Eppus Tarvisinus.** (priori, quem iam suo loco memoravimus, succedens.) Si spirituales indigentiae Dioce-

secos meae impediverunt, quominus in unione tantorum Seniorum occasione hac a toto mundo catholico ad Civitatem aeternam convenientium ad Sanctissimos Pedes vestros me prostravissem; non possum tamen non esse praesens in Venerando illo Conventu spiritu et desiderio, nec possum deesse, quominus ad Cathedram S. Petri fidelissimum meum homagium deponam, et illud huius Rmi Capituli, totiusque devotissimae Ecclesiae Tarvisinae. Sancte Pater! *Aperite Oraculum, loquimini, pronunciate grande Dogma. Civitas et Dioecesis mea expectant cum impatientia Vestrum determinium.* Ad scopum hunc ordinavi in Cathedrali Missionem decem dierum, qui incipient 28-a huius mensis ante festum sanctae Conceptionis, quem volumus anno hoc solemnisare modo extraordinario. Tota Civitas in eo capiet partem, cum civili Magistratu, qui etiam optant, ut prodeat a Vaticano magnum illud Decretum, ut sit publicum, solemnissimum festum. Praeterea in centum Parochiis forensibus distribui Missionarios, ut faciant sacra Exercitia, et omnes fideles recolligantur in continua exercitatione precum, et vitae emendatione. Circa finem proximi Decembris, quo finietur S. Iubilaeum, honorem habebo deponendi ad Pedes Vestros sanctissimos exactam deductionem bonorum spiritualium, quae hic faustissima circumstantia, e paterno corde Vestro toti christianitati concessa, peracta fuerunt. Acceptate, Beatissime Pater! pia nostra vota et gratiarum actionem, et effectuatione grandis eventus catholici, impertimini Benedictionem etc. — Tarvisii, 14 Novembris 1854. *Ioannes Ant. Farina.*

---

2. Pro defin. conditionata.

1063. **AEppus Mediolanensis cum suis Suffraganeis.** E literis Apostolicis de 2 Februarii anni currentis infrascripti intellexerunt desiderium Sanctitatis Vestrae, informationem deposcentis super eo: quali devotione sit animatus Clerus, populusque fidelis Dioecesis huius erga Immaculatam Conceptionem Virginis, et quo desiderio flagret, ut Sedes Apostolica

dogmaticum super hac materia decretum edat. Qua filii obedientissimi et servi Sanctitatis Vestrae respondent ad gratiosam provocationem. Tam a parte Cleri, quam fidelis populi curae suae commissi *infrascripti profitentur teneram et sinceram venerationem erga immaculatam conceptionem Virginis Mariae.* Ecclesiae, multa Altaria Immaculate Conceptae Mariae dicata, sodalitia utriusque sexus sub hoc glorioso titulo, novem dierum devotio festo, quod solemnisatur etiam panegyricis orationibus, praemitti solita, testimonium perhibent de dicta populi devotione. Clerus vero libenter eam colit, et auget verbo et exemplo. Pacifica haec possessio devotionis adeo irradicatae et diffusae est forte ratio, ob quam Clerus et populus noster non possunt aperte explicare desiderium pro adimpletione voti, cui in abundantia suae pietatis existimant satisfieri. *Interrogare* ergo *eos, et publicas eatenus preces indicere, excitaret perplexitatem et modicam inquietudinem. Tum propterea igitur, tum quia tempora sunt adhuc difficilia in tanta cogitandi libertate, infrascripti in tam delicato argumento se enunciare non ausi, se totaliter submittunt iudicio S. Sedis, cui est promissa specialis Spiritus Sancti assistentia.* Gropello prope Mediolanum, 24 Maii. 1849. — *Barthol. Carolus,* AEppus Mediolanensis. — *Carolus,* Ep. Bergomensis. — *Carolus,* Ep. Comensis. — *Iosephus,* Ep. Cremensis. — *Cajetanus,* Ep. Laudensis. — *Ioannes,* Ep. Mantuanus. — *Antonius Dragoni,* Vic. Capit. Cremonensis. — *Gaudini,* Vic. Cap. Ticinensis. — *Ferd. Luchi,* Vic. Cap. Brixiensis.

Adnectimus Extractum Protocolli Conferentiae Gropellensis super hoc obiecto a Praesulibus antedictis sub praesidio Metropolitae celebratae. — V. Cuncti Praelati recognoverunt argumentum hoc esse gravissimum in se, delicatissimum ob actuales circumstantias, et *concluserunt sic procedendum esse, ne res superflue prematur, sive per directam promotionem declarationis dogmaticae, sive per minimum dissensum.* Sumtis dein in considerationem tenoribus Encyclicae videbatur sufficere convenienti responso referre S. Patri 1. Quod sicut Metropolita, et omnes Suffraganei sincerissimo devotionis et gratitudinis sensu pro tantis favoribus, quos hodiedum repetunt a patrocinio SS. V.

M. ardeant; sic personaliter, abstrahendo a peculiariter mala spiritus temporis huius conditione, non possint declarationem ipsam nonnisi animo laeto excipere, et adhaesione perfectissima. 2. Quod respectivus illorum Clerus non intermittat specialiter fovere devotionem erga Immaculatam, cuius etiam festum celebratur, et a qua titulum gerunt nonnullae speciales consociationes, et sodalitia. 3. Quod populus devotionem suam erga Immaculatam manifestet eo modo, ut possit dici relativa pia fides constabilita. 4. Quodsi Episcopi pro nunc abstinuerunt ab ordinandis fideli populo publicis precibus cum explicita indicatione obiecti, in specialibus tamen precibus per Summum Pontificem intimatis non intermiserunt includere hoc quoque obiectum; etsi pro nunc opportunum censent adoptare aliquam circumspectionem, id fit, ne occasio suppeditetur periculosis quaestionibus novisque dubiis fors pro populi scandalo, et decremento devotionis ipsius erga Immaculatam.

1064. **Idem AEppus a sententia modificata recedens, absolutae decisioni suum adiicit suffragium, cum Eppo Laudensi.** Fausta ac felici iam appropinquante die, qua, ut confidere licet, absoluta etiam immunitas ab originis labe e singulari prorsus exceptione in ipsomet gloriosissimae Virginis Deigenitricis conceptu inter declarata fidei cath. dogmata enumeranda sit, dumque sanctissima hac de causa Romam ego quoque, immerens licet, accitus, iamque hac in alma considens Urbe novos quotidie cerno praeclarissimos undique Antistites ad Maximi Pastoris nutum omni animorum alacritate et studio huc convolantes, testimonium, quod iam scriptis emiserant, iterum ac solemnius prolaturos de unanimi Ecclesiarum suarum consensione in svavissimo hocce atque ineffabili mysterio profitendo; abstinere haud possum, quin exuberantem cordis mei laetitiam Sanctitati tuae patefaciam propter hoc ipsum, quod eiusmodi doctrina, tanta theologica certitudine pollens, tamdiu vigens, ac tam late per universam Ecclesiam disseminata, tot tantisque vetustae traditionis testimoniis suffulta, divinae sanctitati, sapientiae, bonitati tam mire conveniens,

pientissimae Matris nostrae Deique Genitricis honori ac decori prae omnibus favens, quamprimum ut veritas ab ipsomet Deo revelante Ecclesiae suae concredita, a te infallibili oraculo definienda videatur. Et sane quid carius, quid iucundius grato ac devoto filio accidere potest, quam ut celsissimae atque amantissimae Matris gloria in dies augeatur, omniumque in eam pietas ac reverentia foveatur et crescat? quid sibi optabilius, quam ut perfectiones et munera, quibus optimam parentem cumulatam a Deo profitetur, plenissima cunctis certitudine perspecta efficiantur? Sed enim dum haec animi mei sensa ad pedes tuos humillime colloco, B. Pater, ex hoc quoque uberiori gaudio perfundor, quod optime noverim, *mecum in iis plenissime convenire omnes et singulos Mediolanensis Provinciae Eppos, omnesque imo, ut ego ipse, ferventer optare, ut ad maiorem Dei gloriam, ad ampliorem SS. Deigenitricis honorem, ad uberius fidei pietatisque incrementum, totiusque Ecclesiae bonum Immaculata Mariae Conceptio de fide definiatur; omnes denique una mecum consentire in maxima etiam opportunitate definitionis huiusmodi conspicienda*, utpote quae salutares omnes recensitos effectus paritura merito videatur; ac praesertim cum ipsa gloriosissima Virgo, coelorum terrarum ac inferorum domina et regina, paucis abhinc annis miris admodum ac singularibus gratiae potestatisque portentis ad semetipsam hoc quoque honore augendam nos veluti alliciat. Id autem in praesentiarum eo consultius profitendum existimavi, quod circa postremam quaestionem, de definitionis nempe opportunitate, non ita forte mens nostra perspicue eluceat e *responsionibus ad encyclicam epistolam Beatitudinis tuae, quae omnium tunc temporis Epporum Mediolanensis Provinciae nomine signatae, e communi nostro conventu Grupelli habito die 24 Maii 1849 transmissae sunt*, quaeque in amplissima Sententiarum collectione Vol. I. p. 222 typis excusae prostant. Quocirca nec silentio praetereundum censeo, *paucis statim diebus post editas eiusmodi responsiones aliam epistolam ad Beat. tuam, nec meo tantum nomine, me misisse, qua omni dubietate prorsus discussa, tum meam tum aliorum quoque Comprovincialium Epporum propensionem ac studium pro ipsa immac. Conc. definitione apertius proponebam;* quam

epistolam cum aeque prelo expressam minime conspexerim, nescio quo fato deperditam vereor. Igitur si forte ea tempestate ex huiusmodi casu tibi, B. Pater, mens et consilium nostrum satis perspicue patere non potuit, hanc modo alteram declaratoriam epistolam benigne excipere digneris, qua nedum in Mediolanensi Provincia universa communem omnino rursus testor vigere fidem de immaculato BVM. conceptu, verum etiam Clerum populumque fidelem, ipsosque Sacrorum Antistites dogmaticam de hoc ipso definitionem pro ea, qua erga dilectissimam Matrem flagrant, pietate et studiosissime exoptare, et summo gaudio excepturos esse. — Romae, 8 Nov. 1854. — *Bartholomaeus Romilli.* (Subscripsit simul *Eppus Laudensis.)*

1065. **Eppus Tergestinus et Iustinopolitanus.** — Hoc argumentum (Encycl. 2. Febr.) certe gravissimi est momenti, ac si mihi officium tantum incubuisset, cultum BVM. iuxta vota Vestrae Sanctitatis ea pietate et cordis affectu promovendi, quibus Vestra Beatitudo nihil potius nihil antiquius habet, maiore celeritate ad literas praelaudatas respondissem, simul attestans, populum fidelem unitarum dioeceseon erga imm. V. M. conceptionem ea devotione animatum esse, ut omne dubium, quod super hac doctrina noviter moveretur, summam animorum perturbationem certe excitaret, ac quaestionibus theologicis inter ipsos laicos inutilem imo valde periculosam occasionem praeberet. Ea ex causa ego quidem ad mentem B. V. publicas preces indixi, — ast *expressam voti mentionem, ut solemni iudicio tandem aliquando decernatur, BVMariam absque labe originali fuisse conceptam, propter tuendam hac in re laudabilem ac sat firmam opinionem fidelis populi tacui, atque ad praecavendas disceptationes inter nonnullos ex ipso Clero, qui non vi propriae persvasionis, sed magis ex obedientia de contraria sententia silentium tenent, huius argumenti pertractationem palam exprimere non sum ausus.* Quod ad me attinet, *aperte confiteor, summopere desiderandum esse, ut intentio SS. Conc. Tridentini Sess. 4 secundum quam B. et Imm. V. Maria in decreto de peccato original*

non fuit comprehensa, clarius exponatur, atque doctrina catholica de immaculata eiusdem Virginis conceptione verbis non ambiguis definiatur; perpensis tamen praemissis considerationibus consilium multorum confratrum sequi vellem, qui in praesentibus rerum et temporum circumstantiis directam definitionem differendam, et tacitam solummodo exoptandam esse ducunt, qua decerneretur sanctitas ecclesiastici ritus, cuius fit usus in colendo BMV. conceptu, prout nunc obtinet. Dum vero hac in causa, sicut in omni alia Ecclesiae doctrina aut definitione iudicium Apost. Sedis qua unicam docendi et agendi normam me amplexurum ac semper veneraturum esse spondeo, etc. — Tergesti, 13 Iul. 1849. *Bartholomaeus Legat.*

---

3. *Contra decisionem.*

1066. **AEppus Goritiensis.** Acceptis Sanct. Vestrae literis 2 Febr. Caietae datis, profundas humillimasque preces ad Omnipotentem Deum fundere, ac intercessionem BVMariae implorare me accinxi, cum sincera, uti opinor, animi mei humiliatione instantissime rogans, ut Spiritus S. luce veritatis purissima, cuius ipse fons et largitor benignissimus est, praesto mihi esse dignetur, quo in re gravissima, de qua Sanct. Vestrae literae superius indicatae agunt, et ab Eppis responsa expetunt, apte ad rem, ad maiorem Dei gloriam et ad BV. honorem respondere mihi datum sit. Quibus precibus peractis iisque continuatis animo limpido ac submisso coram Deo ad rem respondeo, ut sequitur. *Agricolarum et aliarum classium inferiorum populus BVMariam devotissime colit,* ac Sanctuaria ipsi dicata, quae in dioecesi reperiuntur, copiosus frequentat; *verum ut pia fides de immaculata eiusdem Beatissimae Conceptione in dogma catholicum, in articulum fidei convertatur, non exoptat;* nec minimum talis decisionis desiderium, quantum mihi et aliis Eppis vicinis innotuit, in populo manifestatur. Quod personas superiorum classium, quae *cultiores* appellari solent, attinet, devotionem ac cultum in BVMariam conservant quidem adhucdum, etiamsi non eo

fervore et numero, qui in agricolarum et infimorum opificum classe observatur; verum *elevationem pientissimae sententiae de imm. Conc. M. V. ad ordinem dogmatum cath. vel sanctae fidei articulorum non solum non exoptant, imo potius,* saltem quoad maiorem praedictarum classium partem, *sensus directe contrarios fovent.* Fratres *Minores S. Francisci,* qui Observantes vocantur, in Conventu Castagnavirae BVMariam devotissimo cultu prosequuntur, et officium habent proprium de imm. conceptione; verumtamen *ut pientissima fides de immac. conc. in articulum fidei transformetur, nullum unquam manifestarunt desiderium, imo potius,* etiamsi disciplinae regularis sint probe observantes, *timent talis decisionis effectus quoad heterodoxos et quoad catholicos tepidos,* quorum numerus hodie est immensus. *Idem de Clero seculari,* qui, paucis exceptis, pius et sacerdotalis disciplinae studiosus est, *proferendum mihi est.* Denique si ad *Germaniae universae statum* et ad *Provinciarum Austriacarum* in specie *conditionem,* qualis in praesens est, attente sicuti oportet reflectatur, *propositio de decidenda quaestione scholastica circa immac. BMV. conceptionem eo sensu, ut pia fides in articulum fidei et dogma catholicum transformetur,* in facie vel potius ex adverso *Protestantium,* maxime vero ex adverso asseclarum illius sectae, quae *germano-catholicorum* appellari praesumit et in dies magis magisque dilatari incredibili conatu nititur, necnon in conspectu tantae copiae *catholicorum langvidorum,* qui tum in Germania, tum in Italia nomen quidem praeseferunt christianorum catholicorum, reapse vero vel omnem fidem in Deum abiecerunt, vel absoluto Religionis indifferentismo se dediderunt, *in actuali libertatis politicae statu uti res plena periculi mihi comparet.* Nam praeterlapsis iam annis percipiebantur, et usque audiuntur Protestantium et Catholicorum indifferentium assertiones: ‚Romam iugum intolerabile fidelibus imponere dogmata nova cudendo, et ex flosculis oratoriis unius alteriusve Patris articulos fidei formando praecipiendoque, ut ab omnibus firma fide teneatur adinstar dogmatis, quod pauca ante secula imo fere decennia in dubium vocare licitum ac assertores contrariae sententiae condemnare prohibitum a Summis Pontificibus erat.‘ Quid rebus sic stantibus, si pien-

tissima fides (vel pia opinio, uti in Catechismis hucusque legitur) de immaculata BMV. Conceptione reapse uti dogma fidei sanctae declaretur, eventurum esset? num fidei augmentum? num Ecclesiae Cath. conditio felicior? num rerum Romanarum restauratio ob hoc speranda? Ego, quantum mihi videre a Deo datum est, recte contraria valde timeo et contremisco. Res est, repetere oportet, plena periculi. — Quum aliquot ante annos Gregorio XVI regnante eadem quaestio Eppis proponeretur, ex terris longe hinc distantibus Epporum catholicorum literae ad me pervenerunt, in quibus auctores mirabundi exclamaverunt: numquid Roma novos fidei articulos condere intendit? an hodie effectum magis expedientem attendere liceat? Dubito quam maxime. — *Itaque his in rebus, quantum mihi videre est,* eo tendendum, ac omni quo fieri potest maiori conatu Deo iuvante enitendum est Vobis una cum Patribus Soc. Iesu, ut fides catholica eo sensu, quo in Concilio Tridentino egregie declarata et stabilita fuit, in dies magis magisque Deo donante firmetur, et altiores in fidelium cordibus radices figat, atque operibus bonis florescat, ut secundum Apostolum fidem habeamus per caritatem operantem in vitam aeternam; *a novis* autem *articulis fidei condendis in praesens saltem prorsus abstinendum, ac proin quaestio de imm. BMV. Conceptione in eo statu relinquenda, in quo Ecclesia Catholica usque eam servabat.* Reperitur in Europa adhucpum numerus sufficiens Catholicorum; verum proh dolor! fortassis potior eorum pars articulos fidei ad salutem necessarios necessitate medii ex animo non credit. Quid iuvat stabilire BVMariam sine labe fuisse conceptam, quum non credatur Iesum Christum esse Filium Dei? Haec sunt, quae maturo examine instituto coram Deo in re gravissima, de qua agitur, Sanct. Vestrae exponenda esse duxi, et omni qua par est animi submissione ac reverentia expono. — Viennae, 12 Maii 1849. *Franciscus Xav. Luschin.*

1067. **Card. AEppus Salisburgensis.** — Laetor omnino testari me posse, *hyperduliae cultum, quo S. Mater Ecclesia*

BV. Deigenitricem iustissime prosequitur, etiam in Clero meo et grege curis meis pastoralibus commisso plenum vigoris esse, atque in plurimorum animis explicite in mirificam illam praerogativam ferri, qua SS. Virginis Conceptio a labe originali divinitus exemta piissime creditur. Pia haec fides cum iam nusquam in controversiam vocetur, imo pace omnium cuilibet pro modulo suo praefato cultui indulgere liceat, *in sapientissima Conc. Tridentini constitutione hac super re edita omnes facile acquiescunt, ita, ut novum Ap. Sedis decretum hac in re quemquam desiderare haud noverim.* Et profecto historia teste tunc inprimis Ecclesiam decisione peremtoria intervenisse constat, ubi praepostera hominum studia fidem divinitus traditam aut in dubium vocare, aut sinistra interpretatione corrumpere tentaverunt, quod neutrum in casu prostante obtinere compertum est. Accidit, quod plurimorum animis insideat sententia, tantam non adesse Apostolicae Traditionis auctoritatem, ut decreto divinitus certo stabiliri possit immaculata BV. Conceptio. Quare oppido verendum esse arbitror, ne, dum olim apostolicis decretis in rebus fidei emissis gravissimae saepe ac diuturnae controversiae sopitae fuerunt, S. Sedis declaratio hac vice dubiis potius atque discordiis, circa illam quaestionem iam altum silentibus aut plane ignotis, recentem materiam subministret, atque Ecclesiae hostes ad obtrectandum semper parati inde ansam arripiant, eam, quasi nova absque divinae traditionis suffragio concederet dogmata, impie calumniandi. *Iussus itaque a Sanct. tua mentem meam hac de re candide edisserere, spectatis temporum adiunctis a me impetrare non possum, ut consilium, piam illam fidem adinstar dogmatis catholici declarandi, opportunum et augendo cultui illius vere patrocinari existimem. In tanto potius, qui viget, animorum aestu, religioni ac pietati satis inimico, eiusmodi publicam solemnemque declarationem arbitror rem esse plenam periculi,* quod ne ultro provocetur, tot tantaeque aliae necessitates, quibus hodie conflictatur Ecclesia, svadere videntur; eo magis quidem, quod pio cultui BV. sine macula conceptae ex commendatione Ecclesiae iam nihil deesse dignoscatur, imo omnia, quae desiderare pietas possit, quam liberalissime impertita, atque novo etiam indulto apostolico copia

nobis praesulibus facta sit, universo Clero dioecesano easdem SS. Virginis Conceptione canonicas horas, quibus nunc Romanus utitur Clerus, persolvendas concedendi. Gratiosissime indulgeat Sanct. tua, quod in re ardua omnino et aleae plena mentem meam omni ingenuitate elocutus sim: verum etiam persvasissimum habere dignetur, me, dum vixero, in omnibus et singulis iudicio et auctoritati SS. R. C. Ecclesiae quam devotissime obsecuturum, eiusque decreta ea qua par est filiali reverentia et obedientia amplexurum esse. — Viennae, 20 Iun. 1849. *Frid. Card. Schwarzenberg.*

1068. **Eppus Adriensis**. Paucis abhinc diebus perhumanissimas literas tuas datas Caietae sub die 2 elapsi Februarii qua decet reverentia animique obsequio accepi, easque sedulo reverenterque semel ac iterum perlegi. Iucundum sane mihi est, Te inter tot aerumnas constitutum, tui ipsius veluti oblitum, intenta piaque mente sectari et prosequi, quae ad maiorem Dei gloriam, BMV. honorem, et fidelium aedificationem magis inservire videntur. Digna sane Summi Pontificis, vicem Christi in terris gerentis, sollicitudo! potentissimam scilicet Deiparam Virginem novis in dies praeconiis cohonestari, ut ipsa propitia Ecclesiam Dei destructis adversitatibus et erroribus universis reddat securam. Quapropter gratissimum fore existimo omnibus Eppis, quos una tecum Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, si tandem solemni iudicio constitutum fuerit, BVirginem singulari quodam divinae gratiae privilegio immunem prorsus evasisse ab omni labe originalis peccati. Sed quoniam valde periculosum est, in Ecclesia Dei novas invehere veritates, quae neque in Scripturis, neque in traditione Patrum inveniuntur (ut in praesente casu res se habet) idcirco sapientissimo consilio decrevisti, SS. Pater, ut omnes fideles, qui sub uno eodemque Capite veram Christi Ecclesiam constituunt, et quidem per Spiritus S. gratiam infallibilitate donatam, ad Deum Patrem luminum, a quo cuncta bona procedunt, et in quo omne datum optimum et donum perfectum invenire licet, supplices precationes fundant, ut in

re tanti momenti det tibi recte sapere et intelligere ad decernendum, an de fide necne sit illa his nostris temporibus pene universalis sententia, qua creditur, BVirginem, etsi in utero matris naturaliter procreatam, in eius conceptione tamen haud contraxisse Adamici peccati iacturam. — Si autem quaeris, SS. Pater, quid Clerus quidve populus istius Dioecesis sentiat de immaculato conceptu BMV. ne unus fortasse invenitur in tot millibus hominum, qui contrariam teneat sententiam; quinimo si quis de BV. imm. Conceptione vel minimum dubium movere praesumeret, sin haereticus, tamquam blasphemus ab omnibus haberetur. Quae cum ita sint, sine, Pater Sancte, ut ea, quae alte corde retineo, ore libere proferam, sapientissimisque tuis consiliis omni cum humilitate subiiciam. — Nedum haeretici sed et pseudo-catholici viri insitis manibus convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius, scilicet adversus Christi Ecclesiam, quam quibus insidiis appetant, angustiis perstringant, contumeliis proscindant, nemo est qui non videat doleatque quam maxime; quorum iniquitas omnem explevit mensuram, cum te persecuti fuerint gratis, teque in tantam constituerint calamitatem, eo quod infensissimos hostes huius S. Sedis amplissimis beneficiis paterna prorsus largitate replevisti. Tanta cum sit temporum nostrorum improbitas, *timeo vehementer, ne huiusmodi de BMV. imm. conceptu noviter propositum mysterium occasionem praebeat excitandi perantiquas haereticorum calumnias,* perditorumque hominum blasphemias, Romanam Ecclesiam semper consvevisse nova in dies condere mysteria et sacramenta ad fallendos fideles sibique favendum. Quamobrem vereor, ne, quod tu, SS. Pater, pie religioseque meditaris ad maiorem Dei gloriam promovendam, ad ampliorem BMV. honorem excitandum, ad fidelium aedificationem augendam, pro temporum nostrorum improbitate contraria potius oriri possint incommoda. Scio equidem, contra hanc Petram a Christo fundatam haud posse praevalere portas inferas: *cavendum* tamen *est, ne occasionem praebeamus inimicis nostris, eam novis armis perstringi, quod futurum perhorresco, si Ecclesia post tot secula novum exhibeat fidelibus ad credendum mysterium, de quo nullum invenimus in Scripturis, vel SS.*

Patribus certum testimonium, si excipiantur allegoriae quamplurimae, quae de aeterna Dei Sapientia dicuntur. Haec sane pertimescenda ex parte haereticorum ceterorumque inimicorum huius S. Sedis, quorum iniquitas quantum valeat, tu prae ceteris, B. Pater, flens dico, experiris! *Sed quid de fidelibus quamplurimis,* qui saeviente mundo stabiles in fide pro summo Dei munere perseverant? *Timeo, ne et ipsi scandalum patiantur potius quam aedificentur!* Etenim fides de imm. Conc. BMV. sic alte insidet in cordibus eorum, ut de eius veritate nequidem suspicari sibi permittant. Ubinam suspicionis locus? Omnibus in Ecclesiis festum Conceptionis BMV. inter solemniores anni festivitates celebratur. Undique sacra Sodalitia in eius honorem eriguntur. De ea Eppi in suis homiliis, Parochi in Catechesibus, Oratores in concionibus sermonem continuo tenent. Quid, cum noverint per novum huius S. Sedis decretum fuisse per tot secula incertum, quod ipsi pro certo habebant et tamquam certum ubique praedicabatur? Si in hac re decepti fuimus (dicent) fortasse et circa alia fidei mysteria fallimur et decipimur, vel saltem de eorumdem veritate sibi dubitare permittent. His omnibus prospectis postquam tibi, B. Pater, *profiteor fidem meam de imm. Conc. BMV. attamen ad evitanda scandala, quae recensui, satis esse arbitrarer, si de tui mandato omnes Ecclesiae per orbem terrarum dispersae amplecterentur novum de BMV. Conceptione Officium Romae editum, et in Praefatione adderetur* ‚Et te in imm. Conceptione.' Ceterum quod definitum fuerit ab hac S. Ap. Sede, reverenter recipiam, viriliterque defendam contra quoscunque, qui temere ausi fuerint aut de hac re quaestiones movere, aut novis his armis auctoritatem Ecclesiae labefactare tentaverint. — Rhodigii, 1 Iul. 1849. *Bernardus Antoninus.*

1069. **Eppi Bohemiae.** Infra humillime scripti R. Bohemiae Eppi, Sanct. Vestrae fidelissimi in Christo filii, Apostolicis Eiusdem literis datis Caietae die 2 Febr. a. c. dulcissimo perfundebamur gaudio. Pro illo enim sincerrimae pietatis affectu, quo unusquisque nostrum clementissimam

orbis catholici Matrem amplectitur, Sanctitas Vestra vix amoenius nobis largiri poterat donum, quam pretiosissimas has literas, quibus ipsamet animi nostri erga BVirginem sensa svavissimis exprimuntur verbis. Pari cum Sanct. Vestra ducti persvasione, Patrem misericordiarum per manus immaculatae Filii sui Genitricis suas generi humano dispensare gratias, in calamitosis his temporibus preces nostras ad piissimam hanc Advocatam nostram multiplicabamus et catholicum eius cultum assidue promovebamus, ut fideles nostri a laqueo satanae erepti una voce omnes testentur: dulcissimam nostram Matrem vere esse Auxilium Christianorum. Eadem aeque cum Sanct. Vestra pleni fide, BVirginem absque omni culpae originalis labe conceptam esse, fidei huic publicum praebuimus testimonium datis ad Sanct. Vestrae praedecessorem piissimae memoriae PP. Gregorium XVI precibus, ut nobis vocem ‚Immaculatam' in Praefatione et in Litaniis BVM. palam et publice enunciare et addere liceret. Precibus his benignissime deferebatur, et exinde maxima cum pietate vox haec antiquam nostram fidem exprimens a Clero nostro additur et a populo veneratione colitur. Ideo Sanctitati Vestrae unanimes aeque ac gaudentes referimus, *fidem hanc, BMV. absque omni culpae originalis labe esse conceptam, ceu doctrinam sanctae nostrae Ecclesiae ex antiquissima traditione tam a clero quam a populo fideli haberi,* cultumque hunc immac. Conc. altissime in omnium animo esse fundatum. Nihilominus *cum agatur de eo, ut fides haec solemni Apost. Sedis iudicio decerneretur,* venerandissimum Sanctitatis Vestrae exemplar secuti *alios nonnullos viros pietate pariter ac theologicis disciplinis excultos consulendos censebamus,* quorum iudicio adiuti securius dicere valeamus, quid hac in re ad maiorem Nominis Divini gloriam, BV. laudem et Ecclesiae militantis utilitatem facere videatur. Horum audito ac mature in Domino deliberato iudicio pro conscientia nostra Sanct. Vestrae significandum nobis visum est: fidem hanc, prout exposuimus, ab antiquitus in christiano nostro populo et clero vigere ac doceri; verum ideo, *quod nulla novissimis temporibus hac de re tractata fuerit controversia, et haereticae eidem adversantes doctrinae decisionem talem non videantur urgere, adiunctis modernis temporis*

et locorum et hominum non commendari, ut antiquissima haec fides nunc ceu doctrina Ecclesiae nostrae R. Cath. solemni decernatur iudicio. Multitudo enim infidelium, haereticorum, et S. Ecclesiae nostrae adversantium nobis vicinorum et fidelibus in regionibus nostris cohabitantium diabolicis suis calumniis decisione tali in perversos suos fines turpissime abuteretur, ita, ut iuste timere debeamus, ne debilium, quorum numerus falsorum prophetarum machinationibus magnopere crevit, multi seducantur, atque fidei et cum fide aeternae suae salutis iacturam facerent. Hoc nostrum iudicium a Domino assiduis precibus exploratum dum Sanct. Vestrae significamus, denuo simul fatemur, nullum a nobis intermitti medium, quo fidelium animos ad BVMariam dirigere et devotissimum eius cultum promovere, ac unitis precibus eius auxilium toti christiano orbi explorare possimus. — Mense Novembri, 1849. *Augustinus Bartholomaeus,* Ep. Litomericensis. — *Carolus,* Ep. Reginaehradecensis. — *Iosephus Andreas,* Ep. Budvicensis. — *Franciscus Guilelmus,* Ep. Vic. Cap. Pragensis.

1070. **Eppi Moraviae.** Literae Apostolicae dd. Caietae 2 Febr. 1849 a Sanct. tua ad Eppos totius cath. orbis directae, quibus Cleri ac populi fidelis circa dogmaticam sententiae de immaculata BVM. conceptione pronunciationem sensa exquiruntur, mense Aprili ad finem vergente ad nos humillime infrascriptos Moravorum Provinciae Eppos pervenerunt: unde Sanct. tua clementissime ignoscere dignabitur, si intuitu summi, quod quaestioni praefatae subest, momenti post institutam maturam rei deliberationem nunc demum mandato Apostolico pretiosissimo, quod profundissimo cultu veneramur, satisfacere festinemus. Iam devotionem quod attinet, qua Clerus populusque fidelis erga immac. V. conceptionem animatus est, *ingenue asseverare valemus, ubique in Moravorum communitatibus catholicis infucatam vigere pietatem atque devotionem colendi ac celebrandi B Virginem praeveniente Spiritus S. gratia a peccato originali praeservatam,* innumerosque Ecclesiae filios atque sinceros cultores existere, qui arden-

tissimo in Angelorum Reginam flagrant amore, privilegio praefato condecoratam, ita, ut gratulari nobis liceat de ferventissima veneratione, qua praesertim maxima Cleri pars Deigenitricis Immac. Conc. mysterium prosequuntur, et fidelium sibi concreditorum mentes ad similem tenerrimam devotionem informare satagunt. Cohaeret enim huius mysterii cultus nexu intimo cum fervore, quo harum regionum incolae, ex quo Christianae Religionis confessioni adstipulantur, in Deiparente veneranda atque in eiusdem cultu amplificando nunquam non excelluerunt, atque in Vinea Dominica operarii filiolos ab Ecclesia sibi commendatos Marianae pietatis lacte fovere et educare iugiter inclaruerunt, ita, ut ubique sicut in ceteris communis Christianorum Matris praerogativis colendis, ita in specie eiusdem immac. conceptus veneratio eluceat. Renovata fuit haec peculiaris privilegii Mariani veneratio, postquam ad instantiam nostram per S. Rit. Congregationem a. 1844 ad Olomucensem et Brunensem dioecesim extenderetur indultum aliis dioecesibus iam concessum, addendi nempe Praefationi Missae Concept. BMV. verbum ‚Immaculata‘ adeo ut legi valeat ‚Et te in Conceptione immmaculata‘; insuper et addendi Litaniis Lauretanis post versum ‚Regina SS. omnium‘ istud Deiparae encomium: ‚Regina sine labe originali concepta:‘ quod indultum, impensiori B. Deiparae cultui ac specialiter immac. eiusdem Conceptionis providere cupientes, Clero ac populo nostro fideli communicavimus, ac ubique in regionibus nostrae iurisdictioni subiectis observari fecimus. Nec minus maximo solatio extitit, quod in Moravorum regionibus Archiconfraternitas illa percelebris plurimos numeret sodales, quae ad impiorum animos a scelerum contagione liberandos saluberrimo sane consilio Parisiis primum instituta Immaculatum Cor Virginis Deiparae praecipuo cultu atque obsequio veneratur et in nostris quoque dioecesibus cum latissimis fidei ac bonorum operum fructibus profundiores in dies in populo catholico radices agit. Viget itaque ac floret, SS. Pater, in provincia, cuius curam pastoralem nobis commissam habemus, cultus ille, quem tenera fidelium pietas inde ab antiquissimis temporibus BVirgini Deiparae impendere consvevit, cum utique persvasum sit omnibus ab ortho-

doxa fide non dissentientibus, BVirginem, ex qua ortus est sol iustitiae Christus Deus noster, plurimis ex titulis excellentiori prae reliquis Sanctis veneratione laude et cultu dignissimam] existere, innumeraque divinae gratiae beneficia in illas tum personas tum regiones dimanare, quae hyperduliae officiis largiora devotionis pensa dedicarunt. *In cunctorum* porro *Catholicorum Moravorum conscientia versatur peculiaris ille cultus hyperduliae titulus, Conceptio nimirum B. Deigenitricis immaculata,* quam etsi dogmatice hucusque haud definitam, nunquam non pie credidit Ecclesia, declarante S. Synodo Tridentina Sess. 5: non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi propositiones universales, quibus Apostolus ad omnes homines extendit primigeniae noxae propagationem, continentur, beatam et immaculatam V. Mariam Deigenitricem. Et sane decuit illam a communi generis humani sorte per Adae peccatum contracta exemtam manere, quam Deus pro reconcilianda suo Auctori humana natura, lapsu primi hominis aeternae morti obnoxia, sui Unigeniti habitaculum S. Spiritus praeparatione constituit, ex qua carnem nostrae mortalitatis pro redemtione populi sui assumeret, et immaculata Virgo nihilominus post partum maneret. Propterea porro, quod, ut SS. Patres loquuntur, ex immaculata illibata et virgine terra primus homo creatus fuerat, necesse fuit, ut ex mundissima prorsus immaculata Virgine perfectus homo nasceretur, quo filius Dei, qui antea condiderat hominem, eidem vitam aeternam, quam per Adamum perdiderant homines, repararet. Quare S. Deigenitrix ab antiquis immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima Virgo vocatur: quae Dei Sponsa et Domina nostra est, inviolata integra planeque pura ac casta, quae nihil terrenarum affectionum admisit, dum lilium sit medias inter spinas germinans, atque eum in modum, quo mollis rosa ex acutis spinis intacta exurgit, pura intactaque e temerata Evae stirpe prodiit. *Revera non potest cum dignitate Deigenitricis simul consistere originalis peccati macula, quae candidissimam Dei Matris animam infuscaret, imo lethali inficeret veneno, irae filiam faceret, diabolo manciparet, morte spirituali perderet.* Quanam enim

ratione Maria, si originali infecta extitisset labe, Virgo declarari posset in omni genere sanctitatis perfecta, lampas, circa quam nullum umbrae vestigium cernimus, mulierum egregia, e virginibus electa, praeclarum naturae nostrae ornamentum, gloria luti nostri, quam concupiscentiae fumus non attigit, neque voluntatis laesit vermis? *Certe quae ex sensu universae Ecclesiae, docente S. Synodo Tridentina, nullo unquam vel levi peccato inquinata fuit, eodem speciali ac singulari Dei privilegio fomite ex primigenia contagione derivato caruit;* quapropter S. Augustinus quoque, dum de peccato agitur, de BVMaria propter honorem Domini nullam prorsus habere vult quaestionem, eique uberioris gratiae collationem ad vincendum omni ex parte peccatum vindicat, quae concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Patet ex hisce, quae omnia quavis occasione debita sollicitudine fideli populo per curiones explicantur ac fuse enucleantur, qualis sit et esse debeat gregum nostrorum circa immac. BV. Conceptionem sensus atque devotio. *Persvasi sunt nobiscum fideles curae nostrae pastorali commissi, B. Deigenitricem in passiva quam vocant conceptione sua labem originalem haud contraxisse, potius in ipso animationis momento per gratiae sanctificantis largitionem a culpa originali immunem mansisse;* eius piae persvasionis germen ac veluti semina S. Biblia ac primitiva Traditio continent, cuius filum historia teste numquam fuit intercisum, imo per liturgias, festi Conceptionis BV. institutionem, pastorum sacras conciones et devotum fidelium sensum longius in dies productum fuisse absque negotio demonstratur.

Quum iam Ecclesia saepius occurrente graviori ansa ea, quae in verbo divinitus revelato implexe ac adumbratim delitescunt, palam fecerit atque tamquam dogma credendum fidelibus proposuerit: haud dubitandum, quod eodem modo circa piam de immac. BVM. conceptione fidem procedere valeat, quum sententia isthaec talibus ac tantis instruatur veritatis notis, quibus dogmaticum eiusmodi decretum omnino suffulciri valeat, insuper universi populi christiani consensio praesto sit de praefata B. Deiparae praecellente super creaturas omnes praerogativa et sanctitate, necnon de absoluta

eiusdem a quovis peccati, originalis quoque, vitio immunitate. Nihilominus humillime *infrascripti in eam haud ire possunt sententiam, ut iam inpraesentiarum pium istud assertum decreto pontificio inter fidei dogmata constituatur. Ratio gravissima, qua post habitam maturam deliberationem atque superni luminis fervidam implorationem taliter iudicare commotos se sentiunt, ex regionum, quarum Ecclesiis praesunt, difficillimis circumsta tiis depromitur. Impune hisce in locis grassatur vaferrima haeresis,* quae avidissime quamcunque ansam criminandi Ecclesiam Cath. arripere consvevit. Inter diversos, quibus fideles ad sua castra allicere nititur, praetextus et ille numeratur, quo certe absque omni solido fundamento Ecclesiam Catholicam pro suo lubitu nova dogmata condere blaterant. Quodsi ex solemni S. Sedis Ap. iudicio hisce temporibus BVirginis conceptus immaculatus ceu Ecclesiae Cath. doctrina dogmatice definiretur, procul dubio incriminatio isthaec falsissima in medium prolata multos in fide catholica minus firmos ad vacillationem cum magno animarum periculo deduceret. Periculum hoc eo magis in considerationem trahi debet, quam hucusque a multis Cath. Ecclesiae fidelibus immaculata BV. conceptio per erroneam rei propositionem solummodo tamquam pia opinio considerata fuerit, proinde non sine animorum turbatione fieri posset, ut quod sibi quamvis de veritate persvasi ac non dubitantes ad hodiernum usque diem opinari tantum videbantur, dogmatis catholici instar venerari adigerentur. *Consilium propterea nostrum, quod hisce ingenue pandimus, eo tendit, ut res, donec circumstantiae mutentur, in statu suo permaneat.* Fideles de immac. Deiparae V. conceptione plane non dubitant, mysterium istud maiori in dies cultu prosequentur, proinde ex capite veritatis non agnitae animarum salus plane non periclitatur, dum e contra pericula non contemnenda evitantur, quae ex dogmatica veritatis pronunciatione a S. Sede Ap. profecta rationabiliter pertimescenda veniunt. Isthaec rerum conditio causa fuit, ex qua infrascripti Sanct. tuae hortamentum exequi haesitarunt, prudenter aestimantes, publicarum precum in suis dioecesibus pro consequenda superna illustratione ad consilium hac in re capiendum indictionem absque Religionis Sanctaeque Sedis

Ap. detrimento suscipi haud posse; gratanter vero facultatem illam gratiosissimam sibi applicabunt, qua Sanct. tua clementissime indulsit, ut universus dioecesium Moravicarum Clerus peculiares canonicas horas de BV. Conceptione recentissime compositas loco earum, quae in communi Breviario continentur, sine praegressa Sacrae Rituum Congr. venia persolvere possit. Ceterum Moraviae Eppi dulcem eriguntur in fiduciam, fore, ut in gregibus pastorali suae sollicitudini concreditis aucti in dies ac multiplicati sanctae Deiparentis cultus fructus non desint praeclari, sentiantque Deigenitricem gratia plenam pro se suisque perdilectis oviculis intercedere, cuius virginitate foecunda salutis aeternae praemia fidenter praestolari licet, cum Ipsa via misericordiae, mater gratiae et pietatis, amica humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix, pervigil ad Regem quem genuit intercedens gratanter salutetur. — Viennae, 14 Ian. 1850. *Maximilianus Iosephus,* AEp. Olomucensis. — *Antonius Ernestus,* Ep. Brunnensis.

1071—1097.

Responsa ex **Hungaria** ad Encyclicam Pii IX. a. 1849—1854.

1. *Pro decisione absoluta.*

1071. **Eppus Quinque-Ecclesiensis.** Inter lacrymas gaudii spiritualis magnificabam Deum in Sanctis suis mirabilem, in Matre Unigeniti Filii sui V. Maria maiestate incomprehensibili fulgentem, legendo Apost. Sanct. V. Caieta 2 Febr. a. c. dimissas literas. — Cum et humilitati meae particella Ecclesiae Dei toto orbe terrarum diffusae credita sit, propero venerabundus pagellis his ad communem quorumvis Christianorum Patrem in conspectu B. V. mea et populi fidelis sensa non tam depromturus, quam repetiturus; dum etenim die 8 Mart. 1848 supplex fiebam pro eo, ut in Praefatione Missae festo Conc. BMV. epithetum ‚Immaculata‘ addendi

facultatem pro dioecesi mea acquiram, literas orsus sum his verbis: ‚Pia fides, qua cum Clero et populo dioecesis Quinque-Ecclesiensis credo, BV. Deigenitricem Mariam sine labe peccati originalis conceptam esse, mihi animos addit etc.' Eapropter *nihil optabilius mihi, nihil solatiosius Clero et populo pastorali sollicitudini meae commisso poterit contingere, ac audiendo: quod Matrem Dei non impulsu pietatis solum semet constanter adusque et ubique manifestantis, sed iam etiam oraculo Supremi Ecclesiae Pastoris fide indubitata absque labe originalis culpae colere, et Iesum Filium eius Redemtorem mundi, qui totum nos habere voluit per Mariam, exinde benedicere possit ac valeat. Proinde ad pedes provolutus instantissime oro Sanct. Vestram, ut vocem Apostolicam levando cordibus Beatissimam Matrem devote colentium conquiescentiam procurare et piae sensioni veritatis inconcussae coronam superimponere dignetur.* — Quinque-Ecclesiis, 19 April. 1849. *Ioannes Scitovszky.*

1072. **Eppus Sabariensis.** Benignae Sanct. V. literae die 2 Febr. a. c. Caieta ad Patriarchas etc. dimissae mirifice alleviabant cordis nostri angustias; eo enim tempore nobis redditae sunt, dum publicam orbis christiani concordiam et pacem undique fere periclitantem et concussam, insuper in Regno Hungariae socialis belli incendio res nostras, vitam nostram, imo, quod potissimum est, sanctissimam quoque religionem nostram summo discrimini obiectam ingemuimus, eoque sortem nostram adductam cerneremus, ut iam nec tacere, nec digna Christo loqui fas esset; adeo quippe foris pugnae, intus vero timores nos premebant, ut in ipsa patria et sede nostra non iam cives, et domestici, sed reipsa peregrini imo exules fuerimus. In hoc tristissimo rerum situ quid nobis iucundius, quid optatius, quid salubrius accidere poterat, quam SS. Patris nostri, exulis ad exules, datas literas legere et deosculari? Intelleximus enim ex illis cultum SS. Deigenitricis, quae sola semper cunctas extinxit haereses, et quae spes viva animae desperantis iure optimo ab Ecclesia Cath. celebratur, in his quoque calamitosis tempo-

ribus non tantum imminutum non fuisse, imo vero in dies ita increscere, ut ad honorem eius solito condignius posthac celebrandum quamplurimi ex ordine Epporum inveniantur, qui iteratis petitionibus atque ingeminatis studiis postularent, ut veluti Catholicae Ecclesiae doctrina a Summo Christi in terris Vicario definiatur: conceptum BVMariae immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem. Ut porro tanti momenti negotium rite definiri valeat, tenore literarum Sanct. Vestrae maiore qua fieri potest celeritate edoceri cupit, qua devotione Clerus populusque fidelis erga immaculatam Virginis Conceptionem sit animatus, quidve nos ipsi de hac re sentiamus. Quod ad populum fidelem attinet Ecclesiae Hungaricae, hic ab incunabilis Regni huius, ut Annales nostri fidem faciunt, singulari semper in Beatissimam Deigenitricem pietate ferebatur, hodieque fertur; eam tamquam Magnam Hungariae Dominam, Patronam Mariani huius regni potentissimam, profundo cordis affectu salutat veneraturque. Novit enim Nationem Hungaricam iam a Divo Protorege nostro Stephano Mariae dicatam esse. Ideoque in hac temporum iniquitate priscae pietatis vulnera cernens, circumstantia malorum agmina videns, tot tamque funesta religionis avitae pericula considerans, Mariam fiducialiter invocat, ut illa medeatur tot vulneribus, succurrat tot periclitantibus, amoveat pericula, et lumen errantibus accendat; tamque magnifice de Beatissima coeli Regina sentit, ut ob hanc exuberantem pietatem ab heterodoxis, haud dubie inique, passim graviter violati cultus supremo Numini debiti accusetur. Cuius extraordinariae erga Deigenitricem pietatis radix sine dubio in animarum pastoribus, qui invicto spiritu et apostolico animi robore in populi fidelis salutem promovendam assidue desudant, potissimum quaerenda est. Ego ipse acrium retroacta aetate hoc in merito disceptationum tractatuumque non ignarus, atque etiam impensiore studio horum scrutator, *piam illam, quae propter honorem Filii Virginem Matrem a labe originalis culpae communi, speciali et inscrutabili Dei consilio, praeservatam fuisse vindicat, sententiam semper tenui, actuque meam esse, e toto corde profiteor. Quodsi proinde SS. Deigenitricis absque labe originali facta conceptio solemni Ap. Sedis iudicio*

declaretur, Clerus populusque Hungariae, qui nullum dulcius obsequium novit, quam Summi Pontificis et Patris sui sensa, dum latent, inquirere, dum vero patent, eius definitioni tamquam divino oraculo religiosum morem gerere, *procul dubio et in hoc negetio filialis suae devotionis et pietatis documenta testata redderet, et Petrum per os Sanct. Vestrae loquentem suspiceret et veneraretur.* — Sabariae, 4 Nov. 1849. *Gabriel Balassa.*

1073. **AEppus Colocensis.** — Apostolicas literas (2 Febr.) officiose, a Nuntio nempe Apostolico Vindobonensi, aut medio Agentis mei Romani, prout alias literas, concessiones, vel commissiones Apostolicas accipere aut recipere soleo, numquam accepi: indubie ob turbulentissimas malorum procellas, et armorum in regno hoc infaustissimum strepitum, interceptam communicationem, illamque seditiosae seu usurpatoriae potestatis dispositionem, qua literas omnes in ipso postae officio occupari et sibi submitti disposuit. Literae hae recenter mihi e publicis pagellis innotuerunt; legi illas filiali cum devotione, qua erga Sanct. Vestram ferri numquam desinam, legi cum magno et inexplicabili gaudio cordis mei, cum agatur in iis de summo honore SS. Deigenitrici decernendo; in filiali proin devotione benignissimo iusso Sanct. Vestrae obsequendo humillima sensa mea in sequentibus Apostolico conspectui substernere sustineo. Archidioecesis huius Clerus et populus peculiari semper pietate, cultu et devotione ferebatur et fertur erga BMV. Patet id inde, quod ex antiquissimo more populus ad SS. Mariae nomen caput inclinare soleat, recitatio Rosarii communiter usu recepta sit; patet ex singulari illa inclinatione, quod laudes seu encomia BV. et sermones de illa institutos filiali cum teneritudine audire libentissime soleat, imo exoptet, quod ad loca etiam dissita, in quibus gratiosa eius imago colitur, magno numero diversis anni temporibus comparere, et devotionem suam cum aedificatione absolvere soleat, omnemque fiduciae suae rationem in SS. Virgine collocet; patet id exinde quoque, quod praeter complures Capellas, 25 Ecclesiae, adeoque omnium AD. Colo-

censis Ecclesiarum una quarta pars, et inter has aliquae splendidae, ut ipsa Metr. Ecclesia, Deo O. M. sub invocatione SS. Genitricis Dei erectae conspiciantur, vixque inveniatur Ecclesia in tota A. Dioecesi, ubi una adminus ara vel statua Eiusdem non adesset, manifestissimo indicio, Patronos tam ecclesiasticos quam seculares, populumque fidelem, qui ad patrocinii electionem, si aliter non, precibus suis haud modicum influxum exercuit et excercet, pari sancta aemulatione suam erga BVM. venerationem magnificis operibus palam et publice cum omnium bonorum inexplicabili solatio contestari, in cordibusque omnium perennem reddere voluisse, ut adeo piae memoriae praedecessor Sanct. Vestrae Benedictus XIV, dum ad instantiam Antecessoris mei die 30 Mart. 1753 benigne indulsisset, ut a Clero tam seculari quam regulari A. D. Colocensis Officium proprium cum Missa Translationis almae Domus Lauretanae sub ritu dupl. mai. recitari possit, in benigna sua concessione devotionem erga BMV. in civitate et dioecesi vigere diserte recognoscat. *Haud minori zelo et devotione est Clerus populusque fidelis animatus erga B V. Conceptionem. B. Virginem lingva vernacula immaculatam ab immemoriali nominare solet;* usum habet precatoriorum libellorum, in quibus Maria compellatur sanctissima, Mater Dei, Regina coeli, porta paradisi, domina mundi, pura, singularis Virgo, benedicta in mulieribus, benedicta S. Anna mater eius, *ex qua sine peccato et macula processit;* Virgo appellatur, *in qua nec nodus originalis nec cortex actualis culpae fuit, quae in Conceptione immaculata fuit.* Celebrat Clerus et populus omni cum solemnitate et pietate festum immac. Conc. 8 Dec cum Octava, et quidem ab immemoriali sub ritu dupl. 1 Cl. Clerus insuper dioecesanus ex privilegio Apostolico omni Sabbato, festo IX Lectionum non impedito, — sub ritu dupl. recitat Off. imm. Conc. BMV. Extat Ecclesia quoque sub invocatione immac. Conc. BMV. Extat Confraternitas SS. et Imm. Cordis BMV. unita simili Confraternitati Parisinae, cuius praestitutus pius scopus est: suffragium SS. Virginis exorare pro conversione infidelium et peccatorum, quandoquidem, ut post S. Bernardum sapientissime Sanct. Vestra apostolico oraculo observat, Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in

nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. *Ut adeo tuto affirmare audeam, populum catholicum desiderio flagrare et exoptare, ut B Virgini summus hic decernatur honor,* imo iam nunc ita de hac praerogativa imm. Conc. persuasum esse, ut vel illa insinuatione, quod Apost. Sedes nunc solum honorem hunc, quem communis fidelium pietas Virgini tribuit, infallibili suo indicio et auctoritate decernere intendat, haud leviter conturbaretur. Restat, ut — paucis exponam, quid ipse de re hac sentiam quidve exoptem. Venerationem Mariae dilectissimae Matris, matris misericordiae, vitae et spei nostrae, constanter caram habui, solatium cordis mei Maria fuit. Ad ipsam tamquam ad speculum et exemplar christianae vitae semper respexi, hanc venerabar et amavi, quantum potui. Accedo proin opinioni virorum ingenio virtute pietate doctrina praestantium, qui doctis ac laboriosis scriptis suis huiusmodi argumentum pientissimamque sententiam mire illustrarunt, cum BVirginem *gratia plenam* esse ab Angelo didicerim: ira enim et maledictio in omnes filios Adae, Maria autem invenit gratiam apud Deum, imo gratia plena est, omni vacua vitio, et cunctis virtutibus ac donis gratiae referta. Quid mirum, si gratia plena, quando plenitudo divinitatis in illa habitavit corporaliter? cum ipse fons gratiae et salutis auctor illi soli sese penitus infudit, et per Mariam veluti rivum seu canalem in omnes effundi voluit? Cum BVirginem *benedictam in mulieribus* ex ore habeam angelico, utique benedicta in mulieribus, quae sola placuit summo Regi ex tot millibus. Merito benedicta, quae tot votis et suspiriis expetita, tot seculis expectata, tot vaticiniis praenunciata. Vere benedicta in mulieribus, quae a communi maledictione et conditione mulierum exemta, ita, ut nec sterilis maneret, nec virginitatem perderet. Maledicta olim terra in opere praevaricatoris, quae etiam exercitata spinas et tribulos germinat haeredibus maledictionis. At nunc benedicta terra in opere Redemtoris, quae remissionem peccatorum, fructumque vitae parturit universis, et filiis Adae sententiam originalis maledicti dissolvit. Cum plurimi *SS. Patres,* utpote depositarii traditionis ab Ecclesiae incunabulis pientissimam

hanc de praerogativa imm. Conc. Mariae sententiam passim in scriptis suis consone teneant et profiteantur; v. g. D. Augustinus lib. de nat. et gr. c. 36: ‚De BMV. propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendam omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum‘; cum denique *SS. Conc. Tridentinum* in Spiritu S. legitime congregatum Sess. V declaret, non esse suae intentionis, comprehendere in decreto, ubi de originali peccato agitur, Beatam et Imm. V. Mariam, hacque sua declaratione non obscure fidem suam manifestaverit, licet dogmaticae decisioni supersederit: *innixus ergo SS. Patrum expressis placitis, piorum virorum doctissimis elucubrationibus, tacitae fidei Ecclesiae, audito etiam sacri Senatus mei voto, humillimum meum suffragium in eo devotissime depromere sustineo: ut* electae et dilectae aeterni Patris filiae, Verbi incarnati Genitrici, Spiritus S. Sponsae, totius SS. Triados Sanctuario, Angelorum Dominae, hominum Tutrici, peccatorum Advocatae, afflictorum omnium Asylo, Coeli terraeque Reginae, quae gratia plena et inter mulieres benedicta infelicis Evae mutans nomen vere facta est mater viventium, quae quasi aurora consurgens sedentibus in tenebris et umbra mortis solem iustitiae reduxit in orbem, quae terribilis ut castrorum acies ordinata haereses et potestates tenebrarum profligat, *SS. Virgini Mariae ex solemni Ecclesiae et Sanct. Vestrae sapientissimo iudicio summus decernatur honor, eiusdem conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* — Immaculata BMV. Conceptio sit nobis praesidium et protectio! — Colocae, 22 Oct. 1850. *Comes Franciscus de Nádasd.*

1074. **Vic. Capit. Agriensis.** (nostra humilitas.) In homagiale obsequium Encyclicarum Apostolicarum Sanctitatis Vestrae Caieta dd. 2 Febr. anni praeterlapsi 1849 ad Praesules Ecclesiarum orbis catholici in merito decidendae

Apostolica Sanct. Vestrae auctoritate quaestionis de immaculata Conceptione BVMariae dimissarum ego quoque, cui tamquam Capitulari Vicario Dioecesis haec Agriensis de praesenti moderanda obtigit, sensa Cleri populique fidelis, prout Sanctitas Vestra benigne iussit, humillime indicare sustineo. Clerus populusque dioecesis huius, prisca patrum suorum religione imbutus, singulari fertur in BVirginem Deigenitricem, Patronam Hungariae cultu et affectu, idque devota dierum eidem BVirgini festorum celebratione, in quibus ad Sacr. Poenitentiae accedere prae ceteris assolet, tum specialibus devotionibus et confraternitatibus SS. Virgini sacris, uti est Societas SS. Rosarii, item SS. Cordis BMV., necnon numeroso confluxu ad loca, in quibus icones gratiosae BMV. coluntur, testatum facit; frequentissimae sunt insuper imagines, statuaeque BV., altaria item, capellae ac templa eiusdem honori dicata. In specie autem *immac. Conceptionis BMV. fides apud populum fidelem dioeceseos huius tam alte infixa tamque profunda est, ut vel dubium eatenus, ne dicam contrarium, sine gravissima offensione ne audire quidem possit, festumque Conceptionis B. M. V. in diem 8 Dec. incidens, in celebrationem immac. Conceptionis institutum teneat. Unde fidei huic conformiter Clerus ferme omnis et populos fidelis dioeceseos huius,* cui antiquissimum omni aevo fuit, Ecclesiam et Caput huius, sedentem in Cathedra Petri Papam, instar obedientis filii audire, et Apostolicae vocis auctoritati subiici, *nil magis exoptat, quam ut pia eius fides de immaculata Deigenitricis conceptione oraculo S. Sedis Apost. pro doctrina Ecclesiae Cath. decernatur, declareturve;* cuius rei definitio ut afflante Divino Numine suscipiatur, Clerus populusque fidelis indictis et per quadrimestre institutis publicis precibus auxilium ex alto ferventer imploravit. — Agriae, 13 Iul. 1850. *Augustinus de Roskovány,* Vic. Gen. Capit.

---

2. *Pro decisione conditionata.*

1075. **Vic. Capit. Scepusiensis.** Quoniam Dioecesis Scepusiensis Ordinario Pastore destituitur, Apostolicae Sanct.

Vestrae literas Caieta dd. 2 Febr. 1849 ad universos orbis catholici Eppos dimissas ego in filiali devotione subscriptus, cui cura dioeceseos vicariali potestate pro tempore incumbit, Clero Dioecesano communicavi; collatisque cum Capitulo consiliis dd. 26 Oct. 1849 per dioecesim disposui, ut festo Conc. BMV. in 8 Dec. incidente in quavis Ecclesia Sacrum cum exposito Sanctissimo celebretur, in Missa Collecta de Spiritu S. assumatur, et post Sacrum preces pro invocatione Spiritus S. cum populo lingva vernacula recitentur; provocando una Curatos, ut, quo adaequatam Sanct. Vestrae in quaestione Immac. Conc. BMV. facere valeam relationem, Curati quoque de his, quae scitu necessaria sunt, me informent. Quasquas accepi a Curatis relationes, *omnes in contestanda erga Deiparam Virginem summa devotione, qua tam ipsi Curati quam etiam curae ipsorum commissus populus fidelis feruntur, se invicem aemulantur, manifesto documento, omnes quoque eandem in hac quaestione tenere sententiam, communi orbis catholici sensui, effatisque SS. Patrum et S. Sedis Apostolicae conformem: saltim nulla contraria opinio fuit ad me perlata.* Et profecto: si enim Henoch et Elias legi peccati subiecti, testantibus sacris paginis (Gen. 5, 24. Eccli. 44, 16. Hebr. 11, 5. IV Reg. 2, 11.), eo quod placuissent Domino, translati sunt ne viderent mortem: quanto magis convenit, ut Beatissima Virgo, quae sanctitate omnes electos Dei antecedit, et super omnes Angelorum Choros est elevata; quae ex omnibus natis e muliere in Matrem Filii Dei fuit electa; quam per virgam sacerdotalem sine radice germinantem Num. 17, et lanam Gedeonis Iudic. 6 praefiguratam fuisse piissimi Ecclesiae Doctores tenent; quam Angelus Domini gratia plenam et benedictam inter mulieres praedicavit Luc. 1, 28, non modo a poena, sed etiam ab ipsa labe originalis peccati immunem fuisse, et quae peccatum non fecit, legem quoque illam contrariam, legi mentis repugnantem et captivantem hominem in lege peccati, de qua Ap. Paulus Rom. 7 scribit, in membris suis non sensisse, pie credamus. Primus Adam formatus est de terra non maledicta; novum ergo etiam Adam Sanctissimum carnem suam sanctam de carne sancta, peccato nullo corrupta sumsisse oportuit. Inimicitias ponam inter te,

loquitur Dominus ad serpentem Gen. 3, 15, et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum. Unde merito infertur, potentissimam coeli dominam potestati illius subiectam esse non potuisse, cuius caput conterere divina repromissione debuit. Sententiae huic suffragantur laudes illae eximiae, quibus Ecclesia BVirginem coluit; suffragantur etiam plurimorum SS. Patrum effata, variarum Synodorum decreta. Ast maxime suffragatur, quod doctrina haec inde ab antiquissimis temporibus per piissimos Deiparae Virginis cultores palam et aperte fuerit tradita, et, quamvis contrariae quoque opinionis defensores acerrimi non defuissent, numquam reprobata; quod cultus quoque immac. Conc. BV. in particularibus Ecclesiis, Sede Apostolica non contradicente, imo consentiente, viguerit vigeatque; quod ipsum C. Tridentinum doctrinam de peccato originali definiendo, Sess. 5 de peccato originali, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem hoc-decreto noluerit habere comprehensam; quodve communes orbis cath. postulationes definitivae sententiae enunciationem urgeant. *In hunc sensum iam a. 1845 scripsit defunctus Dioecesis Scepusiensis Eppus* (Ios. Bélik) ad illius temporis Primatem Regni et AEppum Strigoniensem (Ios. Kopácsy), cum ageretur de precibus S. Sedi Ap. in eo proponendis, ut etiam in Regno Hungariae Conceptionem BMV. in Praefatione et Litaniis liceat cum praedicato ‚Immaculatae' commemorare; *in hoc sensu etiam Capitulum Cathedralis Ecclesiae Scepusiensis suam enunciavit sententiam.* Differentes in hac materia opiniones tantum quoad tempus et modum proferendae per Sanct. Vestram sententiae comperi. Alii enim insigni pietate animati volunt directam cum anathemate in contrarium sentientes quo prius audire sententiam; alii positivam definitionem ad feliciora tempora dilatam habere, et pro hac vice Constitutiones Sixti IV Papae sufficere volunt, metuentes, ne in praesente morum corruptione et conceptuum confusione alia quoque fidei dogmata audacius impugnandi, populumque fidelem seducendi occasio praebeatur; alii optant tantum negativam sententiam, qua anathema diceretur in illos, qui statuerent Ecclesiam errare, dum docet BMVirginem sine labe peccati originalis fuisse conceptam;

alii denique totum negotium iudicio Sanct. Vestrae submittunt, cui utpote veluti Centro Unitatis et sensa universi orbis catholici cognita, et temporum indigentiae ac difficultates optime sunt perspectae, firmiter credentes, Spiritum Paracletum, qui est cum Ecclesia usque ad consummationem seculi, et ad quem modo in toto orbe assiduae preces funduntur, illuminante gratia sua Sanct. Vestrae esse adfuturum, ut per Sanct. Vestram id tantum pronuncietur, quod semper, ubique, et ab omnibus creditum fuit, quodve ad Dei gloriam, salutemque animarum est maxime proficuum, paratissimi eapropter sententiam Sanct. Vestrae semper in filiali devotione et obsequio suscipere. Scepusii, 3 April. 1850. *Dominicus Biaczovszky.*

---

3. *Contra decisionem.*

1076. 1077. **Eppus Szathmariensis.** a) *Exquirit opinionem Eppi San-Hippolytani primum, subin Vic. Apost. Castrensis, Ioannis Michaelis Leonhard.* Notum est Ill. Vestrae, Suam Sanctitatem Summum Pontificem dd. 2 Febr. a. c. ad Patr. AEppos et Eppos totius orbis catholici dimisisse Breve Apostolicum, quo manifestat se nimium desiderare, ut quaestio de immac. Conc. BVM. supremo Sedis Apost. iudicio definiatur, proque augendo eiusdem cultu cunctis fidelibus sic decisa tenenda proponatur; utque in tanti momenti negotio tale consilium inire taleque decisum edere valeat, quod ad maiorem tum Numinis Divini gloriam, tum Deigenitricis cultum, tum Ecclesiae utilitatem possit inservire, provocat ad indicendas in quibusvis dioecesibus preces Divini Numinis lumen impetratorias, simulque ab Eppis celeritate, qua fieri potest, maxima sibi notum reddi cupit: qua devotione populus Clerusve erga immaculatam Virginis conceptionem sit animatus, quove flagret desiderio, cumprimis vero quid ipsi (Eppi) sentiant atque exoptent? Ea, quae circa me hoc anno intervenerunt, et ita exulem esse iusserunt, ut nec communionem literarum cum dioecesi mea habere potuerim *), impedimento

*) Alludit Eppus ad funestam rerum in Hungaria conversionem, quae annis 1848 et 1849 evenit: Eppo ipso primum in Primatem

fuerunt, quominus iussis SS. Patris ea celeritate, quam benigni mandati tenor deposcit, ct animi mei pietas ac promta obedientia exhibere parata est, potuerim facere satis; ast utprimum per adiuncta licuit, iuxta ac ad intentionem Suae Sanctitatis per totam dioecesim Szathmariensem publicas preces indixi; hoc eodem scopo festo Conceptionis BMV. solemne Missae Sacrificium cum Clero et populo, eatenus per s. sermonem ubertim edocto, Omnipotenti Deo obtuli; et nunc per totam Octavam cum Capitulo, Clero, studiosa iuventute, ac fidelibus quotidie bis, mane post nonam, a meridie post quartam horam easdem preces devote continuamus. Praesumo nunc consveta fiduciae via ad Illustr. Vestram accedere, et humillime orare, ut, quid porro agendum mihi veniat, sapienti suo consilio subvenire, et dubia mea, quae me indeterminatum tenent, dissolvere dignetur. *Duo in dubiis animo obversantur: 1. an? 2. qualiter rescribendum sit?* Quoad primum: dubium oboritur propterea, quod tam longum a die emanationis Pontificii Brevis tempus elapsum sit; quoad alterum: non mihi ullum est dubium, imo toto animo omnique virium nisu desidero, et agere intendo, ut veneratio et devotio BVirginis quam maxime augeatur et extendatur; et *cum Ecclesia Catholica piissime credo, BVMariam velut electam Dei Matrem a labe originali praeservatam et immaculate conceptam esse, ac hoc etiam sub obtutu cupio et anhelo, eius piam venerationem apud omnes peculiari devotione auctam et ampliatam; hoc studio ductus et animatus, dum Viennae plures dies imo menses agendo observavi, ibi inductum esse Rosarium de immac. conceptione B. MV. eiusque modum typis impressum circumferri, in idioma hungaricum transposui et in pluribus mille exemplaribus imprimi curavi,* ac iis per totam dioecesim distributis hanc cultus devotionem communem reddere aduitor, hoc modo piam doctrinam de Conceptione BMV. omnis maculae experte, et cultum Magnae Matris multum promotum iri spero. *Ast quod me aliquantulum dubitare et de optato successu nonnihil ad-*

---

renunciato, tum per rebelles ad redeundum in dioecesim Szathm. prohibito, tandem restituta pace et denominatione in Primatem retractata, ad dioecesim Szathm. gubernandam reverso.

haerere facit, illud est: an e re sit, an expediat de subversante merito dogmaticam edere decisionem? quaeri quippe potest: an adsit urgens huius decisionis necessitas, cum nullus sit, qui piam Ecclesiae doctrinam impetat, aut constitutioni Concilii Tridentini in obversum agat aut doceat; aut an non timendum sit, ne antiquae controversiae resuscitentur, aut an non verendum, ne alicui scissioni aut per disputationes scandalo occasio praebeatur? non sumentne hinc Protestantes ansam calumniandi, quod in Ecclesia Catholica per Pontificem pro lubitu nova dogmata cudantur? an pii fideles catholici, qui in rebus theologicis non sunt versati, et quorum maior est numerus, ad publicationem intentae decisionis non reddenturne attoniti, non vertenturne in stuporem, quod modo ipsis proponatur ad credendum, quod hucusque semper indubitanter crediderunt, et peculiari etiam festivitate coluerunt? cedetne hoc ipsis in aedificationem et solitae devotionis consolidationem? Hae et similes angentes cogitationes quandoque in me exurgunt: quas ex illimitata, qua erga Illustr. Vestram feror, fiducia fraternum in sinum Eiusdem unice effundere, et sentimenta exquirere praesumo; ac certo mihi polliceor a nota Illustr. Vestrae tam eruditione, tam prudentia ac Apostolico zelo inanium difficultatum mearum fundatam dissipationem, et animi mei quietationem mihi obventuram. Ceterum, ut praemisi, nullum mihi est de pia Ecclesiae doctrina dubium, nihilque desidero ferventius, quam ut cultus BMV. Deigenitricis quam amplissime extendatur, augeaturque. — Szathmarini, 12 Dec. 1849. *Ioannes Hám.* — b) *Responsum Eppi ad Summum Pontificem.* Quo maiori animi promtitudine Brevis Apostolici, quod 2 Febr. 1849 ad universos orbis catholici Antistites datum tenerrimam Sanctitatis Vestrae erga SS. Deigenitricem immaculate conceptam pietatem testatam reddit, tenoribus obedire et obsequi desiderabam: eo acerbiore consumebar dolore, quod a Sede mea Eppali remotus, et furentis in Regno belli civilis motibus in fovenda cum dioecesi mea communione prorsus impeditus, eosdem extemplo et suo tempore, prout optabam, et debita Ecclesiae Capiti veneratio exigebat, exequi non valuerim. Hinc utprimum compressa mense Septembri Caesareis armis in Regno nostro seditione, et reducto legali ordine,

Sedi meae Eppali et Sponsae restitutus regimen Dioeceseos, Deo Optimo auxiliante, recipere valui, mox in id omnes meas curas et conatus converti, ut quam celerrime tenores praefati Apostolici Brevis exequerer et adimplerem. Eapropter Encyclicas ad universum Clerum populumque pastorali curae meae creditum dimisi literas, (10 Nov. 1849) et eundem de pientissima Sanct. Vestrae voluntate et intentione edocere, ac ad pietatem erga SS. Deiparam Virginem, veram omnium viventium Matrem, inflammare ac excitare cupiens, peculiarem devotionem, quae Rosario cum mysteriis immac. conceptionis Viennae in Austria cum fructu frequentato et speciali hoc fine concinnata, typis etiam vulgata precatione constaret, per integram Octavam Conceptionis intemeratae Matris Dei observandam praescripsi: quam in Ecclesia Cathedrali in confluxu Cleri et populi desuper praevie debita cum cautione instructi et praemoniti ipse inchoavi et persolvi. Collatis dein cum Capitulo Cathedralis Ecclesiae meae consiliis comperi: *Clerum populumque dioeceseos huius,* cui Dei et Ap. Sedis gratia indignus praesum, *doctrinae de immaculato conceptu Reginae Angelorum Mariae pia et indubitata fide adhaerere, nilque ardentius desiderare, quam ut cultus Immaculatae Matris quam amplissime propagaretur, et indefessa sedulitate promoveretur; simul tamen anxie metuere, ne ex dogmatica hoc in merito per Sedem Apostolicam proferenda enunciatione ob impietatem haereticorum, Ecclesiam Dei lacessere nullo tempore desinentium, et schismaticorum calumnias, malis his temporibus ad turbas accumulandas pronis, pericula dissidiorum et impedimenta conversionum oriantur et enascantur. Quare ipse etiam,* dum SS. Virginem immaculate conceptam firma fide teneo et profiteor, ac in his, quae nos nimis invenerunt, tribulationibus consolationem per Eius unice intercessionem nos consecuturos spero et confido, *tacitam populi fidelis de immaculata intemeratae eiusdem Virginis Conceptione fidem magis cultus eiusdem propagatione, et pietatis exercitiis hoc fine institutis et multiplicatis, quam solemni dogmatica per Sedem Apost. pronuncianda declaratione, attentionem inimicorum Ecclesiae et lites internas provocare queunte, nutriri, et foveri posse, in Domino opinari praesumo.* Qui in reliquo humillimam meam

opinionem iudicio S. Sedis in plena animi demissione submittendo etc. Szathmarini, 15 Dec. 1849. *Ioannes Hám.*

---

4. *Responsa Epporum Hungariae ante ipsam definitionem erga provocationem Card. Primatis reddita. 1854.*

1078. **Card. AEppus Strigoniensis provocat Praesules Hungariae, ut in sensu Encyclicarum 2 Febr. 1849 desiderata responsa ocyus adornent, Summo Pontifici exhibenda.** Probe constat Ill. Vestrae, qualiter gloriose regnans Summus Pontifex pro tenerrima, qua in Matrem Dei fertur, pietate sua, postquam iam antea universi catholici Eppatus mentem de immaculata eiusdem BVirginis conceptione consuluisset, novissime ex omnibus orbis partibus aliquot Praesules evocaverit, super quaestione isthac deliberaturos, atque, si Omnipotenti placuerit, novum honorem addituros eidem Virgini, a qua potentissimum in arduis rebus nostris speratur auxilium. Huic SSmi Domini nostri benignissimae invitationi delaturus, ipse quoque circa 20 diem curr. Romam proficisci intendo, ut de Hungaricae Ecclesiae avita fide testimonium perhibeam. Quod ut mihi securius facere liceat, Ill. Vestram praesentibus fraterne requiro, ut mihi convictionem suam individualem circa hanc piam Ecclesiae fidem, instar dogmatis enunciandam, Cleri item et fidelis populi sensum, qui se per preces, cantica, Ecclesiarum patrocinia, aras, et statuas cultui immaculate conceptae Virginis erectas manifestat, intra brevissimum, quod possibile est, tempus per Strigonium adaperire dignetur. — Strigonii, 3 Oct. 1854.

---

1. *Pro definitione absoluta.*

1079. **AEppus Agriensis.** (a. 1851 gubernium capessens.) Cum iam tunc ageretur quaestio de pronuncianda per Ecclesiam immaculata BMV. conceptione, *memini me in Con-*

ventu Epporum Hungariae Strigonii asservato (1850) *illam fecisse propositionem, ut cum omnes praesentes et simul adsimus Eppi Hungariae, hoc in negotio mentem nostram adaperiamus atque ad notitiam Summi Pontificis perferamus. Interim propositio haec mea tunc saltem non videbatur in ulteriorem consultationem sumenda.* Nunc vero per Em. V. literas provocatus, quod sensa mea attinet, *ego non modo propria pietate et devotione erga Magnam gentis nostrae Dominam, sed expensis quoque iis, quae hucdum acta sunt et discutiebantur, pronus et lubens in eam abeo sententiam, ut quae adusque etiam de Matre Dei pia viguit fides, dogmatis adinstar palam per Ecclesiam ad credendum proponatur.* Utique in patria nostra sic Patronam Regni adusque etiam coluimus et venerati sumus, ut singulis diebus Sabbathi non impeditis Officium de immac. Conceptione dixerimus et dicamus. Clerus proin meus dioecesanus procul dubio eiusdem mecum est mentis, et quod pia fide hucdum credebat, maiori pietatis et venerationis fervore per Ecclesiam declaratum suscipiet. Populus denique meus — tanto pietatis et devotionis fervore erga Dei Matrem fertur, ut similem vix in aliis regni partibus observare liceat, ut adeo dubitare non possim eundem quoque hanc S. Matris declarationem maxima pietate et devotione prosequuturum. — Agriae, 10 Oct. 1854. *Adalbertus Bartakovits.*

1080. **Eppus Quinque-Ecclesiensis.** (AEppo Strigoniensi in Cathedra Q. Eccl. succedens.) Inter lacrymas gaudii spiritualis magnificabam Deum in Sanctissimo mirabilem, in Matre Unigeniti Filii sui Virgine Maria maiestate incomprehensibili fulgentem, legendo benignas provocatorias Emin. Vestrae ad me directas, quibus ad individualem convictionem meam circa immac. Conc. BMV. instar fidei dogmatis enunciandam, Cleri item et fidelis populi sensum eatenus manifestandum provocabar. — *Ego corde credo et confiteor, BVMariam Dei Matrem et Dominam nostram, immaculatam et intemeratam, ac ab omni sorde et labe peccati alienissimam, atque ideo ab ipso etiam originali peccato a primo conceptu*

suo immunem fuisse, meoque sensu nihil obstare, quominus veritas haec ductu Scripturae S. et Traditionis per solemnem Ecclesiae et Summi Pontificis declarationem et definitionem explicite ad credendum proponatur, ac in fidei dogma elevetur. Hanc fidem et convictionem meam his propemodum diebus editis in typo specialibus precibus palam publiceque enunciavi: quae preces in triplici lingva millenis in exemplis procusae et a Clero populoque meo fideli avidissimo animo acceptatae ac divulgatae dubitare me nusquam sinunt, *Clero meo,* qui iam a. 1848 oratore Eminentia Vestra qua veneratissimo Praelato suo Officium et Missam de immac. Conc. BVM. impetraverat, *nihil optabilius, et populo* pastorali sollicitudini meae credito, qui per cantica, preces, Ecclesiarum cultui imm. conceptae Virginis erectarum frequentationem, ararum statuarumve simili piissimo scopo structarum exornationem, a patribus haereditatam piam imm. conc. Deiparae V. fidem suam sat superque manifestat, *nihil solatiosius contingere posse, ac audiendo:* quod Matrem Dei, magnam Hungarorum Dominam, non impulsu pietatis solum, semet constanter adusque et ubique manifestantis, sed etiam oraculo supremi Ecclesiae Pastoris fide indubitata absque labe originalis culpae venerari ac colere, et Iesum Filium eius, Redemtorem mundi, qui dicente S. Bernardo ‚totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam‘, exinde celebrare, laudare ac benedicere — possit ac valeat. — Q.-Ecclesiis, 8 Oct. 1854. *Georgius Girk.*

1081. **Eppus Neosoliensis.** In motiva pro enunciando dogmate de immac. Conceptione BMV. studiose quidem numquam inquisivi, nec quemquam de Clero dioecesis meae ita inquirere iussi, utpote ad personam eatenus numquam provocatus. Id tamen manifestare possum, *tam me quam clerum populumque fidelem dioecesis meae,* utpote cultui BMV. cuius taumaturga imago quoque in celeberrima Ecclesia Vetero-Montana intra dioecesim existit, peculiariter deditum, *affir-*

mativam dogmatis huius decisionem, utpote novum Matri Salvatoris nostri honorem addituram, cum gaudio excepturum esse. — In S. Cruce, 9 Oct. 1854. *Stephanus Moyses.*

1082. **Eppus Csanadiensis.** — Meam individualem convictionem quod spectat, haec indubitatum habet: *eam, quae electa fuit a Deo, ut de Spiritu S. novum Adam mundo ederet, nihil a primo Adam traxisse corruptionis, qua filia irae redderetur, quae datura erat Filio Dei carnem et sangvinem, quibus mundi scelus in cruce propitiaretur, expiareturque.* Si namque firmissime tenendum est, novum Adam Iesum Christum Deum incorruptam primi Adam naturam induisse, hancque talem tantum in divina persona hypostatice unitam ad opus redemtionis concurrere potuisse: *Divina Sapientia poscit immunitatem Matris Filii Dei a corruptione primi Adae in ipso conceptu omnipotentia Dei effectam,* alioquin nullo alio modo ob defectum Sacramenti Baptismi, quod nondum erat institutum, aut certe novo miraculo in instanti Annuntiationis BV. tantum efficiendam. Quod posterius cum dignitate Matris Dei componere nullo modo possum: ut quippe credam, mancipium daemonis vel uno momento fuisse, quae ad conterendum caput eiusdem ab aeterno fuit destinata, a principio praenunciata, gratia plena per Archangelum inventata et salutata. Cum denique sciam, semper hanc fuisse Patrum fidem in SS. Concilio Tridentino quoque saltem negative assertam: *firmiter teneo, me Verbo Dei scripto et tradito consentienter credere, Deiparam Virginem sine labe originali fuisse conceptam. Fidem populi* quod spectat, hanc explicitam, qualis mea est, equidem non requiro, *implicitam* vero *in universali, quae genti Hungarae plane priva et nationalis est, populi erga Deigenitricem pietate et cultu comprehendi, tuto asseram.* Formulam enim invocationis ‚Szeplőtelen Szűz Anya', quae in omnium ore versatur, ad immaculatum Mariae Conceptum omnes referunt, horrore sane corripiendi, si quisquam BVirginem filiabus Adae originali labe corruptis accenseret. Testantur id ipsum arae et statuae, notanter excelsa moles

in arce Temesvár sita, immaculate conceptam Virginem repraesentantes. — Makoviae, 12 Oct. 1854. *Alexander.* (Csajághi.)

1083. **Eppus Transilvaniensis.** Siquidem piae fidei et devotioni, qua universum Clerum omnemque populum dioecesis meae erga immac. B. Mariam Virginem Deiparam, usuatis apud nos quaquaversus precibus et canticis id palam enunciantibus, animatum expertus sum, innixus, et libertate a SS. D. N. Pio IX Pont. Romano cuivis Eppo data usus, *cultum divinum de immac. Conc. BMV. Pastoralibus ad universum Clerum die 25 Mart. 1854 dimissis pro dioecesi hac iam commendaverim imo praescripserim:* summo cum gaudio utor occasione mihi oblata, Eminentiam Vestram exorandi, *ut a Sua Sanctitate, cum congregatis ex omni Ecclesia Eppis hanc ipsam repraesentante, piam et universalem Ecclesiae de immac. Conceptione fidem instar dogmatis enunciandam, nomine Ecclesiae quoque Transilvaniensis efflagitare dignetur.* — Albae Carolinae, 12 Oct. 1854. *Ludovicus.* (Haynald.)

1084. **Eppus Cassoviensis.** Ad benignas literas omni cum promtitudine declarare festino, *me universumque Clerum ac fidelem populum dioecesis meae propensissime annuere, et congaudere omnibus, quae SS. Dominus una cum congregandis Ecclesiae Cath. Antistitibus quoad indubitatam Ecclesiae de immac. BVM. Conceptione fidem, atque augendum huius nostrae non secus ac D. N. I. C. Genitricis dilectissimae honorem decernere ac solemniter enunciare dignum et congruum viderit.* Quis enim meus meaeque dioecesis de hoc fidei obiecto sensus sit, semperque fuerit, clare demonstrant tres Ecclesiae publicae in gremio dioecesis existentes et honoribus imm. conceptae Deiparae dicatae; demonstrant arae laterales eiusdem tituli in singulis quatuor maioribus Urbis Cassoviensis Ecclesiis conspicuae; demonstrat magnifica, quae in meditullio Civitatis Cassoviensis nitet, statua colossalis, exhibens

eandem immac. SS. Virginem, ornatam gloriosis emblematibus contriti serpentis, cuius fraude noxa originalis invaluit, et qui eidem nocere numquam potuit; demonstrant pia cantica immac. Conceptionem celebrantia, quae populus pie et cum intimo solatii ac venerationis sensu concinere solet; demonstrat denique recursus noster, die 19 Mart. a. c. ad S. Sedem Apost. factus, in cuius consequentiam pro acceptissimo precum nostrarum implemento decretum S. Congr. Rituum referre meruimus. — Cassoviae, 12 Oct. 1854. *Ignatius Fábry.*

1085. **Recursus, de quo hic mentio fit, sequentis est tenoris:** Clerus omnisque populus Dioecesis Cassoviensis, cui me licet indignum Sanctitas Vestra praeficere dignata est, prout intima tenerrimaque erga SS. Virginem Mariam veneratione et devotione animatur, ita cum probe novit, quam magna ei fecerit qui potens est, et quam singularibus innumeris maximisque donis et gratiis eam, quae Dei Mater futura erat, distinxerit Altissimus, constanti et devotissima fide tenet: nullam in ipsa unquam maculam fuisse, cum qua Dominus semper fuit, et quae inter mulieres benedicta extitit; eandem proinde Deiparam ob privilegium Immaculatae quoque Conceptionis celebrandam et extollendam esse. Hoc certe sensu et affectu propensissimo concessionem illam, quam gloriosae recordationis Papa Benedictus XIII die 15 Dec. 1727 elargitus est, in usu constanti habuit, tenetque actu Dioecesis haec, et iuxta hanc universim in illa quibusvis extra Adventum et Quadragesimam Sabbathis non impeditis Officium Imm. Conc. BMV. recitatur, Missaque concernens celebratur. Quae cum ad altam Sanct. Vestrae notitiam perferre gestio, tum meo tum Cleri et populi dioecesani nomine Sanct. Vestram de genu flexo humillimis precibus et votis anhelis exoro, ut benignum Indultum, quo iam plurimae per orbem Ecclesiae gaudent, meae quoque praedictae Dioecesi elargiri dignaretur, quatenus in Praefatione Missae Conceptionis BMV. dicere: ‚Et te in Conceptione Immaculata', in Lytaniis autem Lauretanis post versum: Regina Sanctorum omnium, subnectere valeamus: ‚Regina

sine labe concepta.' Qua gratia aucti non desinemus intercessionem amantissimae huius Matris et Patronae exorare pro diuturna et prosperrima Sanct. Vestrae incolumitate, pro avertendis praesentibus Catholicae Ecclesiae indigentiis, et pro obtinenda conversione peccatorum. Cassoviae, die 19 Mart. 1854. *Ignatius Fábry.*

1086. **AEppus Fogarasiensis G. R. in Transilvania.** In obsequium gratiosissimae sub 3. curr. ad me datae, sed 12 solum perceptae provocationis, quo SS. Patris gloriose regnantis Summi Pontificis Pii IX, e tenerrima, qua in Matrem Dei ducitur, pietate dogma de immaculata eiusdem BV. conceptione in unanimi totius orbis Praesulum consilio stabilire desiderantis, intentioni convenienter, postquam iam universi Catholici Eppatus mentem hac de re exploratam haberet, ego quoque meam individualem circa hanc piam Ecclesiae fidem instar dogmatis enunciandam, Clerique et fidelis populi sensum per preces, cantica, etc. manifestari solitum adaperirem: *nihil cunctor Emin. Vestram certiorare, quod ego eadem piissima erga BVirginem et Dei Matrem ductus religione et veneratione, qua fertur universa Ecclesia Catholica, prout omnia eiusdem matris Ecclesiae dogmata sanctissime credo et confiteor, ita dogma de immaculata coelestis Virginis conceptione non absimili veneratione credam et confitear;* nam si desint alia, vel hoc unicum argumentum, quod ab Angelo Dei, dum conceptio Filii Altissimi communicaretur, BVirgo ,gratia plena' pronuncietur, me de immaculata etiam eiusdem Virginis conceptione ad sufficientiam convincit. Angelus enim, cui arcana Dei consilia hac in parte manifesta esse creditur, id etiam notum habere debuit, quod BVirgo, ut inhabitatio Verbi Domini esse possit, ab omni originali macula per gratiam Dei purgata merito ,gratia plena' dici potuerit. Sed non desunt plura, quae me in hac fide confirmant: dum enim in Vet. Foedere rubo ardenti sed non consumto, item scalae ad coelos pertingenti, uti et lanae Gedeonis iam madefactae, et siccatae aequiparatur, atque per haec plurimaque alia anticipa

praefiguratur SS. Virgo, non aliud innuitur, quam eandem purissimam et omni macula mundatam futuram esse. In hac eadem fide confirmor per Synodum Ephesinam Oecum. 3, in qua dum nefarium Nestorii de BVM. sola Christotochon vocanda dogma profligaretur, et genuina Ecclesiae Cath. fides eandem BVirginem Theotochon vocandam stabiliretur, hoc ipso innuebatur, quod Patres Ephesini de immac. BVM. conceptione convicti fuerint, secus Dei Mater ea dici non potuisset. Quod vero meus etiam Clerus et universus fidelis Romanus populus hanc eandem fidem sequatur, docent preces et cantica in honorem BMV. in Ecclesia G. C. usitata: huc faciunt oratio ad BV. Mariam ad Completorium his verbis incipiens: ‚Immaculata, intaminata, sine naevo et omni labe carens Virgo, te oramus etc.' inprimis vero duo officia, minus et maius, quorum prius a privatis quotidie, publice vero in quibusdam Ecclesiis in ieiuniis Assumtionis; alterum in festo Annunciationis et die Sabbathi quintae hebdomadae quadragesimalis magna cum solemnitate in templo recitari solent, quod omnis generis laudibus BV. refertum populum ad pietatem in SS. Virginem excitat. Accedit ad haec SS. aedium et ararum in honorem eiusdem SS. Virginis dedicatio, quae, ut dioecesanus exhibet Schematismus, ad Visit. Nativ. et Assumt. frequentissima invenitur; quod ad Conceptionem desit dedicatio, non defectus fidei quoad hoc dogma, sed quod dogma hactenus publicatum non fuerit, fecit: in futurum publicato dogmate non deero curare, ut in huius dogmatis memorialem conservationem aedes sacrae huic etiam mysterio dedicentur. Nunc siquidem tempus breve et urgens est, ad alia facta quoad meam relate ad hoc dogma fidem manifestandam proferenda memet extendere nequeo, breviter asserendo, quod meam cum omnibus Matris Ecclesiae Cath. Pastoribus quoad hoc dogma fidem velim coniungere, eamque ceu dogma catholicum meo et Cleri mei nomine individualiter enunciare. — Blasii, 13 Oct. 1854. *Alexander Sterka-Sulutz.*

1087. **Idem APraesul per Nuntium Apost. Viennensem Romam pro solemniis promulgationis dogmatis evocatus, rescribit:**

se iter hoc ingredi haud posse, ac una sensus suos de immac. Conc. denuo confirmat. Paternos eosque gratiosos Vestrae Eminentiae dd. 11 Oct. ad me dimissos ordines, medio quorum paterne notum reddere dignatur, quod SS. Pater indignae meae personae recordatus, humilisque sui in Christo servi ac filii memor, pro primis sequentis mensis Decembris diebus Romam ad Sacram Apost. Cathedram, ut et ipse solemni, universae Ecclesiae gaudium adferenti diuque exoptato actui, quo sententia super definitione de immac. conc. SS. V. Mariae Matris Dei ac D. N. I. C. per praeveneratam S. Sedem enunciando venit, interesse valeam, apostolica ac paterna benignitate invitare dignatur, ubi summam inexplicabilemque animi inter laetitiam die 19 Oct. veneratus fuissem: etsi paterna hac invitatione nihil animo iucundius, nihilque cordi meo acceptius accidere potuisset; toto namque terrestris vitae meae curriculo, ac vel maxime, ubi inscrutabili coelestis Patris iudicio, Sanctaeque Apost. Sedis sententia ad tremendam praesuleam in hac Fogarasiensi Gr. Cath. Dioecesi evectus fuissem dignitatem, nihil magis in votis habebam, quam SS. Patri, Ecclesiae universae Summo Praesuli ac Pontifici Pio IX, cuius erga exilem meam personam ac vel maxime erga concreditum mihi gregem, fidelemque G. Cath. Fogarasiensem Clerum plusquam paternam expertus sum gratiam, debitum filiale in persona obsequium praestare, nihilque desideravit anima mea ardentius, quam Principis Apostolorum, quo dignus mundus non erat, sacras reliquias indignis labiis pioque osculo venerari: nihilominus tamen animi maximo cum dolore Emin. Vestrae aperire necessitor, me ingentis huius gaudii spiritualisque tantae felicitatis hac vice participem fieri non posse. Etenim 1. longiori iam a tempore aegra nimis laborans valetudine, pluribus licet oppressus Cleri mei gubernandi curis, lecto affixus manere debui, et vix tres numero dies, a quo superno coeli auxilio, medicorumque sollicita cura ad id perductus sum, ut negotiorum filum denuo debilitatis manibus arripere possim. Ast 2. etiamsi inter carnis infirmitates spiritum adeo promtum haberem, ut longissimi itineris molestias non reformidarem, praeparationis tamen tempus iam adeo breve esse video, ut pro praefixo ad sanctum actum termino

vix me comparere posse praevideam. Eapropter Emin. Vestrae paternam gratiam demissis precibus exorare sustineo, quatenus pro ea, qua semper me consolari dignata est, benignitate, dignetur penes venerandae sacratae filiale osculum non solum fundatam hanc meam excusationem, sed insimul homagiale etiam intimaeque filialis subiectionis obsequium SS. Patri Apostolicum ante thronum deferre. Quod autem meum Clerique mihi concrediti circa fidem de immaculata SS. semperque Virginis Matris Dei Conceptione sensum attinet, per Suam Eminentiam Card. Primatem Hungariae ad dandam solemnem in merito declarationem provocatus, id etiam praestiti, Suam Eminentiam demisse rogans, ut meo meique Cleri nomine pro enunciando de immaculata Conceptione fidei articulo votum depromere dignaretur: quod ipsum Vestra Eminentia e demisse advoluto meae relationis apographo uberius nosse dignabitur. Ipse interea dum non cessarem ardentibus votis indesinentibusque precibus Patrem coelestem orare, quatenus Sanctos Ecclesiae suae Patres in nomine Domini ad SS. Deiparae honorem augendum congregatos Spiritus sui Sancti gratia ac virtute adumbraret, me Clerumque meum benignis etc. Blasii, 13 Oct. 1854.

1088. **Eppus Eperiesiensis G. R.** (Ad Nuntium Vindob.) Pro tota residua vita conturbatus est animus meus, dum me Eminentia Vestra gratiosissimis dd. 11 curr. mensis literis, et indicato momentosissimo incidenti ad iter Romam suscipiendum nomine Suae Sanctitatis provocare dignata est. Sicut enim SS. D. Nostrum ut in terris Christi Vicarium qua devotissimus filius summa animi submissione veneror, ita numquam gratius promtiusque atque hac rarissima occasione, *qua* scilicet *Eppus Graeco-Catholicus semper intime fotam de immaculata Conceptione SS. Genitricis V. Mariae fidem meam, non solum meam, sed universae Orientalis Ecclesiae piam fidem, in Euchologiis eiusdem et SS. Patribus luculenter expressam, etiam coram ac in praesentia et corpore Epporum orbis palam solemniterque profiteri potuissem,* ad vocem SS.

Patris memet obsequentissimum exhiberem, nisi critica, Eminentiae Vestrae haud ignota, status mei adiuncta, quae vel domi quotidianam victitationem perplexam efficiunt, iter hocce parte ex mea impossibile redderent. Pro qua itaque benigna SS. D. N. provocatione sacros pedes exosculor, dumque ceterum me semper obedientissimum filium et S. Romanae ac Apostolicae Ecclesiae ad extremum usque vitae halitum in omni eiusdem doctrina et professione fidei coniunctissimum profiteor, apostolicam Suae Sanctitatis pro me, Clero et fideli populo dioecesis meae in devotissima observantia imploro etc. — Eperiessini, 15 Oct. 1854. *Iosephus Gaganetz.*

1089. **Eppus Weszprimiensis.** *Pia illa fides, qua ego, Clerus ac fidelis populus meus Deiparam V. Matrem peremtoris peccati et mortis, e singulari privilegio immaculate conceptam profitemur*, amplius se manifestat per preces atque cantica, in ore fidelium resonantia, imaginesque honoribus immac. Conc. eiusdem Virginis dicatas, quae tot cumulata honorum titulis, gratiae inventrix, mediatrix salutis, seculorum restauratrix, electa ex omnibus, praelata est omnibus. *Libenter cuncti gloriosae Reginae Virgini hunc tribuimus honorem, sanctum tenentes, Conceptionis eiusdem solemnem e voto nostro decisionem sanctae atque auctoritatis pondere insigni Romanae Sedi reservantes.* — Weszprimii, 13 Oct. 1854. *Ioannes Ranolder.*

1090. **Eppus Vaciensis.** (nostra indignitas.) *Beatissimam Deigenitricem Virginem Mariam absque labe peccati originalis conceptam fuisse numquam non pia fide tenui. Atque ideo mox post capessita dioecesis Vaciensis gubernacula* in nexu Encyclicarum per SS. D. N. sub 2 Febr. 1849 ad cunctos orbis cath. Eppos hoc in merito dimissarum, *novum illud Officium cum cohaerente Missa, quod de imm. B V. Conceptione iussu S. Sedis Apost. pro parte Cleri Romani editum praescriptumque fuerat, ad usum dioecesis meae typis vulgari feci,*

ac recitationem illius ad maiorem Dei gloriam, promovendumque SS. Virginis, Matris nostri amantissimae cultum *Clero dioecesano impensius commendavi. Sed et Clerum populumque fidelem dioecesis meae parem mecum in hoc negotio tenere sententiam* luculentissime loquuntur complures Ecclesiae, arae, ac statuae, quae in dioecesi ista in memoriam ac honorem sine labe conceptae BV. erectae existunt. *Quemadmodum igitur mihi, ita Clero etiam fidelibusque dioecesis meae nihil svavius ac iucundius evenire poterit, quam si piam orbis catholici de immac. SS. V. Mariae Conceptione fidem solemni Ecclesiae atque S. Sedis Ap. iudicio pro dogmatica veritate declaratam, et definitam* taliterque ardentissimum cordis nostri desiderium impletum esse intellexerimus. — Vacii, 19 Oct. 1854. *Augustinus.*

1091. **Eppus Iaurinensis.** — Ego inde a teneris et a quo mente comprehendere coepi, quid manus ad coelum attollere, Deum colere, Deiparam V. et Divos pie invocare significet, electam Divini Salvatoris Matrem ab omni, quae Adae posteris adhaeret, originalis peccati labe immunem esse didici, credidi, et professus sum. Adhuc puerum sacer me invasit horror, dum audirem, quid Lutheri asseclae, concives mei, quos numeri et opum praefidentia non raro insolentiores reddit, impie et irreverenter de BV. pronunciare non verebantur. Maturior aetate et ingenio, inveni: in eadem, quam tenui, fide parique cultu catholicos ubivis convenire, nec uspiam alium aut diversum sensum de immac. Conc. BMV. expertus sum. Et fateor, mihi adhuc in minoribus constituto disciplinarum theologicarum auditori eam partem praelectionum, quae in recensendis controversiis et disputationibus inter diversorum Ordinum Religiosos de imm. Conc. BMV. obortis ac institutis versabatur, ingratam molestamque semper visam fuisse: *tristi* nempe *animo intellexi, licuisse aliquando de dignitate hac Deigenitricis, quae supra humanam conditionem animam et corpus sanctificatum nacta est, libere disputare, ubi tamen ss. incarnationis mysterium hanc suapte involvit conditionem, ut Filius Dei ex Virgine nasceretur, quam aeter-*

num divinae misericordiae decretum a labe Evae exemtam reddidit, ideo inter Adae posteros nec numerandam. Hanc certe praerogativam exigebat Augustissimae Matris dignitas, ad quam BV. praedestinabatur; exigebat Dei in utero virginali tabernaculum sibi praeparantis Maiestas, exigebat denique Filii in Matrem divinus amor et observantia singularis. Unde idem constanter de imm. Conc. Deiparae sensi, cuius equidem cultui occasione adepti SS. Theologiae Doctoratus iuratam fidem lubens laetusque obstrinxi. In huius fidei et cultus argumentum Officium de imm. Conc. BV. in dioecesi mea solemnius reddidi, praescribendo, ut pluribus, quam antea recurrebat, vicibus recitaretur. *Hanc* denique *fidem, quam SS. Irenaei, Ambrosii, Anselmi et Bernardi fuisse nullus dubito, ita profiteor, ut impium fore censeam aliter de BMV. sentire, quam una cum Clero omnis sentit tenetque fidelium coetus, atque hinc de fide catholica esse profiteor, credere, incarnatum Verbum ex Virgine natum esse, quam a labe originalis peccati immunem esse oportuit; contrariam autem doctrinam nec honorificam fore Sponsae S. Spiritus, neque cum pietate erga Deiparam V. conciliari posse, atque adeo catholicam nullatenus dici haberique posse persvasum teneo.* Quod superest, testes fidei et cultus de imm. Conc. BMV. apud Clerum et populum fidelem vigentis, Professores Lycei mei adhibeo, quorum relationem hisce substerno. — Iaurini, 16 Oct. 1854. *Antonius Karner.* — **Adnexa relatio Professorum:** Infrascripti Professores Lycei Eppalis Iaurinensis quoad piam hucadusque vigentem Ecclesiae Cath. de immac. BMV. Conceptione opinionem provocati, non ut doctrinam hanc argumentis evincant theologicis, sed nonnisi, ut quidnam de Cleri dioecesani populique fidelis sensu eatenus ipsis innotuerit, paucis referant, hisce praesumunt, quod ipsis desuper videtur, fideliter exponere. Quantum nobis constat, *avita viget inter dioecesis nostrae sacerdotes, imo et apud universum gregem dioecesanum fides de immac. concepta Virgine Deipara, quae fides semet* — ut nihil dicamus de multis imaginibus sculpturisque quaquaversus in ecclesiis, in foris viisque publicis ad oculum eam contestantibus, item de festo imm. conc. per universam dioecesim celebrari et officio praescripto recitari solito — *vel maxime eo conspiciendam praebet,*

quod in dioecesi nostra Cleri populique peculiaris inclinatio in piam opinionem hanc proxime ceu dogma enunciandam observetur, vel exinde quoque elucens, quod in Litaniis et Canticis ubique locorum BV. velut imm. concepta salutetur atque interpelletur, quodve speciatim in Urbe Iaurinensi numerosa Confraternitas vivi Rosarii nec non SS. imm. cordis Mariae a longissimo iam tempore existat, de praesenti in alia quoque dioecesis loca quamplurima diffusa. Confraternitatis huius membra praeterquam quod in honorem purissimae et immaculatae Matris Dei conciones saepius per annum dicendas et devotionem quotidianam introducendam duxerint, librum quoque precatorium typis vulgaverant, cui titulus: ‚Az élő lelki Rózsafüzér és a boldogságos Szűz Mária szeplőtelen szent Szivének tisztelete.' Qui libellus per populum fidelem quanti aestimetur, vel inde apparet, quod ille germanico hucdum tribus, hungarico vero idiomate quinque iam vicibus procudi debuerit. Perinde aestimatus et adamatus in dioecesi nostra extat alius libellus antiquior sub titulo: ‚Makula nélküli Szent Tükör,' idem suppeditans pro avita persvasione dioecesanorum nostrorum argumentum. Iaurini, 15 Oct. 1854. *Franciscus Hupka. — Iosephus Mayrhofer.*

---

2. *Pro decisione conditionata.*

1092. **AEppus Colocensis et Bacsiensis.** — (a. 1852 regimen capessens.) Quamvis piae memoriae Antecessor meus erga benignam Suae Sanctitatis provocationem festo Purif. 1849 ad omnes orbis cath. Praesules dimissam intuitu quaestionis de imm. conc. BMV. mentem suam, sui item Cleri ac fidelis populi sensum S. Sedi Ap. iam substraverit: cum tamen Eminentia Vestra Deo dante Romam proficisci intendat, inibi de Hungaricae Ecclesiae avita fide testimonium perhibitura, idcirco piis Eiusdem votis satisfacturus, quid ipse hac de quaestione teneam, qualemve in Clero et populo dioeceseos meae eatenus sensum observaverim, ea qua par est in Dei et omnium nostrum amantissimam Matrem

pietate ac veneratione paucis referre festino. Et quod me quidem concernit, *BMV.* ceu electae aeterni Patris filiae, Verbi Incarnati Genitricis, Spirius S. Sponsae, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias, cuius apud Deum precibus et meritis nos adiuvari mente et spiritu devotissime poscimus, et ex qua ortus est sol iustitiae Christus Deus noster, *Conceptum omnino immaculatum atque ab omni prorsus culpae originalis labe immunem fuisse pia fide teneo,* ex animo gratulans, quod tacita haec Ecclesiae fides a nemine, qui catholico censetur nomine, nostris temporibus impugnetur. Quantum vero ad Cleri populique mei sensum attinet, hunc haud minore zelo, pietatis ac venerationis fervore BMV. prosequi, eiusdemque Conceptionem pro immaculata tenere eo tutius et certius asseverare possum, quo luculentiora eatenus mihi praesto sunt documenta. (Repetit enunciationem Antecessoris, quam paulo superius retulimus.) — Ut adeo tuto affirmare queam, catholicum dioecesis meae cuiuslibet labii populum, omnem fiduciae suae rationem in SS. Virgine collocare, ac inter ceteras, quas in Deipara veneratur, eximias virtutes de praerogativa quoque immac. Conc. iamdudum ita persvasum esse, *ut verendum sit, ne quaestionis huius solemni decisione et publicatione ceu insolita quapiam novitate haud leviter conturbetur.* Ceterum *quid hac in re expediat, quidve respectu Ecclesiae universalis temporum adiuncta svadeant, id SS. D. Christi in terris Vicarii sapientissimum decernet iudicium, quod una cum Clero et populo meo ea qua oportet pietate sum amplexurus.* — Colocae, 11 Oct. 1854. *Iosephus Kunszt.*

1093. **Eppus Scepusiensis.** — *Populus fidelis* quamquam sicuti toto regno ita in his quoque partibus SS. Deiparae V. toto corde devotus atque ad exhibendum ei cultum post Deum supremum propensissimus sit, *credit universim in hac materia, quod per sacerdotes docetur; sacerdotes vero ad dogmaticam rei pertractationem se immittere non solent, contenti praedicare, BMV. esse gratiam plena, cui nulla gratia, qua Dei Matre digna redderetur, defuerit, ac deesse potuerit,*

adeoque Virgo sine omni labe ante partum, in partu et post partum perstiterit. Erant animarum curatores, qui dum de materia hac festo potissimum Conc. BMV. pro concione dissererent, ipsum eius conceptum immaculatum fuisse affirmarent, idque velut et Matre Dei dignissimum et Sapientiae Divinae convenientissimum provocatis in rem SS. Patrum testimoniis probare adniterentur; ceterum ob idipsum, quod in Catechismo regnotenus pro scholis normalibus praescripto doceretur, sine labe peccati originalis V. Mariam conceptam credi pia duntaxat fide, non item e positiva Ecclesiae doctrina, plerique Sacerdotes in praedicanda laude BMV. ultro progressi non sunt, quam quod missa distinctione inter immac. conceptum et sanctissimum ortum, sive Nativitatem BMV. saltem eo adlaborarunt, ut eam ceu sanctissimam, intemeratam, nulla peccati labe inquinatam, Virginem ac vivum Spiritus S. sacrarium cultui fidelium exhiberent, simul vero docerent, illum demum cultum BMVirgini esse gratissimum, et fidelibus salutarem, ut quod hi in ea laudibus celebrarent, moribus etiam propriis imitari studerent. *Me quod attinet,* quamquam in catecheticis institutionibus inhaerendo thesi in Catechismo expositae, docerem iuventutem, Ecclesiam nondum definivisse, quod BVM. sine labe peccati originalis concepta sit, tamen *piam sententiam eorum magni nominis in Ecclesia Doctorum, qui Deiparam sine omni peccati noxa conceptam crederent,* eo animo *complexus sum,* ut qui me de hac materia seu in institutione catechetica, seu pro concione e sacro suggestu loquentem audirent, certum haberent, intimam esse meam de eo persvasionem, Beatissimam Dei Matrem non modo a nativitate sed ab ipso conceptu sanctam et immaculatam esse. Interim negare haud possum et id, quando testimonia ex adverso eorum SS. Patrum, quorum et doctrina in Ecclesia Dei celebratissima, et pietas, (uti S. Thomae Aquinatis Doctoris Angelici) plane eximia est, legeram, me, quemadmodum dolueram non unam fuisse omnium Ecclesiae Doctorum conformem et quidem doctrinae de immac. Conc. BVM. faventium omni tempore sententiam, ita nunc quoque *nonnulla anxietate teneri, ne dogmatica assertio imm. Conc. BMV. ea forma locum haberet, quam si tenera conscientia hactenus sine peccato aliter*

sententiam non perferret, tale obsequium ab illis desideretur, quod primo tempore saltem ex intima persvasione praestare vix possent, sic vero utut toto corde et S. Matri Ecclesiae adhaererent, et essent BMV. cultores devotissimi, periculo renitentiae in credendo, quod conscientiae adversum esset, exponerentur; hoc vero facto ulla occasio detur in tantis praesertim inquietudinis elementis in ipsa Ecclesia non dico tumultum sed aliquem animorum motum excitandi. *Sacerdotes dioecesani* quamquam teste relatione Vicarii Generalis Capitularis SS. Patri 3 Apr.1850 substrata propensissimum animum cultum BMV. quo amplius promovendi enunciaverint, atque populum fidelem in colenda BV. Deipara studiosissimum declaraverint: tamen *an positive etiam sive dogmatice cupiant, doctrinam de imm. conc. stabiliri, dubitari potest exinde, quod dum novissime Clerus dioecesanus provocatus fuisset, ut cui videretur ad Societatem sacerdotum Coronae Aureae in honorem potissimum immac. conceptus BMV. institutae sese inscriberent, hoc fine vix una sexta pars totius Cleri se insinuaverit:* qui ipse inexpectatus provocationis meae exitus per quemdam e Sacerdotibus dioecesanis ita mihi explicitus est, videri sibi expectare plerosque oraculo Summi Pontificis solemnem hac in re sententiam, hoc facto sperari accessuros plures ad praedictam Societatem, cuius nunc adhuc membra fieri non festinaverint. Idem ipse sacerdos, quum metum suum in eo aperuisset, ne debiles in fide catholici, quales multi hoc aevo reperiuntur, inprimis in medio Protestantium viventes, enunciatione dogmatica de immac. conceptu BMV. in errorem abducantur eum, quasi super quo permittente Ecclesia antea differentes fuissent ipsorum catholicorum sententiae, nunc ipsa Ecclesia dogma novum condere videretur traditione vetustatis minime eliquatum, quamvis charactere, quod semper et ubique creditum fuisset, communitum. Ideo idem sacerdos etsi certum haberet, Ecclesiam Dei in proponenda fidelibus ad credendum doctrina promissa Spiritus S. assistentia usuram, tamen non potuit se continere, quin desiderium suum in eo mihi manifestaret, providentiae, quam Ecclesia aliis similibus occasionibus adhibuit, videri nunc quoque tribuendum id, *ut a pariformitate dogmatis circa cultum Sanctorum, abstinendo ab enunciando anathemate*

in eos, qui immac. conceptum BMV. non crederent, enunciatio Ecclesiae hac forma exprimatur: bonum et pium esse credere, BM. Virginem sine labe peccati originalis esse conceptam. Ad eum locum fine conferendi gravissimi sane negotii Eminentia Vestra per S. Sedem Ap. evocatur, quo etsi non multi numero, sed praecipui Praesules orbis cath. ac tales conventuri sunt, qui adaequata notitia super sensu confratrum Epporum et eis concreditorum sacerdotum et fidelium instructi, vocationi suae sic responsuri sunt, ut non minus sensum suum, quam eorum, pro quibus causam dicturi sunt, enuncient. Salutare sane a SS. Patre susceptum consilium fuit, cum simultanee indicta supplicatione Iubilari praecipuarum Ecclesiarum Eppos orbis in praemisso obiecto Romam evocare, atque eorum sententiam expetere. Aderit profecto Princeps Pastorum Christus Dominus Numine Spiritus S. quo illustrati venerabiles Patres in intima consensione cum Summo Capite proferent sententiam cum Deo et pro Deo sic augendae gloriae BMV. proficuam, ut sit simul fidelibus Ecclesiae salutaris. Polliceor nomine totius Cleri populique Scepusiensis, indesinenter hoc scopo nos pias preces ad Deum Patrem luminis fusuros, nec prius ab eo deprecando inter opera poenitentiae et fructus renovationis spiritus destituros, quam certo nuntio intelligamus, opus Deo auspice susceptum etiam feliciter consummatum esse. Defert Eminentia Vestra ad S. Sedem Ap. sensum nostrum de cultu BMV. eiusque immaculato conceptu, dignetur simul interpretem eo loco agere intimae nostrae erga eandem S. Sedem adhaesionis et venerationis, qua urgente uti in antecessum credimus adiuvante Spiritu S. sententiam in memorato obiecto oraculo Summi Pontificis et assistentium Praesulum proferendam fore salutarem, ita eam postmodum summa pietate ceu nostram complectemur, atque ut ea sit communis omnis cleri et populi fidelis, sollicite curabimus. — Scepusii, 10 Oct. 1854. *Ladislaus Zaboyszky.*

---

3. *Contra definitionem.*

1094. **Eppus Albaregalensis.** Ad limina S. Petri Principis Apostolorum in gravibus Ecclesiae Christi negotiis Eminentia Vestra proxime profectura, ut de avita Ecclesiae Hungaricae circa immac. BV. conceptionem fide testimonium perhibere possit, et meam individualem circa hanc Ecclesiae fidem instar dogmatis enunciandam convictionem, cleri item et populi fidelis sensum exquirere dignabatur. *Quae possit alia individualis circa immac. BV. Conceptionem mea convictio esse, quam fuerit semper ea ubique pia Ecclesiae Catholicae, inprimis Hungaricae, fides et doctrina: purissimam Dei Matrem a primigeniae noxae maculis semper liberam fuisse.* Haec est tenerrima animi mei convictio. Ipsa enim per hoc, quod Dei Mater sit, excedit omnem sanctitatem ac maiestatem, quae post Deum dici aut cogitari potest. *Haec est etiam Cleri mei, haec est populi fidelis dioecesis meae de immac. BMV. Conceptione,* tenerrima, publicis ac privatis devotionibus ac institutis, monumentis ac documentis semper eadem ratione demonstrata *fides et pietas, ut adeo et Clerus stuperet quaestionem Scholae ad publicitatem Ecclesiae translatam, et populus attonitus miraretur pretiosissimum hunc devotionis suae in SS. Dei Matrem thesaurum quasi in dubium vocari.* — Albae-Regiae, 10 Oct. 1854. *Emericus Farkas.*

1095. **Eppus Sabariensis.** (a. 1853. cathedra potitus.) — Dum in omnibus suis institutis sancta et infallibilis Ecclesia Cath. *festum Conceptionis BMV.* instituit, illudque a cunctis Christifidelibus religioso ritu solemniter celebrari voluit: hoc suo facto una etiam fidem suam de qualitate Conceptionis BMV. edixit, Beatam utpote Mariam totam pulchram et sine macula originali conceptam esse; *blasphemum* quippe *foret, originali labe foedatam Conceptionem pro obiecto publico pietatis et solemnis religiosi cultus constituere. An vero hanc Cleri et populi fidem, iugi cultu et pietate expressam, insuper expediat nostris temporibus instar dogmatis catholici pronun-*

ciare, alia quaestio est. Oeconomiam Ecclesiae Cath. eam semper fuisse constat, ut solemniter nonnisi illa religionis nostrae capita definirentur et articulariter proponerentur, circa quae haeretica quaepiam contentio suscitata est, ob quam metuendum erat, ne, si illa indefinita maneret, exinde fidei catholicae sinceritas et integritas labefactetur. An in praesenti orbis christiani statu istiusmodi periculum subversetur, mihi quidem non constat. — Sabariae, 10 Oct. 1854. *Franciscus Szenczy.*

1096. **Eppus Rosnaviensis.** — Quemadmodum omnium seculorum traditione ad nos propagatam atque per totum catholicum orbem disseminatam *piam de Matre Dei sine labe concepta opinionem cuncta dogmaticae veritatis requisita habere,* imo eam cum SS. Incarnationis mysterio intime cohaerere, atque eorum, quae de BV. totius antiquitatis sensu, ipsa auctoritate Ecclesiae suffragante, praedicantur, attributorum saltem naturalis postulati rationem habens complementum esse, persvasus sum: ita parte ex altera *anceps haereo, an id, quod Ecclesia Catholica tantorum seculorum intervallo,* etiam tunc, dum pia haec opinio inter celeberrimos Theologos materiam publicis praebuit pro et contra disputationibus, *indecisum reliquit, nunc praeter omnem, quae id imperiose postularet, ansam, fide dogmatica credendum enunciare expediat?* Cum teste historia certum sit: veritates dogmaticas per Ecclesiam haud secus, quam dum eae cum pertinacia haeretica impugnabantur, aut in dubium vocabantur, luculentius explicari, atque ad fidem dogmaticam elevari solitas fuisse. Vereor porro, ne serotina idmodi Ecclesiae hoc in obiecto enunciatione populus fidelis, cuius captum subtilitates dogmaticae superant, quive hactenus in sua simplicitate Matrem Dei absque macula conceptam esse pia fide credit, quadamtenus perturbetur, e contra vero numerosis Ecclesiae hostibus hanc eiusdem in declaranda fidei doctrina auctoritatem nova sugillandi occasio praebeatur. Ceterum Spiritus S. cuius providentia Ecclesia Dei gubernatur et regitur, suggeret Patribus in Domino congregatis, quidnam in hoc fidei obiecto pro glo-

ria Omnipotentis Dei et Beatissimae Virginis Matris cultus augmento statuere, expedientissimum videbitur; orbis vero catholicus cum reverentia suscepturus est, quidquid eatenus divinitus constituto veritatis oraculo definitum enunciatumve fuerit. — Somodini, 11 Oct. 1854. *Iosephus Kollarcsik.*

1097. **Card. AEppus Strigoniensis praemissas Praesulum literas Summo Pontifici exhibet Romae.** 1854. Penes homagiale pedum osculum non possum non super eo dolorem meum pandere, quod pervolvendo Indicem Declarationum super pia fide Ecclesiae de immaculate concepta Deigenitrice V. Maria, ex 26 Eppis Hungariae solum IV Epporum, quippe *Colocensis,* meam qua Eppi *Quinque-Ecclesiensis, Sabariensis* et *Vicarii Capitularis Agriensis,* declarationes repererim. In tantillam exculpationem neglectus huius sustineo memorare, 16 Eppos e 26 Eppis Hungariae iam post annum 1850 ad Cathedras Eppales esse promotos, proinde esse tales, ad quos Sanctitatis Vestrae provocatoriae ex Caieta literae non pervenerunt. Ad notabilem hunc, quem praesupposui, hiatum explendum, in humilitate Sanct. Vestrae manifesto, me capto cum fine praet. m. Septembris horsum Romam proficiscendi consilio, omnes Hungariae Eppos scripto provocavisse, ut mihi tam suam de immaculate concepta Beatissima Dei Matre convictionem, quam et Cleri ac populi fidelis sensum quoprius perscribant. Usque meum die 19 Octobr. Strigonio discessum accepi nomini meo inscriptas 13 Epporum declarationes, quas reverenter adnecto. Sunt aliquot ex his Eppis, qui in quaestione opportunitatis adhaerent: nullus tamen est, qui doctrinam de immmac. concepta V. Maria suo, Cleri sui et fidelium nomine non profiteretur, et quoad opportunitatem solvendae quaestionis non subnexuisset: se casum in illum, si Sanct. Vestrae visum fuerit, nunc dogmatice veritatem enunciare, non tantum reverenter et obsequenter sententiam recepturos, sed eandem quoque propugnaturos et fidelium animis inculcaturos. *Loquere itaque, Pater Sancte, et, quod procedet de ore tuo, illud ut vere Verbum Dei suscipiemus.* — Romae, 10 Nov. 1854. *Ioannes Card. Scitovszky.*

1098—1105.

Responsa ex Graecia ad Encyclicam Pontificiam. a. 1849.

1098. **Eppus Chiensis.** — Fortunam dicendi habeo, *quod Clerus et populus Dioecesis meae peculiari devotione erga Immaculatam Conceptionem Dominae Nostrae amabilissimae sint animati.* Populus multum offenderetur, si per quemcunque in dubium vocaretur, Dominam Nostram fuisse Immaculatam conceptam. Clero erit res admodum grata scire, quod Sanctitas Domini Nostri definierit qua veritatem fidei, Matrem Dei fuisse conceptam Immaculatam. Dignetur Sanctitas Vestra firmum fixumque habere in hoc obiecto sensum meum, servi sui indignissimi. Non mereor honorem istum, in probam tamen perfectae meae submissionis ad minimum etiam nutum veri Iesu Christi Vicarii, et mei capitis, transeo ad humillime exponendum, quod mihi super propositione, cor meum dictat. Sanctissime Pater! honorem habeo enunciandi, *quod si unquam Domina Nostra, Beatissima Virgo, debuisset cum macula peccati originalis concipi, idque impedire a me dependisset, etiamsi cum propriae vitae sacrificio, tale cum solatio tulissem.* Iam nunc, si misera creatura, qualis ego sum, quia diligit hanc Dominam, ad tale quid fuit disposita, ratio nos urget affirmare, quod multo magis voluerit eam a macula hac praeservare Deus, qui eam delegit in Matrem, idque tam respectu sui, cum sit sanctitas ipsa, quam secus ne dilectissima sua Mater privetur satisfactione, qua intueatur se videatque, quod semper fuerit munda et pura a quocunque peccato. Progredior ultro dicens: *si scirem, quod vita mea posset retardare vel modicum, ut a S. Matre Ecclesia decernatur, esse articulum fidei, quod Domina nostra sit Immaculata concepta, libenter praeberem assensum ad perdendam illam.* Debeo esse certus, quod Sanctitas Vestra pro amore, quo erga Dominam Nostram Immaculatam fertur, mihi admissura sit, clementiam Eiusdem implorare respectu alterius rei, quae maiorem constituit eiusdem Reginae nostrae amabilissimae, Virginis Beatissimae, gloriam. Haec vero est: quod, si Sanctitas Vestra congruum iudicaret, ut titulus Immaculatae insera-

tur Liturgiae, cum Pontificia facultate posset inseri in oratione *Libera nos,* quae dicitur immediate post *Pater noster,* subnectendo verbis *semper virgine* illud: et *Immaculata.* — Scio, 3 Maii 1849. *Ignatius Iustiniani.*

1099. **Eppus Sanctorinensis.** — Debeo et possum Sanctitatem Vestram assecurare, quod huiatum Dioecesis meae Catholicorum erga Sanctissimam Mariam devotio sit magna et signanter de Conceptione eiusdem, cuius festum celebratur solemniter cum Missa Pontificali, adeo, ut asserere possim, quod fere omnes ad Sacramenta Poenitentiae ac Eucharistiae accedant non solum, sed Conceptionem Sanctissimae Mariae considerent tamquam articulum fidei. Istud est, quod respicit Catholicam Dioecesis meae impopulationem. Quod concernit Capitulum meum et Clerum, ut pauci sumus, sic parvum poterit habere pondus opinio et obtutus noster. Nihilominus conveniens esse indicabam convocare Capitulum et Clerum meum, et in eorum praesentia legendas curare Apostolicas Literas, quibus lectis et ab omnibus auditis, adplausum est, ac una supplicitum, ut Vestram Beatitudinem assecurem de eorum devotione ac adhaesione erga S. Sedem Apostolicam et Sacram Personam Pii IX. Sed quamquam devotissimi erga Immaculatam Conceptionem Sanctissimae Mariae, non censent convenire calamitosis his universalis convulsionis temporibus decidi causam Conceptionis. Orator, aliorum etiam nomine locutus, dixit etiam inter alia, ut causa Immaculatae Conceptionis maneat indecisa, quia devotio populi erga Immaculatam Conceptionem Sanctissimae Mariae est bene fundata, decisio autem et enunciatio dogmatis esset fors obstaculo, si tractaretur de unione cum graecis schismaticis, quum argumentis claris Scripturae et Patrum probari non possit, sed solum de congruentia; tantum dixit idem Canonicus. Si enunciasset suscitandas novas cum protestantibus quaestiones, remissibile foret, sed pro graecis nec video proximam unionem, nec quia ullum ius habent, quia graeci credunt et celebrant festum quando S. Anna concepit Beatis-

simam Virginem, atque istud est, quod dicunt et credunt etiam Catholici. Quod dein Patres desuper locuti non sint, respondeo, quia eorum tempore non occurrit occasio loquendi de Immaculata Conceptione; sed forsan siluerunt? an non sunt locuti, declarando et nominando Sanctissimam Mariam Theotocos, seu Matrem Dei? quod tantum est videre meo, quam affirmare Immaculatam illius Conceptionem, quia Ecclesia in variis novis doctrinis locuta est et decrevit, quid credendum sit, in Conciliis generalibus. Implenda dein mihi est altera et ultima pars mihi commissorum; ut minimus inter fratres, expono et dico, quod sentio, et credo etiam, quamvis, ut supra dixi, alter asserat non reperiri in Scriptura argumenta et probas claras, nec Patres posse adduci, sed solum de congruentia; nihilominus pro me *video tantam convenientiam et congruentiam in ipsa Scriptura, eiusque praecisionem et claritatem tantae esse evidentiae, ut omnem intellectum humanum stringere debeat ad concessionem Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Mariae.* Ab Archangelo Gabriele vocata est gratia plena, assecurata quod virtus Altissimi seu quod omnes tres personae Sanctissimae Trinitatis concurrerint ad complendum mysterium Incarnationis Verbi aeterni; et ille, qui promisit integritatem virginalis suae puritatis, cum debuerit fieri Mater Salvatoris, eam etiam exemit et liberavit a macula originalis peccati, ab eo momento, quo Aeternus Deus in decretis divinae suae providentiae decrevit Incarnationem Aeterni filii sui pro redemtione generis humani; inde est quod infernali serpenti intimaverit, *Ipsa conteret caput tuum* (Gen. c. 3.) Capite dein 8. Proverbiorum legitur: *nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram.* Pressis silentio Isaia et aliis Prophetis, id solum dico, quod ipsa Sanctissima Maria dicere scivit in aureo suo Cantico, *fecit potentiam in brachio suo* etc. Deus Omnipotens divino suo brachio, et non digito, fecit eam dignam et plenam gratia, ut sit Mater Iesu Christi; quia rationi repugnat, et Matri Dei iniuriosum est supponere, quod vel uno instanti fuerit maculata originali culpa. Maria ergo est plena gratia, et ubi est gratia, non potest locum habere peccatum. Maria est mater viventium, sicut Eva mater mortuorum: quomodo unquam subsistere poterit vita cum

morte, gratia cum culpa, seu peccato? Haec est brevibus fides mea, istud est quod credo et sentio de Immaculata Conceptione Mariae Virginis; et *iudico et credo quod possit et debeat Sancta Romana Ecclesia pronunciare solemne iudicium, declarando Immaculatam fuisse Conceptionem Mariae Sanctissimae.* — Sanctorini, 17 Maii 1849. *Franciscus Cuccella.*

1100. **Eppus Syrensis una Delegatus Apost. Graeciae.** — Equidem ut filius Seraphici Ordinis ab adolescentia mea BV. sub titulo ‚sine labe originali conceptae' maxima qua potui devotione colui; quod etiam praestiti, cum nullis meis meritis Superior electus fui Conventus Smyrnarum Ord. nostri, postea Conventus CPleos, quae Ecclesiae in honorem Imm. Conc. sunt dicatae. Demum Eppus Administrator huius dioecesis ab Ap. Sede electus — ipso die Conceptioni Deiparae sacro ad hanc insulam appuli: in qua inveni etiam oratorium publicum eidem BVirgini sub praefato titulo dicatum, ubi celebratur quotannis ipsius festivitas maximo Cleri populique concursu, cum ibidem erecta sit pia sodalitas in honorem immac. Conc. BVirginis; ad cuius maiorem gloriam sex circiter abhinc annis Rev. Eppus Eumeniensis, meus Coadiutor, me libentissime annuente, petiit obtinuitque a S. Rituum Congregatione, ut festum hoc Conceptionis tum in dioecesi, cum in Missionibus regni Graeciae sub ritu duplici I classis celebretur, utque praefationi Missae vox *Immaculata,* et Litaniis Lauretanis versiculus *Regina sine labe concepta* adderentur. Quae quidem omnia Clerus populusque meae spirituali iurisdictioni subiectus maxima animi exultatione audivit accepitque. Quinimo cum acceptis Sanct. Vestrae literis publicas preces super hac re in praecipuis Ecclesiis meae dioeceseos quotidie persolvendas indixerim, haud pauci ex rudioribus fidelibus scandalum passi sunt, dicentes: ‚Quomodo? hanc sententiam, quam nos tamquam articulum fidei veneramur, nondum Sedes Apostolica definivit? Quid? adhuc hac de re dubitatur?' Ipsis ut par erat responsum fuit. Quapropter, B. Pater, *Ego una cum Eppo Eumeniensi meo Coadiutore, universo Clero populoque* —

enixe precamur obtestamurque, ut ad maiorem Ecclesiae triumphantis et praecipue Deigenitricis gloriam, ad maximam Ecclesiae militantis consolationem veramque utilitatem, *honorem hunc eidem BVirgini quamprimum definiendo ex Cathedra decernatis.* Hoc a Sanct. Vestra expectat tota Curia coelestis, hoc Ecclesia patiens in Purgatorio, hoc universum Epporum Cath. Collegium, hoc demum Clerus populusque fidelis totius Ecclesiae militantis. *Propera* igitur, *B. Pater, et summum hunc honorem Deiparae V. ex SS. tua Cathedra ut Doctor universi mundi decreto dogmatico infallibiliter decerne.* Ipsa enim magna tibi referet gratias, atque potentissimo suo patrocinio fugabit tandem horribiles tempestates, quibus luctuosissimis hisce temporibus Beatitudo Vestra una cum universali iactatur Ecclesia. Cessabunt venti, atque procellae, et fiet tranquillitas magna. — Syrae, III Id. Iunias 1849. *Fr. Aloysius M. Blancis.*

1101. **Eppus Tenensis.** Cum Beatitudinis Tuae literae 2 Febr. exaratae ad me delatae fuerint, vix exprimere valeo, B. Pater, qua laetitia et consolatione cor meum superabundat, super argumento tractando materiaque decidenda a Beatitudine tua; exinde protinus supplices et publicae devotiones in hac mea dioecesi ob hunc finem indictae, et fervore magno totius Cleri et populi perfunctae fuerunt. *Cum vero hic cultus erga Immac. Virginem ab immemorabili tempore praecipuo honore in hac dioecesi mea semper colebatur, venerabatur, et festivitate magna quotannis celebratur: ingens ergo desiderium omnium nostrum et expectatio maxima inest cordibus et pectoribus nostris, ut tandem detur haec gloria Omnipotenti Deo, et honor Virgini Mariae, robore, firmitate ac auctoritate huius Ap. Sedis.* — Tenis, insula maris Aegei, 7 Iul. 1849. *F. Zaloni.*

1102. **AEppus Coadiutor AEppi Corcyrensis.** Pretiosa Encyclica Vestrae Sanctitatis data 2. Februarii anni currentis, Caieta ad omnes Episcopos orbis catholici directa, pertigit

ad nos solum elapso Maio. Et sicut pro scopo habuit declarationem, quo prius fieri posset, cum solemni definitione S. Sedis, Sanctissimam Mariam Dei et nostram Matrem conceptam fuisse sine omni macula: ita cordi meo attulit consolationem ineffabilem; postquam in hac decisione videbam tandem advenisse id, quod a multis annis desideravi omni ardore animi mei. *Inde a tenera aetate observavi constanter aliqua exercitia in honorem huius mysterii,* et postquam nactus sum sortem inter Sacerdotes Ecclesiae numerari, *nihil intermisi ad promovendam, quantum in me erat, hanc devotionem inter omnes fideles sive ecclesiasticos, sive laicos: habeoque illam dulcem consolationem, persvasisse me multos Episcopos Italiae, Germaniae, Angliae et Hiberniae, ut se ad S. Sedem convertant, inde pro respectivis suis Dioecesibus privilegium obtenturi, in Praefatione Missae de Conceptione Sanctissimae Mariae vocabulum ‚Immaculata' adiungendi, in Litaniis autem Lauretanis illa: ‚Regina sine labe originali concepta,' et supplicent Vicario Iesu Christi, quo declararet ex Cathedra Immaculatam Conceptionem Sanctissimae Mariae.* Anno 1846 vix promotus ad Coadiutoratum Corcyrae, quem consecutus sum a Sanctitate Vestra, obtinui facultatem collocandi hanc Civitatem et Dioecesim sub speciali protectione Sanctissimae Mariae Immaculatae, et in anno 1847 erexi in hac insula Confraternitatem Immaculatae Conceptionis. Suffraganea Dioecesis *Zacynthiensis* Corcyrae sequuta exemplum sub speciali protectione solatiosi huius mysterii constituitur, colendo illud etiam in Litaniis Lauretanis et Missa de Conceptione, prout factum est isthic. Solatiosum mihi est, quod tres ex octo Districtibus Angliae, mea et Vicariorum Apostolicorum adursione, magno hoc beneficio specialis protectionis Sanctissimae Mariae gaudeant. Cupidus tandem omnimode propagare devotionem hanc Sanctissimae Mariae adeo caram, et fidelibus utilem, procuravi in Anglico doctam Dissertationem Eminentissimi Cardinalis Lambruschini de Immaculato Conceptu Sanctisssimae Mariae cum viva spe illam in lucem edendi, et ubicunque anglica lingua viget, circulandi. E propositis Sanctitas Vestra facile comprehendet, quanto gaudio et consolatione legerim veneratas suas super hoc obiecto Literas, et

quanta promtitudine et anxietate adnisus sum mox exacte respondere veneratissimis Sanctitatis Vestrae ordinibus in ea contentis. — *Huias Clerus*, qui libenter adhaesit ei doctrinae, quod Maria Sanctissima dulci epitheto Immaculatae decorata fuerit in Litaniis, in Praefatione Missae, et quod haec Archi-Dioecesis posita sit sub speciali protectione Sanctissimae Mariae Immaculatae, *declaravit* etiam, *se in praesentibus adiunctis anxium, si S. Sedes formaliter definiret ut articulum fidei, hoc mysterium*. Respectu fidelium autem, de quorum assiduitate et constanti frequentia in interveniendo piis exercitiis, cum hoc mysterio nexum habentibus nullum est dubium, videtur cum fundamento asseri posse, quod longe absit, ut hostiles aut indifferentes eiusmodi decisioni S. Sedis semet exhibeant, ut potius eam e toto corde ardenter desiderent. En Beatissime Pater! etiam pauper et infelix Ecclesia Corcyrae se unit residuo magno numero filiorum Mariae, unde ferventer obsecrat Sanctitatem Vestram, ut tristissimis his temporibus afflictam Ecclesiam consolari velit decisione a tanto iam tempore exoptata, quae immensum conciliabit Sanctissimae Mariae honorem, gaudium magnum Deo, Angelis et Sanctis, et quae tantam gratiarum copiam super miseros mortales effundet, ut sufficiat ad elonganda Divinae iracundiae flagella, et sedandas turbulentissimas procellas, queis a duobus potissimum annis affligitur S. Ecclesia. Nunc, utut anno priori humiliter exposuerim Sanctitati Vestrae nonnullas principales rationes, quibus persvadeor Sanctissimam Mariam sine ullo peccato conceptam fuisse; nihilominus, postquam solemnis se occasio praebet, et Sanctitas Vestra a me exigit, opportunum erit breviter recoquere, et tantisper immorari huic obiecto. Primo deprehendo, quod Ecclesia, quamvis adusque formaliter semet non enunciaverit de hoc argumento, de facto et in tantum se declaraverit, ut nullus relinquatur dubio locus. Revera, si doctissimus Petavius iam suo tempore dicebat „quod fideles omnes alte infixum teneant in profundo cordis, idque omni possibili modo demonstrent, quod nihil sit castius, nihil purius, nihil innocentius Sanctissima Maria, et nihil rerum a Deo creatarum sit magis, ac Illa elongatum ab omni macula peccati: unde nihil illi commune cum daemone, aut, quod ab

eo procedit, cum offensa et damnatione Domini;" ego existimo res has posse et debere cum multa prudentia fidelibus communicari. Quis ignorat eos specialiter nunc in hoc puncto adeo concordes, adeo intime penetratos esse, ut vel suscitare desuper aliquod dubium, grave praeberet scandalum? Ast non soli fideles sunt, qui id credunt, sed etiam eorum pastores. Inde a Pontificatu Sixti IV. quo pauci Theologi suscitarunt dubia in contrarium, quanti Episcopi non solum adhaeserunt, sed et confirmarunt et propagarunt omni Apostolico suo zelo hanc veritatem? Ubi est, qui se, non dico opposuit, sed in suam Dioecesin non recepisset, non commendasset illam filiis suis? Quanti sunt nostris temporibus S. Ecclesiae Praesules, qui ad S. Congregationem Rituum recursum sumsere, ad obtinendum pro suis Dioecesibus, ut in Praefatione Conceptionis Sanctissimae Mariae verba *Et te in immaculata conceptione* adiungere, et in Litaniis Lauretanis Mariam sub titulo *Regina sine labe originali concepta* invocare valeant? Tandem Beatissime Pater, quid facto hoc Episcopi aliud egerunt, quam quod exemplum supremi sui Pastoris secuti sint? Quis ignorat decisiones a gloriosis Sanctitatis Vestrae Praedecessoribus super hac materia editas, Sixti IV. Pii V. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. Gregorii XVI.? *Si constanter talis fuit unanimis universalis Ecclesiae consensus, quomodo poterit vel minimum desuper dubitari? Hinc si de fide est, quod Ecclesia sit columna et firmamentum veritatis, et quod in rebus fidei et morum errare nequeat, sequitur, quod Ecclesia, qua veritatem revelatam docendo, Sanctissimam Mariam fuisse sine peccato originali conceptam, fallere non possit, adeoque nec Sanctitas Vestra declarando id solemniter ex cathedra.* Quod porro veritas haec adminus implicite contineatur in S. Scriptura, et per Traditionem confirmetur, est res clara et manifesta. In S. Literis docetur; per Concilium Ephesinum definitum habetur, Beatam Virginem proprie et vere esse *Matrem Dei,* iam autem quomodo potest credi, ut tam excelsa, tam sublimis dignitas possit consociari cum peccato originis? Ut mulier haec, quae erat supra omnes Sanctos, supra omnes Angelos, affecta fuisset lethali veneno, facta fuisset filia irae, serva daemonis, et condemnata ad mortem spiritualem? Possibilene est, ut Maria

creaturarum perfectissima inferior fuisset Adamo et Eva, ut fides docet, in gratia creatis? Si vel pro momento supponere vellemus, Mariam fuisse subiectam peccato originali, eotum ex hac hypothesi sequeretur, falsum esse vaticinium in Genesi consignatum, de inimicitiis, quas Dominus inter Mariam et daemonem posuisset, quia fuisset tempus, quo Maria non saltem amica fuit, sed etiam serva peccati. Iuvat praeterea observare, quod iuxta sacrum textum ipsa inimicitia, quae intercedebat inter Redemtorem hominum, et serpentem infernalem, intercesserit etiam inter hunc et Mariam, „Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius." Iam, si inimicitiae inter Iesum et daemonem intercedentes etiam ab immaculata Conceptione Redemtoris nostri proveniebant, non erit dicendum idipsum de Maria Matre sua? Res has non melius possum reassumere, quam verbis Presbyterorum Achaiae, qui seculo primo scripsere: „Sicut de terra immaculata creatus fuit primus homo, sic necessarium erat, ut e virgine immaculata nascatur perfectus homo, unde filius Dei repararet vitam aeternam, quam per Adamum amiserunt homines." Et si brevitas unius Literae, ac metus, ne prolixus evadam, admitterent, possem rememorare Sanctitati Vestrae unanimia effata super hoc obiecto Patrum, scholasticorum, celebrium orbis Catholici Universitatum, uti Parisiensis, Coloniensis, Moguntinae, Alcalensis, Caesaraugustanae, Compostellanae, Granatensis, Toletanae, magis distinctarum Academiarum in Germania, Italia, Belgio, Hispania et Portugallia; sed ob allatas rationes, et quia iam recentius mirabili ordine et vasta cum eruditione in scriptis Eminentissimi Lambruschini et P. Perrone exposita fuerunt, ab eo praescindere debeo, contentus repetere invictissimum argumentum infallibilitatis Ecclesiae; nam *si verum est, quod quae illa semel docuit, semper docuit; si verum est, ut verissimum est, quod Ecclesia a multis seculis credat, et doceat, Sanctissimam Mariam fuisse immunem a peccato originali: necessario opus est concludere, quod etiam prioribus seculis, et semper eandem doctrinam crediderit, et docuerit.* Nunc, Beatissime Pater! si doctrina de immaculato conceptu Sanctissimae Mariae, parte ab una e Sacris Scripturis, et traditione est adeo clara, ut

omne excludat dubium, et si Ecclesia speciatim per organum Episcoporum et supremi sui Pastoris tantis vicibus super hoc obiecto, adeo expresse et formaliter se enunciavit, existimo non esse opus convocatione Synodi oecumenicae, aut alia extraordinaria ratione, sed mea exilitas censet, quod solemnis decisio Sanctitatis Vestrae sit sufficiens. Ex alia parte considerando peculiaria adiuncta, in quibus de praesenti Ecclesia et totus mundus deprehenditur, *non possum, quin devotissime genuflexus ad Thronum Sanctitatis Vestrae enixe, et toto animi fervore obsecrem Eandem, ut intimum votum meum, quod mecum* (sum certus,) *omnes fovent Confratres mei Episcopi, exaudire et nec uno die solemnem definitionem Immaculati conceptus Mariae differre dignetur.* Nemo Sanctitate Vestra melius noscit dolorosum situm, in quo Sponsa Christi a duobus fere annis constituitur, et Sanctitas Vestra plus quam alter bibit calicem amaritudinis. Gravissimae sunt calamitates, quae affligunt Ecclesiam, plurimae queis circumdatur, insidiae, exasperatum quod inimici, et ipsi eius filii suscitarunt, bellum, adeo ut credere debeam funestiores dies vix occurrere in Annalibus christianitatis praenotatos. Ira Dei, procul dubio est vehementer accensa, ob innumera hominum peccata, et signanter malorum catholicorum: ad illam placandam, ad offerendam Domino rem aliquam gratam, quae Divinam possit movere clementiam, sum persvasus, nihil adeo idoneum, et amantissimo cordi adeo acceptum, quam emanatio solemnis decisionis, in qua orbi catholico proclametur, Dei et nostram amantissimam Matrem, Sanctissimam Mariam sine peccato originali conceptam fuisse. Ineffabile hoc decretum sanctissimis Sanctissimae Mariae manibus praesentatum, ascendet ad Thronum Altissimi, quocum reconciliabit genus humanum, restituetque tanta beneficia amissa, totique Ecclesiae revehet tranquillitatem, pacem, securitatem, splendorem. — Sit itaque, Beatissime Pater, duplex ille triumphus simultaneus, gloriosi reditus Sanctitatis Vestrae ad Sedem Petri (quem ocyorem, et pro multis annis felicem ac prosperum ex intimo corde precor) et solemnis definitionis Immaculati Conceptus Mariae. — Corcyrae, 9 Iulii 1849. *Franciscus Ios. Nicolson.*

1103. **Idem AEppus Coadiutor pro AEppo Corcyrensi aegre decumbente.** Deiparam Virginem in sua Conceptione ab originali macula, singulari Dei beneficio, praeservatam fuisse, pietas fidelium nullo non tempore tenuit. Nemo enim, qui de Deo eiusque SS. Matris ineffabili dignitate recte sentiret, sibi persvadere unquam potuit, Eam, quae ab aeterno designata fuerat, ut Mater Dei efficeretur, quaeque caput conterere debuit antiqui serpentis, aliquo tempore sub daemonis fuisse potestate; aut obiectum esse potuisse aversionis divinae, quae tot ornata fuit gratiis, tantoque honore decorata est; vel decuisse Christi sanctitatem, ut ipse tamquam novus Adam nasceretur ex terra maledicta et peccato contaminata; vel demum Matrem Dei, quae omnibus Angelis et hominibus antecellit, sine gratia sanctificante conditam fuisse, atque caruisse in vita sua illa praerogativa, qua non tantum Angeli omnes, etiam mali, a prima sua creatione ornati fuerunt, sed et primi parentes, quos constat Deum rectos finxisse et innocuos. Haec porro doctrina, quae in Ecclesia Dei maiora in dies incrementa sumsit, nostris hisce temporibus, Deo ita disponente, hucusque crevit et firmata est, ut non immerito credatur, diem illum imminere, quo ab Apostolica Petri Sede solemne de ea iudicium proferatur, illamque in Verbo Dei aut scripto aut tradito contineri, infallibili auctoritate declaretur ac definiatur. *Liceat* ergo, *B. Pater, pro hac solemni Ecclesiae declaratione aliorum Epporum precibus etiam meas qualescunque adiungere,* firmam spem habenti, Deum pro hoc erga Benedictissimam suam Matrem honoris et cultus augmento, fontes omnium gratiarum in filios Ecclesiae fore derivaturum. — Corcyrae, 9 Iul. 1849.

1104. **Eppus Zacynthiensis et Cephaloniensis.** Clerus et populus catholicus Ecclesiae Zacynthiensis, et Cephaloniensis, ut magis animentur in sincera illa devotione, quam semper professi sunt, erga Immaculatam Conceptionem Beatissimae Virginis, inde ab anno 1847 implorarunt, et consecuti sunt a S. Sede, ut Eam pro titulari Cathedralis Ecclesiae et Protectrice totius Dioecesis adoptare possint. Unde

summa fuit illorum consolatio, dum in Praefatione Missae pro Conceptione Beatissimae Virginis adnexa fuit vox *Immaculata;* nunc autem cum vividissimo solatio, et iubilo universali exceperunt Literam Encyclicam de 2. evoluti Februarii Caietae datam, qua Sanctitas Vestra desiderare dignatur a Patriarchis, Primatibus, et Episcopis Orbis Catholici eorum sensum circa ipsam Immaculatam Conceptionem, ut exhinc decidatur, an definiri debeat qua doctrina Ecclesiae Catholicae. Quantum ad me, non possum non accedere ad numerosas instantias multorum Confratrum meorum Episcoporum, Santitati Vestrae, Eiusque praedecessori gloriosae memoriae eatenus substratas, quia *convictus sum, quod argumenta in favorem Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis militantia, tanti sint ponderis, ut nullum relinquant dubium, quod articulus hic adusque controversus, possit definiri qua Dogma fidei,* conformiter ardentibus Sanctitatis Vestrae desideriis, et votis fidelium. — In Turri Graeca, 15 Octobris 1849. *Ludovicus.*

1105. **AEppus Naxiopariensis.** Summa cum laetitia gavisus sum, cumprimum quae conceptum BV. peramantissimae Matris nostrae Mariae respiciunt, literae mihi pervenerant, ea spe ductus, tandem aliquando quod de ea a fidelibus usque haec tempora pie credebatur, ab Ap. Sede veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam iamiam solemni iudicio feliciter definitum iri. Qua devotione Clerus populusque Naxiensis erga imm. V. conceptionem animatus sit, quoque desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Ap. Sede decernatur, nullius ponderis putandum est: nam plurimi ambigua intelligentia BVirginem in sua Conceptione, i. e. ut aiunt, quando concepit Filium suum Unigenitum Redemtorem nostrum, immaculatam fuisse existimant, et fere omnes eadem devotione festum Conceptus ipsius Angelorum Reginae qua et reliquas eiusdem solemnitates celebrant; et quamvis ipso vocabulo ,immaculata Conceptio' Deigenitricem constanter prosequantur, quid tamen de ea in Ecclesia dictum sit ignorant. Tandem ad pedes Sanct. tuae humiliter stratus ego ipse dicam. Quam maxime

conveniens imo necessarium fuisse sentio, ut SS. Mater Dei in ipsa sua Conceptione ab omni labe originalis culpae praeservata fuisset. Quamvis principium activum generationis, per quod communicatur humana natura primo peccato infecta, nullo modo poterat sanctificari, cum nunquam subiectum sanctificationis esse possit secundum catholicam veritatem: quid tamen, *si Deus Omnipotens ad praeparandam immaculatam Unigenito suo Filio et tali Filio dignam, iusserit ut singulari privilegio ipsa natura humana B Virginis, quamquam ab illo communi principio activo generationis incoepta, sine ulla infectione oriretur? verum ex praevisis meritis eiusdem Filii sui, cum ipsa etiam SS. Mater iuxta catholicam fidem redemtione indiguisset.* Optarem ergo, B. Pater, ut ab Ap. Sede solemni iudicio definiretur, Augustissimam Deigenitricem in ipsa sua Conceptione hoc modo immaculatam fuisse. — Naxiae, 8 Dec. 1849. *Fr. Dominicus Castelli* O. Praed.

1106—1115.

Responsa ex Turcia Europaea ad Encyclicam Pii IX. a. 1849. 1850.

1. *Pro definitione absoluta.*

1106. **Eppus Alexiensis, et Scodrensis Administrator Apost.** — Illud unum refero Beatitudini tuae, *quod devotio horum fidelium erga Deiparam talis esse videtur, ut nullis terminis sit definita, proindeque quam maximo perfundi eos gaudio, quotiescunque ab ista principe Cathedra hoc maximum tribueretur decus B Virgini.* Haec enim sunt flagrantia vota fidelium meae curae commissorum circa immac. BVM. Conceptionem. Restat modo, ut proferam, quid hac de re ego sentio. *Pro certo habeo, quod veritas de imm. B VM. conceptu licet non contineatur explicite in Dei Verbo sive scripto sive tradito, videtur tamen contineri implicite seu subobscure,* quomodo olim ita sese habebant plurimae aliae veritates ad religionem spectantes, quae revera progressu temporis ab Eccle-

sia vel per Romanos Pontifices decreto dogmatico definitae, fidelibusque ut dogmata fidei ad credendum propositae erant; pari ergo ratione, ut mihi videtur, et aequali dogmatico decreto etiam eiusmodi veritas, respiciens imm. V. M. conceptionem secure definiri posset. *Ad hanc* ergo *veritatem ita definiendam eo expeditius deveniri posset, ex eo, quod nitatur validis extrinsecis monumentis,* depromtis tum ex tantis SS. Patrum placitis, tum ex praescriptionibus plurimorum Rom. Pontificum, gratiosisque indultis a S. Rit. Congregatione fere toti orbi cath. concessis, tum etiam ex indicibili assensu non solum tantorum theologorum, qui tam praeclare de hac re scripsere, sed etiam ex universali totius cath. orbis voto, et consensu: quae omnia in unum consonant pro edendo dogmatico decreto in favorem imm. conc. BVM. His ergo praenotatis, ad pedes B. T. humiliter provolutus *enixe deprecor, ut tua Beatitudo dignetur emittere suum supremum dogmaticum iudicium, decernens BVMariam fuisse ab omni labe originali penitus immunem.* — Scodrae in Epiro, 6 Maii 1849. *Ioannes Topich.*

1107. **Admin. Apost. Antibarensis.** — Nihil iucundius, nihil dulcius, nihil magis optatum mihi adferri potuisset, quam notitia per easdem (Encyclicas 2 Febr.) mihi impertita, id scilicet agi, ut sententia, quae BVM. conceptum omnino immaculatum fuisse, et ab omni prorsus originalis culpae labe immunem propugnat, solemni atque infallibili Sanct. Vestrae iudicio universae Ecclesiae fide divina credenda proponatur. *Haec* porro *piissima sententia cum tot tamque validis argumentis innitatur, ut praeter unam Sedis Ap. definitionem, quae illam ad Ecclesiae Cath. doctrinam pertinere decernat, nihil amplius desideretur: mirum non est, quod fideles pro sua in SS. Deigenitricem pietate a longo iam tempore definitionem eiusmodi avidissime praestolentur.* Gaudeo itaque atque laetor maximopere, certam iam spem nutriens, fore, ut mox illum diem videam, quo amantissimae Matri nostrae, per quam omnia nobis bona venerunt, tantus tamque excelsus honor decernetur. Laetabuntur mecum huius dioeceseos et clerus et

populus, qui BV. singulari colunt pietate; laetabuntur omnes qui sunt undique fideles, omnesque generationes beatam dicent Sanct. Vestram, quod eo tempore S. Petri Cathedram occupaverit, quo id efficere posset, quod Praecessoribus concessum haud fuit. *Submississime* igitur *oro Sanct. Vestram, atque obtestor, ut — infallibili qua pollet auctoritate nulla interiecta mora definire dignetur, eiusdem BVM. conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* Idem quoque efflagitat AEppus Antibarensis, ad quem Sanct. Vestrae literae directae erant, quique mihi easdem transmisit. — Antibari, 10 Maii 1849. *Carolus Pooten.*

1108. **Vic. Apost. Sophiae in Bulgaria.** Quantum a me dependet, *aperte declaro, et absque omni restrictione, advenisse stabilitum a Providentia divina tempus, tribuendi magnae Dei Matri praerogativam convenientem, imo dicerem, iuste debitam immensae dignitati, pro qua ab aeterno praeordinata fuit.* Quaestio tam diuturne discussa, sed ab hominibus ingenio non minus quam doctrina eminentibus semper defensa, claram sparsit lucem de mysterio Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Virginis, unde *ego sensui fere communi Patrum, et auctoritati Traditionis, piae Ecclesiae opinioni, et recentiorum scriptorum effato ex toto adhaerens, meum suffragium enuncio, ut qua dogma fidei stabiliatur, Sanctissimam Mariam ab omni macula originalis peccati praeservatam fuisse, ideoque immaculatum esse statum Conceptionis Eius. Talis est etiam horum Missionariorum sensus,* qui ardenter desiderant ab Ecclesia in maiorem gloriam divinae Matris definitum videre argumentum antehac controversiae obnoxium, et supplicant pro Officio canonico pro festo Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae recenter edito. *Huiates Christiani peculiari devotione feruntur erga divinam Matrem,* et cogito, quod ne una quidem persona possit inveniri, quae non semper apud se habeat Rosarium, et non illud quotidie recitet aut in privato aut in Ecclesia. Per antonomasiam Sanctissimam Mariam vocant *Deviza,* seu Virginem per excellentiam, ubi ad-

indicandum aliam Virginem utuntur termino *Divoika.* Etiam de ordinario Sanctissimam Mariam vocant *Golcmor Bocsorodiza,* seu magnam Dei genitricem. *Mysterium Conceptionis Beatissimae Virginis exprimunt terminis emphaticis nominando Illam Virginem ‚najcista‘,* Purissima, Immaculata; *‚zaceta bis grech‘,* concepta sine peccato; *‚zaceta bis láh od leké‘,* concepta sine umbra maculae. Hinc maxima cum laetitia audient a Supremo Hierarcha Ecclesiae definitam, immaculatam et purissimam Conceptionem Virginis; *‚bis láh od leké‘* sine umbra maculae. — Philippopoli, 21 Iunii 1849. *Fr. Andreas Canova.*

1109. **AEppus Dyrrachiensis.** Veneratissima et honorandissima Encyclica Vestrae Sanctitatis, quam cum vera exultatione 21 currentis recipiendi altum honorem habui, non potuit non excitare in me, in Clero meo seculari et regulari tenerrimos devotionis sensus erga Magnam Dei Matrem, et vividissimam fidem circa suam purissimam Immaculatam Conceptionem, et praeservationem ab omni macula originali; et *dum laude dignissimis intentionibus, et religiosissimo scopo Vestrae Sanctitatis una cum Clero meo adplaudo, supplico Beatitudini Vestrae, dignetur recipere votum meum, et ardentissima desideria, ut quo ocyus Immaculata Conceptio Sanctissimae Mariae definiatur qua infallibile Ecclesiae Dogma.* Magna haec Virgo et Mater, inexhausta haec lucidissima Stella, sublimi virtuti, magnitudini spiritus, et magnanimitati cordis Vestrae Sanctitatis fecit reservari, ut efficeret, quo vivaciori et puriori adhuc luce resplendeat, tenebras adeo difficilium temporum dissipet, et conformiter desideriis meis, cunctorumque bonorum fidelium effundat super Sanctitatem Vestram ineffabiles consolationes. — Corbino, 27 Iun. 1849. *Fr. Raphael Dambrosio.*

1110. **Admin. Apost. AEppatus Scopiensis in Servia.** Percepta 28 Iunii veneratissima Litera Encyclica Vestrae

Sanctitatis, et cognito illius argumento, mox scripsi reverendo Clero huius Archi-Dioeceseos, praescribendo publicas preces, quas in mea insufficientia existimavi opportunas. Qualiter sit hac devotione animatus iste Clerus una cum fidelibus curae suae commissis erga Immaculatam Conceptionem SS. Virginis Mariae, *felicem me sentio Vestrae Sanctitati significare, quod* idem, et in specie reverendi PP. *Missionarii praeclari Ordinis Franciscani,* qui maiorem partem efformant, *profiteantur summam devotionem erga Beatam Virginem absque macula originalis culpae conceptam, ardenterque desiderent, ut per Sanctitatem Vestram infallibili iudicio attribuatur honor talis magnae Matri Dei.* Fideles huius Archi-Dioecesis die, qua S. Ecclesia celebrat Conceptionem Beatae Virginis, speciatim femineus sexus, accedunt numerosi ad SS. Sacramenta. Hoc modo sufficienter demonstrant suam hac in parte devotionem, manifestantque desideria sua uniformia esse cum suis pastoribus. Tandem *ego sum convictissimus, quod Beata Virgo non fuerit maculata originali culpa in sua Conceptione,* et quod tali doctrina imbutus fuerim a primis diebus introitus mei in Ordinem Franciscanum, et quia firmiter credo talem praerogativam esse summae laudis et gloriae Beatissimae Virgini: idcirco *ardenter desidero, et enixe oro Sanctitatem Vestram, dignetur definire doctrinam Ecclesiae universalis esse: Beatissimae Virginis Mariae Conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* — Prisevendi, 15 Iulii 1849. *Fr. Urbanus Bogdanovich.*

1111. **AEppus et Primas Armenus CPnus.** Maximo equidem gaudio, maximaque animi consolatione e sanctissimis Beatitudinis tuae literis die 2 Febr. exaratis hausi quamplurimorum Epporum, Antistitum, familiarum religiosarum, necnon erga Deiparam V. Mariam pietatem religionemque spirantium plerorumque Christifidelium postulationibus, fuisse a S. Sede ardenter expetitum, ut immaculata et ab omni originali labe immunis B. Deiparae V. conceptio solemni luculentoque eiusdem S. Romanae Sedis iudicio demum aliquando

decerneretur. *Hisce* sane *postulationibus et omnium nostrum adnectimus vota,* et enixe exoptamus, ut, quam nos hic absque ulla disceptatione profitemur pietateque prosequimur, Beatissimae semper Virginis ab omni primigenia noxa vacatio per universum cath. orbem praedicetur atque ab omnibus fidelibus pie recolatur, ipsam enim Deus ut suarum gratiarum plenum esset vas elegit et in ipsa sibi complacuit. Quamquam autem *in hac nostra Ecclesia Armena hoc Mariae V. privilegium compertum sit atque exploratum omnibus fidelibus,* et publice quotannis magno cultu de eadem immac. conc. festiva celebretur dies, atque nulla unquam primigenia macula B. Virginem fuisse affectam omnes ultro praedicent, hymnisque eccles. idem vulgo profiteantur: attamen ut maiori elucidatione gentis nostrae hac de re fides innotesceret, atque Beat. tuae iussis obtemperaremus, arcessitis nostris sacerdotibus denuo rem in trutinam evocavimus, et singulorum auditis sententiis comperimus, *in nostra Ecclesia Armena de illibato SS. Virginis conceptu nullum unquam exortum fuisse dubium, gentemque nostram ita hoc sibi svasum habere, ut adversam opinionem semper respuerit omnique conatu abhorruerit.* Exploratis insuper Sanctorum gentis nostrae Patrum hac de re sententiis, reperimus eos iam a primaevis fere Ecclesiae seculis in publicis hymnariis eccl. haud dubitasse praedicare: Deiparam V. Mariam et in ipso matris suae ventre fuisse benedictam, atque ab omni labe immunem ex eo exivisse, ipsamque esse florem langvescere nescium, sobolemque Adae indamnatam, quae videlicet haud cecidit sub damnationem, qua ceteri homines fuere mulctati. Eadem haec nostra Ecclesia Armena laetatur cum SS. V. Maria sic canens: tu flos integer domus humani generis, et stirps benedictionis primaevi genitoris, soluta ab omni Adae damnatione. Et hisce alia similia reperire est in eisdem hymnariis, quibus nostrates in Ecclesiis laetissime utuntur. Quibus ex locis facile intelligitur, hanc de immac. BMV. conceptione doctrinam apud nostram gentem a primaevis usque Ecclesiae seculis plurimum invaluisse, eamque palam veteres nostros praedicare haud dubitasse. Hinc est, quod maximopere nos omnes exoptemus huiusce doctrinae ab omnibus receptionem, et per universum

cath. orbem diffusionem, ad maiorem gloriam Dei, et ad magis magisque efferendum SS. V. Mariae cultum, ut quam nos hic divinis exuberantem divitiis veneramur, atque indemnem praedicamus, ipsam et ubique terrarum iisdem refertam privilegiis cognosci atque haberi magna exultatione laetemur. — CPli, 25 Iul. 1849. *A. Hassun.*

1112. **Eppus Sappatensis.** — Quidnam, B. Pater, ego sentiam hac super re: *nihil aliud sentio, nihil aliud teneo, nisi quod Conceptus SS. Deigenitricis fuerit immaculatus;* nam, ut utar verbis D. Hieronymi, cum sit haec hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium, nulli potuerunt ad eam doli irrumpere, nec praevaluit fraus inimici. Quocirca *nihil aliud exopto, nihil aliud flagito, quam ut ab ista S. Sede quamprimum solemniter definiatur, BVMariam absque originali labe fuisse conceptam. Qua vero devotione sit animatus hic Clerus populusque fidelis erga Beatiss. Deigenitricem, maxima,* Pater Beatissime: verumtamen ob ignorantiam nihil sciunt hac super re, solummodo possum in tuto ponere Sanct. tuam, Christianos Albanenses summa devotione summaque reverentia affici in BVirginem, eaque de causa nihil aliud optant, quam ut eadem SS. Iesu Christi Mater ad maiorem dignitatem et celsitudinem provehatur. — Sappae in Albania, 20 Aug. 1849. *Fr. Petrus Severini.*

1113. **Eppus Scodrensis.** (Ad Card. Praef. Congr. Propag.) A pluribus mensibus in dubio constitutus, an mihi in actuali situ meo licitum sit Sanctae Sedi exprimere humilem opinionem meam ad Encyclicas Pontificias de 2 Februarii a. p. de Immaculata Conceptione Beatissimae Virginis, et aliunde non valens resistere motui filialis pietatis et devotionis erga magnam Matrem Dei, refugium et spem nostram, tandem mihi animum sumsi ad supplicandum E. V. R. ut adminus hoc titulo manifestare dignetur Regi Pontifici Domino

Nostro Pio IX, cui profundissima in veneratione deosculor SS. Pedes, *meum intimum sensum et ardens cordis mei desiderium, ut suprema sua decisione elevetur ad Dogma universalis iam pia fides de immaculata ipsa Conceptione.* Sensus istius, credo, probas dedi secundum meam obligationem (non memorando epocham annorum 13, quibus Professorem egi in hoc Instituto Theologico) usque dum mihi honor obtigit, ut sim primus Episcoporum Dalmatiae, Albaniae, Serviae, Macedoniae, qui mediante E. V. R. a sanctae memoriae Gregorio XVI. 1840 Indultum obtinui in Praefatione Missae de solemnitate et infra Octavam Conceptionis verbum *Immaculata,* et in Litaniis Lauretanis Versiculum — *Virgo Immaculata* — recitandi; quaerendo omni meliore modo promovere, quantum in me erat, svavissimum illius cultum, et ipse oravi, et preces per pias animas institui feci (quia publicae preces in hac Dioecesi hactenus non instituebantur) ut vicinior sit nobis adeo suspiratus dies infallibilis definitionis Apostolicae Dogmatis, quae fons erit magnae misericordiae, et extraserialium consolationum pro Ecclesia Dei, omnibusque nobis miseris peccatoribus. Scio bene, quod, sicut observat Em. D. Card. Lambruschini in suo eximio Tractatu de *Immaculato Conceptu Mariae* „inter virtutes E. V. R. resplendet tenerrima devotio erga caram Nostram Matrem Mariam, cui Eadem purissimos affectus filialis sui cordis sacravit, affectus, qui Eidem sine dubio sunt ultramodum grati et accepti,“ hinc haurio fiduciam, quod E. V. R. benigne sit exauditura praefatam meam supplicationem; oro interea Deum et praelaudatam Beatissimam Virginem, ut feliciter deducat S. Patrem Romam etc. Iadrae, 6. Martii 1850. *Ludovicus Guglielmi.*

1114. **Provicarius Apost. Bosniae Ottomanicae.** (Ad Card. Praef. Congr. Prop.) Veneratissimis S. Patris mandatis promte obsecuturus, respondeo ad Literas E. V. de 25 Aprilis 1850, per me receptas penultima die Iunii anni eiusdem, Eandem certam reddendo, quod populus catholicus Bosnensis, quamcunque simplex et rudis, certo naturali in-

stinctu sit magis devotus erga SSmam Mariam, quam alios Sanctos, in modum tenerrimae aetatis infantis interea flentis, nec conquietari volentis, donec advicinetur Mater: id attestantur devotiones, quas exercet erga SSmam Virginem non solum in communi, uti in festis intra annum in honorem Matris Dei dedicatis, sed etiam in specialibus devotionibus, praesertim maior populi pars ante festum Immaculatae Conceptionis 8. Decembris, quam Ordo Seraphicus singulari cum pompa celebrat, ieiunant alii 8, alii 12 continuis diebus, multi quolibet anni Sabbatho, in honorem Immaculatae Conceptionis SSmae Virginis. Clerus e Religiosis Franciscanis constans, in vigilia festi mox attacti, abstinet magna in parte a quolibet cibo. Motiva proinde devotionum, quae cum peculiari fervore in honorem purissimae Conceptionis Virginis Mariae exercentur, non aliud attestantur, quam fiduciam maximam in SSmam Virginem quia est Mater Dei, et quia illam tenent a quacunque culpa plene immunissimam, acsi iam esset per Ecclesiam solemniter decisum. Eam et ego teneo ut talem, non a natura, sed de privilegio, quamvis dicat S. Anselmus: *vincit Angelos puritate, superat Sanctos pietate.* Suppono, sufficienter a parte mea piissimis intentionibus S. Patris satisfactum esse. — Foiniza, 6 Iulii 1850. *Fr. Andreas Karacich.*

---

2. *Contra definitionem.*

1115. **Vicarius Patr. CPni Apostolicus.** Catholici regionum harum in zelo, quo animantur pro defensione praerogativarum Matris Dei, et in tenera, quam erga Eandem profitentur, devotione, nulli cedunt; et cum Immaculata Conceptio Beatissimae Virginis sit obiectum specialis venerationis filialis eorum, dubio non subiacet, quod, quidquid S. Ecclesia deciderit, aut stabilierit ad scopum explicandae maioris devotionis in hoc puncto, recipietur ab ipsis cum solatio, et communi satisfactione. Clerus Catholicus iisdem sensibus penetratus, et assiduus in nutrienda per directionem et exemplum suum devotione erga Nostram Dominam, adoptabit gratanter offi-

cium proprium iam publicatum cum beneplacito Sanctitatis Vestrae, cuius usum auctorisavit in toto mundo. Quaestio de Immaculata Conceptione Mariae est in numero illarum, quae fideles interessare debent duplici sub respectu: 1. sub respectu devotionis, 2. fidei. Quidquid Ecclesia ad augendam erga Mariam sine macula conceptam devotionem facere potuerit, id cum laetitia acceptabitur per fidelium pietatem, nec unquam excedet eorum desideria. Immaculata Conceptio qua articulus fidei est quaestio, super qua simplices fideles exiguum aut nullum possident lumen; ex alia vero parte, penes ideam, quam sibi de magnitudine Mariae formant, si Ecclesia loquatur et decidat, omnes absque exceptione acceptabunt eius decisionem, qua vocem de Coelo venientem cum docilitate et satisfactione. Cum existimem, quod Encyclica Sanctitatis Vestrae cuivis Episcopo strictam imponat obligationem manifestandi proprium sensum super gravi, de quo agitur, puncto, officii mei esse duco breviter exponere personalem meam opinionem. Res secura et summe utilis est inflammare devotionem erga Immaculatam Mariae Conceptionem, et Ecclesia quaerere debet eam omnimode extendere. Quod concernit fidem, est quaestio, an formali decreto debeat Immaculata Conceptio numero veritatum definitarum inseri, et fieri articulus fidei? *Non obstante dissertationum theologicarum recentiorum pondere super hoc puncto, silentium Scripturae circa istud privilegium, haesitatio SS. Patrum in quaestione hac pertractanda, dilatio Ecclesiae ipsius in ea decidenda, unitae dispositioni spirituum in variis regionibus etiam inter Catholicos seculo currente, quo fastuosa ratio bellum movet fidei, efficiunt,* (sic coram Deo iudicarem,) *ut quaestio maneat indecisa, et ut in ipso actu, cui Ecclesia doctrinam de Maria sine macula concepta superstruit, non imponatur obligatio credendi qua dogma fidei.* Convenit enim, ut solemne Ecclesiae decretum per os Capitis sui loquentis sit actus imponens mundo catholico, et accommodatus ad excitandos venerationis et submissionis sensus, etiam apud illos, apud quos debilitatus est respectus erga divinam hanc Auctoritatem, quae regit et gubernat mundum sub inspiratione Spiritus Sancti, et directione successoris S. Petri; et non essetne aliquod periculum

id fecisse, cum agatur de re summopere delicata, per longum tempus inter Theologos diversa ratione agitata, et directe salutem animarum non attinente, et cuius principale obiectum foret devotioni piorum fidelium respondere? Visis praedispositionibus hodiernae generationis, ubi id urgens non exigit necessitas, (spiritus meus non sufficit eam reperire in quaestione de qua agitur) crederem, quod Ecclesia deberet se continere in conservando intacto deposito veritatum definitarum, et universaliter receptarum. Ecce, Beatissime Pater! quantum credidi dicendum Sanctitati Vestrae in vim responsi ad veneratam Encyclicam, praestiti, profitendo in reliquo, quod adhaeream ab hoc momento corde et mente iis, quae Sanctitas Vestra cum plenitudine sapientiae et abundantia gratiarum, quas ab Alto recipit, deciderit stabilienda et disponenda relate ad Conceptionem Mariae Virginis cum consensu Venerabilium in Episcopatu Fratrum. — Constantinopoli, 4 Iunii 1849. *G. M. Hillereau.*

1116—1152.

Responsa ex variis Asiae Regnis ad Encyclicam Pontificiam. a. 1849—1851.

1. *Pro decisione absoluta.*

1116. **AEppus Smyrnensis in Turcia Asiatica.** Sanctitatis Vestrae literas Apostolicas permagno accepi gaudio. *Dioecesis Smyrnensis erga imm. Conc. BMV. certa et firmissima sunt devotio et vota.* Deiparam sub imm. Conc. titulo vel ab ipso Eppatus mei initio in Patronam elegi, et ab omnibus fidelibus nostris festivitas ista pietate maxima semper celebrata est. Ipsam omnes Religiosae familiae hic degentes ut immaculate conceptam colunt et praedicant. Omnium ergo in hac dioecesi unus est consensus, fides una, pietas generalis. Quod autem ad meam humilitatem attinet, *Deum quotidie enixe precor, ut quamcitius ad huius dogmatis Apostolicam declarationem procedatur.* Declaratione ista tota laetabitur

Ecclesia Sanctorum, et illa, quae mites facit et castos, Sanct. Vestrae iter parabit tutum, fundans nos in pace. — Smyrnis, 10 April. 1849. *Antonius.*

1117. **Delegatus Apost. Libani in Turcia Asiatica.** Humiliter prostratus ad Pedes Sanctitatis Vestrae, solatium habeo exponendi, *quod tam ego, quam totus meus Clerus eius simus sensus, quod purissima Virgo Maria fuerit concepta sine macula peccati originalis, et desideramus vehementer videre declaratum articulum fidei, Immaculatam Conceptionem Sanctissimae Virginis.* Respectu fidelium poterit formari eatenus idea ex facto, quod breviter referre festino. Dum fuissem Damasci, 1820, festo Immaculatae Conceptionis, habui sermonem panegyricum arabice in praesentia immensi concursus, in quo explanavi fidelibus piam fidem Ecclesiae, antiquitatem eius, et succolavi auctoritate SS. Patrum, inter quos citavi aliquos Patres graecos. Evenit, quod eodem die varii negotiantes catholici in conversatione fuerint nonnullorum negotiantium graecorum schismaticorum; decursu conversationis Catholici retulerunt id, quod in panegyrico dictum fuit; eotum schismatici reposuerunt, „haec est novitas Latinorum." Catholici reposuerunt, quod S. Praeco id probaverit auctoritate Patrum graecorum: schismatici negarunt Patres graecos locutos fuisse de tali materia, tandemque dixere: si habet animum, ostendat nobis Praeco auctoritates Patrum graecorum. Sequenti die venerunt ad me Catholici, narraverunt mihi, et impense orarunt, darem eis auctoritates Patrum graecorum; ego autem respondi, quod sim eis daturus post aliquot dies. Tum me impendi prolixiori dissertationi deducendae de Immaculato Conceptu, probando eam peculiariter auctoritate Patrum graecorum, et postquam terminata fuisset, resignavi eam Catholicis, hi schismaticis, quam hi postquam legissent, detulerunt suo Pseudo-patriarchae, qui eam cum suis Episcopis Damasci residentibus examinavit, responditque suis schismaticis dicens: quod non possit negare authenticitatem auctoritatum per me adductarum, et sic terminata est dispu-

tatio. Non puto extra seriem esse, Sanctitati Vestrae in notitiam perferre, quod 1840 dum in Mussol in qualitate Visitatoris Apostolici fuissem, in congressibus cum Patriarcha, omnibusque chaldaeis Episcopis asservatis, unanimiter in mei praesentia decisum fuerit a modo in posterum festum Immaculatae Conceptionis per totam Nationem chaldaeam de praecepto celebrandum esse. — In Libano, 30 April. 1849. *F. F. Villardell.*

1118. **Patriarcha Antiochenus Maronitarum.** — Praemissa coram sacra Vestra Persona, debita prostratione, et a Vestra Sancta dextera Benedictionem Apostolicam implorando, cum distinctissima devotione, exponimus, qualiter perceperimus Encyclicas Sanctitatis Vestrae Literas de 2. Februarii huius anni, queis ostendit Sanctitas Vestra, quanta cum consolatione percipiat Sanctitas Vestra ardentissimum totius mundi catholici desiderium, ut tandem solemne edatur decretum per Sanctam Apostolicam Sedem super immaculata Conceptione sanctissimae Virginis Matris Dei a peccato originali, et quod magnus numerus de coetu ecclesiastico non desistat proponere postulationes et instantias ad Praedecessorem Vestrum Gregorium XVI. fel. mem. non absimiliter ad Sanctitatem Vestram, ut velitis decidere qua doctrinam Ecclesiae Catholicae, quod conceptio Beatissimae Virginis Mariae fuerit totaliter absque macula, et absolute immunis ab omni reatu peccati originalis, et quod nonnulli mirentur, quod Ecclesia et Sancta Sedes Apostolica ad praesens solemniter non adiudicaverit hunc honorem Sanctissimae Virgini, et quod Sanctitas Vestra a primordiis sui Pontificatus, summa assiduitate curas suas et considerationes converterit ad negotium adeo gravis momenti, quodve selectis personis Ecclesiasticis in Theologicis disciplinis rite versatis, sicut et nonnullis Eminentissimorum Cardinalium illustribus et spectatissimis in scientiis rerum divinarum et virtutibus, commiserit, ut gravissimum hoc negotium accurate examinent, et Sanctitati Vestrae diligenter exhibeant suam sententiam, et quod eodem tempore ad nos direxeritis talem Epistolam, ubi primo loco

inculcatis nobis, ut in Ecclesiis nostris publicas preces ad Patrem luminum, quo illuminare dignetur mentem Sanctitatis Vestrae lumine suo divino et supremo spiritu, suggeratque Vobis inspirationes, ut possitis, Sanctitas, decernere id, quod ad maiorem Sanctissimi sui Nominis gloriam, Beatae Virginis laudem, et utilitatem Ecclesiae militantis conduceret. Secundo loco, ut significarem Vestrae Sanctitati, qualis sit devotio, qua Clerus populusque noster animatur erga Immaculatam Conceptionem Virginis illibatae, et quo desiderio flagrent, ut tandem Sedes Apostolica decideret obiectum istud. Tertio loco, ut exponam Sanctitati Vestrae, quale sit meum proprium desiderium, et sententia in isto merito. Istud est, SS. Pater, argumentum Epistolae Sanctitatis Vestrae, quam ineffabili cum solatio legimus, quia altos continet sensus, et sanctas expressiones, obiectum eiusmodi concernentes, quo nobis nihil gratius, nihil acceptius; unde mox festinavimus implere ordines suos, prout est obligationis nostrae, cum indictione precum publicarum a Clero et populo curae nostrae commisso fundendarum, et ut offerantur ad intentionem per Sanctitatem Vestram indicatam; et omnes non solum demonstrarunt, suae laudabili consvetudini conformiter, plenam devotionem animo gratissimo, in elevandis penes ferventes preces Altissimo Deo oblatas, manibus, ut illuminet mentem Sanctitatis Vestrae luce coelestis suáe gratiae, ut cognoscatis, quid in tali obiecto agendum; sed etiam *omnes una voce miserunt cum instantia ad nos,* ut supplicetur Sanctitati Vestrae, quo honorem hunc Sanctissimae Virgini solemni decreto adiudicare dignetur. Cleri et populi nostri erga Immaculatam Conceptionem Beatae Virginis devotio, et desiderium videndi decisivum S. Sedis Apostolicae iudicium, quoad hunc honorem illibatae Virgini tribuendum, non sunt minoris devotionis desiderio eorum, qui, ut attingit Sanctitas Vestra, non destiterunt porrigere postulationes ad Praedecessorem Vestrum, et Ipsam Sanctitatem Vestram de hoc obiecto, imo licitum sit nobis dicere, sunt maiora, quia *natio nostra ab antiquo est sensus affirmativi pro Conceptione huius pientissimae Matris purissima et immuni a minima macula peccati originalis,* prout id testantur facta, et nostri libri Ecclesiastici, quorum maior

pars est impressa in typographia Almae Civitatis Vestrae, et existit magnus numerus nostrae Nationis adscriptus societati sub titulo Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis, et Natio nostra celebrat festum. Quantum ad nostrum desiderium, et sensa propria super hoc obiecto, Sanctissime Pater, sunt totaliter conformia desiderio et sensui Vestrae Sanctitatis in Epistola manifestato; idcirco, et in sequelam propositae nobis instantiae eatenus ab universo Clero et populo, *supplicamus Sanctitati Vestrae praesenti folio, ut e suprema sublimitate illius Apostolicae Cathedrae, ad quam vos Christus Deus noster pro suo in Ecclesia, quam acquisivit proprio sangvine, Vicario elevavit, vosque praerogativa infallibilitatis in definiendis similibus propositionibus insignivit, definiatis uti doctrinam Ecclesiae Catholicae, Beatissimam Virginem absque ulla macula conceptam fuisse, et absolute immunem esse a reatu peccati originalis,* ut dici possit cum S. Augustino, post hanc Vestram Romanam definitionem, *causam finitam esse;* quia de praesenti luce meridiana clarius est demonstratum, honorem hunc Beatissimae Virgini sine dubio deberi, *quae tota pulchra est, et macula non est in illa,* et est plena gratiae, est fidissima spes, et firmissimum columen Ecclesiae. Tale obiectum non habet amplius opus alio, quam definitione Ecclesiae, cuius Sanctitas Vestra est Caput Visibile, unde fideles obligantur id credere fide divina, ut ait Praedecessor Vester Benedictus XIV. felicis memoriae; idcirco dicimus, quod si non indicaremus gloriam desideratae definitionis ex inscrutabili Dei iudicio Personae Beatitudinis Vestrae Spiritu S. imbutae reservatam, miraremur omnino, prout illi, qui ut Vestra Sanctitas attingit, mirabantur, quod Ecclesia et Sedes Apostolica hactenus adhuc honorem istum Sanctissimae Virgini non adiudicaverit. Istud est, quod Sanctitati Vestrae exponendum habuimus iuxta tenores Ordinum Vestrorum, et una supplicuimus. Et pro omni casu, quidquid Sanctitas Vestra super obiecto deciderit, absolute acceptabitur; quia pro certo tenemus, quod dum de talibus rebus loquimini, loquatur per os vestrum S. Petrus, qui in Vobis vivit; estis enim, Sanctitas Vestra, Successor eius in Apostolica Cathedra, *cuius non potest fides sentire defectum,* quia ubi Petrus ibi Ecclesia, quae

in similibus definitionibus falli nequit. In Monte Libano, 1 Oct. 1849. *Iosephus Petrus.*

1119. **Vic. Apost. Huquangensis in Sinis.** Deiparam V. in sua Conceptione ab originali macula singulari Dei beneficio praeservatam fuisse, pietas fidelium semper tenuit, et Ecclesia numquam contrarium docere permisit, imo iussit officium Conceptionis eius in universa ecclesia recitari, quod certe non fecisset, si adfuisset dubium, illam in peccato conceptam fuisse. Nemo enim Catholicorum sibi persvadere unquam potuit, eam, quae ab aeterno destinata fuerat ut Dei Mater efficeretur, aliquo tempore sub daemonis potestate fuisse, aut obiectum esse potuisse divinae aversionis, quae tot honoribus ac gratiis ornata fuit; neque decuisse Christi sanctitatem, ut ipse tamquam novus Adam nasceretur ex terra maledicta et peccato contaminata; neque demum Matrem Dei, quae omnibus Angelis et hominibus antecellit, sine gratia sanctificante conditam, atque caruisse in ortu suo illa praerogativa, qua non tantum Angeli omnes etiam mali a prima sua creatione ornati fuerant, sed et primi parentes, quos constat Deum rectos finxisse et innocuos. Haec porro doctrina, quae in Ecclesia Dei maiora in dies incrementa sumsit, nostris hisce temporibus Deo ita disponente apud nos et ubique ita crevit et firmata est, *ut non immerito sperare lubeat diem illum imminere, quo ab hac S. Ap. Petri Sede solemne de ea iudicium proferatur, ac illam in Verbo Dei scripto aut tradito contineri declaretur ac definiatur. — In meo Vicariatu haec doctrina semper constanterque praedicata fuit, hanc semper tenuerunt ac tenent mei Sacerdotes ac fideles,* ita, ut et horrescerent contrariam audire sententiam; nam ubique BMVirginem specialiter sub hoc imm. conc. titulo venerantur, sinicasque preces in laudem ipsius Conceptionis immac. recitant. *Enixe* igitur *quaeso B. V. etiam nomine mei Cleri christianique populi, ut quantocius declarare ac definire benignetur: hanc doctrinam esse dogma ac veritatem fidei.* Etenim ex hac definitione, quae tantam gloriam et honorem cultui divinae Matris tribuit,

firmiter sperare possumus, quod Clementissimus Deus pacem dabit Ecclesiae a praesentibus calamitatibus ac impiorum conatibus, et quod haec omnia ad maiorem Dei gloriam, et triumphum Cath. Ecclesiae vertantur. — Macai, 28 Oct. 1849. *Fr. Iosephus.*

1120. **Vic. Apost. Malabariae in Indiis.** Nihil iucundius nihilque optabilius nobis contingere poterat, quam Sanct. tuae encyclicas literas sub 2 Febr. datas accipere: universus enim cath. orbis summa semper exultat laetitia, cum de BV. Deigenitricis laudibus et excellentiis agitur vel ampliandis, vel explicandis pariter et asserendis. Et revera *quid a fidelibus vehementius expetitum, quid Ecclesiae S. utilius, quidque Deo ipsique Virgini Matri gloriosius, honorificentius simul et convenientius, et Sacris Literis, sanctorumque Ecclesiae Patrum atque SS. Tridentinae Synodi opinioni consentaneum magis, quam immac. Deigenitricem totius culpae etiam originalis expertem omnino fuisse?* Quae serpentis caput contritura erat, quae et Angelos perfectione et excellentia supereminere debebat, quaeque tandem Mater Dei esse meruit, tanto excellentiori et potentiori modo prae ceteris creaturis conceptam fuisse credendum est, quantum Dei Filium decebat. Homo, i. e. Filius Dei natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Cum ergo talis sit, B. Pater, fidelium per universum cath. orbem diffusorum de imm. V. Mariae conceptione non tantum pia et constans opinio sed et fides; talis cum Cleri nostri tum fidelium tenuitatis nostrae curae commissorum: *nos idem uno eodemque consilio et ore confitentes, et sincero corde credentes instantissime ab Sanctitate tua expostulamus, ut tandem aliquando ab Apost. Sede solemni suo irreformabili iudicio decernatur, SS. Deigenitricem imm. V. Mariam absque labe originali fuisse conceptam.* — Verapoli, 9 Nov. 1849. (Subscripti praeter Vic. Apostolicum, duo Eppi in partibus: Heracleensis et Tanensis.)

1121. **Vic. Apost. Patnensis in Indiis.** — *Fideles pene omnes erga BMV. imm. conceptionem magnam exhibent devotionem, Clerus vero non solum pie hanc sententiam tènet, sed et eandem fortiter propugnat sancteque in aliis fovet.* Quod meum attinet sensum, ab infantia mecum crevit haec devotio, quam postea in sermonibus sacris ac praelectionibus theologicis gravissimis semper urgebam rationibus. Porro pius fidelium sensus iam per tot secula celebris, BVMariam sine ulla peccati originalis labe conceptam fuisse, temporum tractu, scientiarum progressu, et ipsa quaestionis profundissima discussione in dies magis roborabatur, et vel suos adversarios in fine habebat advocatos, ita, ut dubio nullus iam relictus sit locus. Quum vero in Ecclesia firmum stet principium, ut nil tamquam dogma decernatur, quod in Dei Verbo sive scripto sive tradito non realiter ac distincte continetur: quidam gravissimi auctores asserebant, doctrinam hanc decreto divinitus certo stabiliri non posse: cum dogmata non solum ex Ecclesiae decisione probanda, quod utique fidelibus sufficeret, sed et tanta apostolicae traditionis auctoritate firmanda sint, ut Ecclesiae hostibus silentium imponatur, et axioma Vincentii Lirinensis servetur, ‚quod semper quod ubique quod ab omnibus.‘ *Mihi intime persvasum est, BVM. immac. conceptionem in Dei Verbo realiter licet obscure contineri.* Plures enim SS. librorum figurae textusque ad BVM. referendi literaliter et in tota sua extensione sumti omnem BVM. maculam a primo conceptionis momento excludunt; Patres cum universa Ecclesia SS. Deigenitricem ipsis sublimissimis Spiritibus absolute, nominatim quoad puritatem, semper praetulerunt: unde sequi videtur, quod ab illa omnem tum actualem tum originalem maculam excluserint. Audio, recentiores auctores, qui hanc materiam accuratius tractarunt, traditionis apostolicae documenta superabundantia exhibere: quo casu *ego quoque ardentissime cum toto Clero meo desidero, et precor, ut BVM. imm. conceptio fidei articulus Apostolico oraculo decernatur.* — Patnae, 23 Nov. 1849. *Anastasius Hartmann.*

1122. **Patriarcha Graecorum Melchitarum Antioch. Alex. et Ieros.** Humiliter et devote expono Sanctitati Vestrae, quod ante duos menses perceperim veneratissimas Beatitudinis Vestrae Literas, datas 2. Februarii anni praesentis. Promtus in exequendis venerabilibus ordinibus Sanctitatis Vestrae mox publicavi in omnibus Dioecesibus Nationis meo Patriarchatui subiectis fervidas orationes, iuxta mentem Beatitudinis Vestrae in respectu momentosissimi negotii respicientis Apostolicam decisionem super Immaculata Conceptione Sanctissimae Virginis Mariae Matris Dei. Expletis zelose dictis precibus, secundum meam inviationem, — sumo mihi altum honorem in praesenti Litera Sanctitati Vestrae explicandi, quae disposuit Eadem in Pontificiis Literis, — cum sequentibus punctis: *Primum est, quod tam ego, quam Episcopi mei, una cum universo Clero Nationis meae simus, Deo laudes, devotissimi erga Sanctissimam nostram Matrem,* et toto corde desideremus maiorem honorem et devotionem semper Virgini, nostrae Advocatae coram Augusto Throno divini sui filii Iesu Christi, Salvatoris nostri et Dei. Secundum est, *quod relate ad decisionem, quae in sublimi et sancto Tribunali Apostolico Beatitudinis Vestrae ferenda foret, nos omnes et singuli simus devote dispositi ad recipiendam illam S. Sedis sententiam in hac causa,* pro nostra tenera adhaesione et unione cum Ecclesia Romana, et visibili Capite Catholicae Ecclesiae Dei, in sacra Persona Sanctitatis Vestrae. *Eo non obstante est opinio aliquorum meorum Episcoporum, quod e respectu plurimorum haereticorum hic in Oriente melius foret non augere sine gravi necessitate, articulos fidei,* ne eis occasio detur obloquendi, utut iniuste S. Sedem Apostolicam. Sed penes haec omnia repeto: quod nullus nostrum vel a procul dubitet sive de auctoritate Apostolica S. Sedis, sive de iustitia Eiusdem. Aleppo, 15 (27) Novembris 1849. *Maximus.*

1123. **Vic. Apost. Coadiutor Calcuttensis in Indiis.** Quamvis sero, varias ob causas prohibitus, modo tamen Encyclicis B. tuae literis alacriter respondere festino et quidem

brevissime, tum quia res ipsa prolixitatem non postulat, tum quia aequum non est, tantae Maiestatis otium inutiliter occupare. *Quum* igitur *mihi certa auctoritate constet, longe maiorem Epporum numerum per orbem cath. dispersorum indubitanter censere, ut Sanct. tua SS. Deigenitricem absque ulla omnino labe conceptam fuisse ex Cathedra definiat, mihi* quidem tanti tamque augusti Senatus membro minimo atque indignissimo *nihil prorsus restat, nisi ut B. tuae supplicem, ut me inter memoratos viros colendissimos connumerare digneris,* his praesertim diebus, quibus ad supradicti mysterii memoriam solemni ritu digne celebrandam nos disponere conamur. — Romae, Vig. S. Andr. Ap. 1849. *Thomas Olliff.*

1124. **Vic. Apost. Bombaiensis in Indiis.** — Convocato *Clero,* et ven. literis Sanct. Vestrae a memetipso perlectis, *omnes una mecum voce ex toto corde professi atque confessi sunt, se credere, B V Mariam sine labe conceptam fuisse.* Haec fides quidem antiquissima est apud catholicos in hac insula degentes: nam in Ecclesia parochiali sub titulo S. Michaelis festum imm. Conc. cum magna solemnitate et pergrandi populi concursu singulis annis a tempore immemorabili celebratur, et uti de praecepto in eadem parochia tenetur et observatur. Quapropter *humillime imploramus* Sanct. Vestram, *quod conceptio immaculata B V M. cuius peccatum quaeretur et non invenietur, inter dogmata fidei,* ut manifestentur opera Dei in his nostris diebus Ecclesiae afflictionis et humiliationis, *ex cathedra Divino Spiritu afflante atque dirigente a Sanct. V. numeretur et declaretur.* — Bombaii, festo imm. Conc. 1849. *Fr. Ioannes Franc. Whelan.*

1125. **Vic. Apost. Madurensis in Indiis.** — Attestor, *iuxta doctrinam SS. Patrum et mentem S. Matris Ecclesiae me et huiusce Vicariatus presbyteros ceterumque Clerum, omnes uno ore affirmare, uno animo sentire, B V Mariam Dei Matrem et*

Dominam nostram fuisse sine originali peccato conceptam, adeo ut ne punctum quidem temporis ea naturae labe inficeretur. Quoad *populum* vero, *quotidiana et publica deprecatio, quae fit in omnibus et singulis Ecclesiis, invocando scilicet BVMariam sine labe originali conceptam, indubie testatur, quam firmiter fideles huic piissimae adhaereant opinioni ac si iam de fide foret.* Quare gratissimum nobis est futurum, si haec laus, hic honos ceteris laudibus honoribusque BV. cumuletur, ut a tota Cath. Ecclesia certissimo animo, quemadmodum in reliquis dogmatibus quae de fide divina sunt, BVMaria in suo passivo conceptu sine macula ulla fuisse et credatur et praedicetur. — Trichinopoli, 15 Dec. 1849. *Alexius Canoz S. I.*

1126. **Coadiutor Mongolensis cum Missionariis in Sinis.** Nuper usque ad nostras dissitas regiones Tartariae Mongolicae infaustum pervenit nuntium revolutionis Status Romani. Audiendo sacrilegas attentationes in ipsammet personam Sanct. tuae, tristitia profunda cor nostrum invasit: solus Deus scit, quantum dolorem passi sumus. Ille tamen dolor non fuit sine aliquo levamine consolationis propter spectaculum resignationis apostolicae et sanctae generositatis, quae in summo gradu Altissimus indidit in corde SS. Patris nostri: fides enim docet nos, quod si ad tempus datum sit spiritui tenebrarum ut praevaleat, triumphus eius non est durabilis, et quod in vanum fremunt gentes et populi meditantur inania adversus Dominum et adversus Christum eius. Dubitare non licet, quin *immaculatissima* ac beatissima V. Maria, cuius gloriam omnibus modis Sanctitas Sua manifestare conatur, potenti intercessione exoraverit apud Deum Omnipotentem pro magno Pontifice Ecclesiae Filii sui. — Sywan in Mongolia, 19 Dec. 1849. (Subscripti praeter Coadiutorem 3 Missionarii Apostolici.)

1127. **Patriarcha Antiochenus Syrorum.** Veneratissima Sanctitatis Vestrae Litera data 2. Februarii c. a. quam honorem habui percipiendi, magno me replevit iubilo, quia tractavit de obiecto, quod quantopere desideratum, tantopere gloriosum est Sanctissimae Virgini. Mox eam communicavi Suffraganeis meis, disponendo preces communes pro omnibus Dioecesibus ad meum Patriarchatum pertinentibus. Responderunt mihi, *valde esse iustum, ut a Sacro Throno Sanctitatis Vestrae, qua punctum fidei determinetur, quod Beatissima Virgo sit immaculata ac immunis ab omni qualicunque culpa,* dum Sanctitati Vestrae id visum fuerit, dum totus fere mundus catholicus id desiderat, et secus Sanctitas Vestra, ut declarat, constituit Commissionem ex nonnullis doctis Eminentissimis, et pluribus Doctoribus consistentem, quae clarificet quaestionem hanc delicatissimam. Taliter dignata est Sanctitas Vestra intelligere meum sensum super hoc puncto, *confiteor autem quod e gratia Dei sim S. Sedi Apostolicae maxime adhaerens, et si Sanctitas Vestra respectu Beatissimae Virginis ordinaverit, determinaverit, definiverit, quod nempe concepta sit absque macula cuiuscunque culpae, recipiam ut dogma fidei.* Restat, ut prosequar debiles meas preces ad SSS. Trinitatem, ut illuminet Sanctitatem Vestram in materia adeo sancta, quae glorificat Matrem Dei, auxilium Sanctae Ecclesiae, cuius visibile Caput est Sanctitas Vestra. — Aleppo, 29. Decembris 1849. *Ignatius Petrus Giarve.*

1128. **Vic. Apost. Malacensis in Sinis.** Statim ut vota Sanct. Vestrae per suas literas die 2 Febr. datas mihi cognita fuerunt, nihil magis conveniens duxi, quam ut tam piis desideriis citius satisfacerem, praesertim cum haec Sanct. Vestrae vota mihi etiam sint pergratissima. *Vehementer* enim *exopto, ut B Virgo, quae iam a tot seculis ut Immaculata in sua Conceptione colitur, tandem per solemne S. Sedis iudicium talis esse confirmetur, qualis ab omnibus Christifidelibus habetur.* Ut enim loquar tantum de fidelibus curis meis commissis, nemo est inter illos, qui non credat Deiparan. V. in sua Con-

ceptione ab originali labe singulari Dei beneficio fuisse praeservatam. Hanc persvasionem testantur preces et alia pia exercitia in tota Missione peracta, praesertim cum mente colendi Virginem hanc SS. ut purissimam et immaculatam ab exordio suae conceptionis. Omnes enim sentiunt, minime decuisse, ut ea, quae ab aeterno designata fuerat, ut Mater Dei et Salvatoris nostri efficeretur, quaeque caput antiqui serpentis debuit contundere, aliquo tempore sub daemonis potestate mansisset, et obiectum fuisset aversionis divinae. Porro si haec persvasio, quae viget non tantum apud fideles omnes Missionum nostrarum, sed et in toto orbe catholico, adeo firma nunc evadit, ut non possit sine maximo omnium scandalo impugnari: illud mihi videtur significare, Deum, qui omnia svaviter disponit, velle in hisce temporibus per hanc doctrinam pietati fidelium nova incitamenta praebere. Ideo *meas preces piis desideriis totius orbis adiungens, enixe et suppliciter rogo, ut tandem detur illa solemnis declaratio, qua ut doctrina publica Ecclesiae credatur, BVMariam sine labe ulla originali, quae contaminat omnes in hoc mundo nascentes, conceptam fuisse.* — Pinang, 30 Dec. 1849. *I. B. Boucho.*

1129. **Admin. Apost. Nankinensis in Sinis.** Convictus SS. Scriptura, traditione, liturgiisque imo et rationum pondere; tot insuper virorum scientia ecclesiastica splendentium auctoritate svasus, ac inprimis mea erga immac. Matrem pietate impulsus propria, toto vitae meae tempore appetii atque rogavi, ut veluti cath. Ecclesiae doctrinam supremus Christi Vicarius definire vellet, BV. conceptum immaculatum omnino fuisse atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem. Statim igitur ac directae ad me maxime colendae Suae Sanct. literae pervenerunt, maxima cum veneratione et amore perlegi, illico publicas preces tota in dioecesi mihi concredita ad Summi Pontificis intentionem per trimestre peragendas indixi. *Nihil reperi tenerius, quam Missionariorum omnium totiusque populi fidelis erga immac. BMV. conceptionem devotionem; nihil ardentius quam desiderium quo flagrant, ut eius-*

modi res ab Apost. Sede decernatur; nihil svavius quam meum gaudium, si hoc concedatur. Christiani Nankinenses vix sibi persvadent, illud non iam esse dogma definitum, eo impatientiori oratione precantur, quod opinio communis apud bene multos viget, nempe eventurum esse, ut decreti istius tot votis invocati dies tamquam praesagium et initium universalis in imperio Sinensi ab idolis ridiculis ad D. N. I. C. brevi tempore perficiendae conversionis illucescat, cui spei omnes quoque mei Sacerdotes indulgent. Et *ego animo versans tristissimas Ecclesiae calamitates,* atque luctuosissimas Patris nostri SS. vicissitudines, *confido, almam Matrem,* tot acerbissimas angustias materni sui cordis miseratam affectu, *velle praesentissimo aeque ac potentissimo suo apud Deum patrocinio* et divinae iracundiae flagella, quibus propter peccata populorum terra affligitur, avertere, et turbulentissimas malorum procellas, quibus ubique iactatur Ecclesia, compescere, dissipare; et *luctum Sanct. Vestrae convertere in gaudium, modo gratissimum istud immaculatae suae Conceptionis privilegium ab Ap. Sede solemni iudicio asseratur. Unde humillime prostratus ad pedes V. S. peto, supplico, efflagito, ut quamprimum in honorem SS. Virginis omni ex capite immaculatae sic fiat.* — Nankini, die Epiph. D. 1850. *Franciscus Maresca.*

1130. **Ex-Vic. Apost. Avae et Pegu in Indiis.** Theologia qua verum Divinae Traditionis testimonium admittit sensum communem, constantem, et universalem fidelium circa quempiam fidei catholicae articulum, (*Moehler,* Symbol. c. V. §. 39.) quia demonstrat verbum Dei a Spiritu Sancto scriptum in corde credentium, quod non potuit aliam habere originem, quam ex praedicatione Apostolica, a Spiritu veritatis illustrata, ab illa unctione suprema, quam S. Ioannes recognovit in veris christianis omnium temporum, qua infallibilem probam veritatis divinitus revelatae. Dubitari nequit talem *sensum communem et universalem esse catholicorum de Immaculata Conceptione Divinae Matris Sanctissimae Mariae. Adeo est pius hic sensus insculptus animabus verorum credentium, ut*

iis non minus, quam S. Doctori Augustino, et Ven. Patribus Concilii Tridentini repugnet, quocunque modo intelligere Beatissimam Virginem, dum de peccato agitur. Celebri et invictae conclusioni Theologicae: *Deus potuit, decuit, ergo fecit,* si adiiciatur unanimis sensus Ecclesiae, in recognoscendo: Sanctissimam Mariam a Deo praeservatam fuisse a quacunque macula peccati inde a primo suo conceptu, sicut per singulare privilegium conservata fuit immunis ab omni naevo culpae per totam vitam: patet amplius dubitari non posse, *Immaculatam esse Illius Conceptionem, non solum theologice certissimam, sed etiam secus per Traditionem confirmatam, qua veritatem divinitus revelatam; adeoque declarari posse ut verum fidei Dogma.* Sic conscientiose iudico in conspectu Dei. Taurini, 6 Februarii 1850. *Ioannes Dominicus Ceretti.*

1131. **Vic. Apost. Avae et Pegu, priori succedens.** Ex quo accepi Epistolas Beatitudinis tuae datas Caietae die 2 Febr. 1849. praecipua loca Vicariatus, quem tu, B. Pater, meae curae commisisti, Deo adiuvante peragravi, atque sic magis magisque, quod aliunde iam noveram, indagare potui: quid nempe *Missionarii* in hac vinea Domini mecum laborantes de immaculata Virginis Mariae conceptione sentiant. *Ipsi omnes una mecum vehementer exoptant, ut, quod iam nos omnes ex imo corde credimus, hoc tu, Beatissime Pater, solemni iudicio decernas, scilicet Beatissimae V. Mariae conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* Neque ullum dubium habemus, quin fideles huius Vicariatus laetantes audiant excipiantque vocem Beatitudinis tuae, immaculatam Virginem Mariam absque originali labe conceptam ut Catholicae Ecclesiae doctrinam definientis. — Maulmain, 21 Sept. 1850. *Ioannes.*

1132. **Vicarii Apost. Columbi in Indiis.** Una cum meo Eppo Coadiutore quam ipsomet assentiente *Pastoralem literam*

Clero et populo meae curae commisso publicaram ad Beatitudinis tuae mentem notificandam, ac ad publicas particulares preces ordinandas, nunc ante B. tuae thronum provoluti humillime praesentamus. *Sit illa nostrae sententiae circa Dei Matris immac. Conceptionem indubium et solemne testimonium, necnon illius fervidissimae devotionis, quam huius remotissimae Insulae Christiani erga SS. Virginem absque macula originali conceptam ab immemorabili tempore in corde fovent.* — Columbi in Insula Ceylonensi, 13 Febr. 1850. *Caietanus Antonius.* — *Ioseph Maria.*

1133. **Vic. Apost. de Kiangsi in Sinis.** (Ad Card. Praef. Propag.) Haud dubio abs re non erit humiliter hic exprimere, me cum gaudio vere inenarrabili nuper accepisse Encyclicam DD. Pii IX circa propositum declarandi ut dogma fidei Conceptionem immac. B. Mariae. Ego igitur *cum S. Alphonso M. Ligorio in meae Reginae obsequium sine cunctatione respondebo: illius immac. Conceptionem esse hodie luce meridiana clariorem;* quod constat ex revelationibus, ex Bullis Summorum Pontificum, ex SS. Patribus, ex sensu communi fipelium etiam Kiangsinensium et Thekiangnensium, qui annualiter occurrente ex praecepto Ecclesiae festo Conc. B. Mariae numquam aliam sententiam audierunt, nec aliam cognoverunt, quam illam, quam Summus Pontifex Benedictus XIV dicebat suo tempore esse moraliter certam, ita, ut solummodo desit definitio Ecclesiae, ut teneamur fide divina illam credere. ‚O Maria sine labe originali concepta ora pro nobis ad te confugientibus', haec est ab aliquot annis pia invocatio nostrorum occasione suarum matutinalium et vespertinarum precum. — Kiangsi, 7 Mart. 1850.

1134. **Vic. Apost. in Xensi in Sinis.** Clementissimae Sanct. Vestrae literae nuper receptae, cum ob maximam regionis longitudinem post integri unius anni spatium ad me perlatae fuerint, evenit, ut tarde responsum dare valeam. *Ut*

Sanct. Vestrae votis libentissime obtemperem, nullum dubium habeo, munitus tot auctoritatibus SS. Patrum, asserendi BV. Mariam absque originali labe conceptam fuisse. Quamobrem cum Sanct. Vestra hoc ut fidei dogma esse credendum statuerit et declaraverit, Deo gratissimum etiamque toti triumphanti Ecclesiae et militanti erit. Hisce nostris temporibus nullus forte erit, qui hac de re aliter sentire possit. — Xensi, 4 April. 1850. *Fr. Ephysius.*

1135. **Vic. Apost. Tongkinensis, Occid. in Sinis.** Non multis abhinc diebus in istum Vicariatum pervenerunt literae a Sanct. Vestra datae die 2 Febr. 1849 de efformando solemni iudicio circa Conc. immac. BVM. agentes; hisce literis quam maxima celeritate,uti par est, respondeo humiliter. *Iam singulari solatio mihi fuerat ardentissimum meum hac de re desiderium, necnon cunctorum Clericorum, universique populi fidelis meae vigilantiae commissorum vota communia ad pedes rec. mem. Gregorii XVI deferre,* quas nunc humillimas preces instantissime iterare ut liceat rogo. Cum iampridem mihi et clero meo ab Ap. Sede facta fuerit facultas, in Praefatione Missae de BV. Conceptione vocem illam ‚Immaculata' palam publiceque enunciare et addere, *superest, ut pro complendo gaudio nostro Sanct. Vestra veluti Cath. Ecclesiae doctrinam definire velit, BVMariae conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem,* quod praecipuo animi studio et ex intimo cordis affectu efflagitare non desistam. Congruum enim fuit, ut BVMaria, quam Deus sibi Matrem elegerat, tota pulchra et sine macula in ipso Conceptionis primordio permanserit, et, quae antiqui serpentis caput virtutis pede contrivit, ne ad modicum quidem ei succubuerit. Quonam autem desiderio ego et clerus meus flagremus, ut immac. BV. Conceptio solemni iudicio ab Ap. Sede decernatur, satis dicerem enarrando, quot et quanta nobis contulerit beneficia illa clementissima divinae gratiae Mater, quo piissimo amore labores nostros et angustias compescere dignetur illa svavissima consolatrix afflictorum: ideoque quid-

quid ad maiorem BV. gloriam pertinet, imprimis solemne iudicium de eius imm. conc. studiosissime peroptamus. Populi quoque fidelis enitet par desiderium, cum in dies crescat eius devotio et fiducia in BV. certatimque se aggreget Sodalitati in honorem SS. et imm. Cordis BVM. — In Tongkino Occid. 6 Apr. 1850. *Petrus* a Retord.

1136. **Vic. Apost. Xansensis in Sinis.** In Vicariatu Xansensi peractae sunt publicae preces ad impetrandum Sanctitati Vestrae coeleste lumen, ut iuxta voluntatem divinam declaret articulum fidei, Mariam Virginem Sanctissimam sine peccato originali conceptam fuisse, quae etiam qua talis ab immemoriali sub hoc titulo electa est in Patronam Vicariatus; Clerus et populus unanimes sunt in ea veneranda, quae tam singulari privilegio ditata est. Quantum ad me immeritum membrum Ordinis Minorum Observantium, a quo Illa sub hoc titulo colitur pro singulari Patrona, gauderem valde, si post *decuit, potuit, ergo fecit* Scoti, adiungere possem, et *fecisse de fide est.* 6 Aprilis 1850. *Fr. Gabriel de Moretta.*

1137. **Vic. Apost. Yun-Nanensis in Sinis.** Mense Aprili a. c. recepi summa cum veneratione et laetitia paria literarum, per Sttem Vram ad omnes Patriarchas, Primates, A. Eppos et Eppos catholici orbis dimissarum. Clerus et fideles Vicariatus nostri, annuente S. Sede, a pluribus annis speciali cultu prosequuntur immaculatam Conceptionem SSmae et gloriosissimae Dei Genitricis, semperque Virginis, addendo in fine litaniarum eius „Regina sine labe concepta, ora pro nobis." *Me quoque fortunatum reputo, SSme Pater, quod opportune testari possim, quantopere cupiam, ut dogma immaculatae Conceptionis gloriosissimae Matris Iesu, — quae, dicente magno quodam S. Doctore* „nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce" — *irrevocabiliter definiatur.* Nec ullum dubium superest, hanc solemnem declarationem de throno Sttis Vrae et ex aplica auctoritate emanaturam a

cunctis Christicolis cum iubilo excipiendam fore. Id nunc totius Catholicae Ecclesiae votum esse, tuto asseri potest. Profecto tunc sanctissimo nomini Dei benedictio et gloria erit, sanctissima nomina Iesu et Mariae exaltabuntur, Ecclesia triumphans exultabit, Ecclesia militans — difficillimis cumprimis hisce temporibus — protegetur et ab inimicis liberabitur, Ecclesia patiens consolatione et adiutorio recreabitur. — Yun-Nan, 10 Maii 1850. *Iosephus.*

1138. **Vic. Apost. Tunkini Centralis in Sinis.** — Devotio Cleri populique Annamitici est valde simplex et uniformis, prorsusque ignorant illam opinionum discordantiam ac rixosas disputationes in Europa notissimas, unde nihil de huiusmodi Encyclica illis patefeci, nec illorum preces pro illius quaestionis recta definitione expedit postulare; nam ob suam ignorantiam ac intellectus imbecillitatem plus scandali quam aedificationis acciperent. Fides enim horum neophytorum, licet satis simplex ac sincera in iis quae sunt erga Deum et BVirginem videatur, erga mores tamen et in iis quae adversus suas depravatas consvetudines docet non item; et perfacile tentantur contra auctoritatem Ecclesiae in iis, quae docet de monogamia, indissolubilitate matrimonii, usuris, et aliquibus superstitiosis. Ac non solum in praxi a multis illa summa auctoritas contemnitur, sed quod deterius est a nonnullis etiam blasphematur. Hi profecto si scirent, quod Beatitudo Vestra sciscitatur, quid de BV. Conceptione Annamitae sentiant, illorumque preces pro definitione causae desiderare, multo magis auctoritatem B. V. parvipenderent. Quoad Europaeos Missionarios vero tamquam magis in fide instructos ac solidatos, hi bene sciunt pro definitione exquirendam prius esse veritatem implorando divinum ac speciale auxilium; et non dubito, quod et praestabunt pro sua erga immac. V. conceptionem devotione. Iamvero quod meam peculiarem sententiam attinet, illam omni cum sinceritate, prout coram Domino ac in conscientia mea extat, patefaciam. Et quidem *ab incunabulis in pia pro imm. V. Conceptione enutritus sententia*

licet multa in theologis adversae sententiae in adulta postmodum aetate legissem, numquam tanti ponderis mihi visa sunt, ut sententiam mutarem. Sed an expediat, piam illam opinionem inter articulos fidei definiendo collocare, non audeo affirmare nec negare: quia multa requisita a theologis ad hoc tam grande opus enumerantur; ast nunc vix libris ad sacrum ministerium necessariis munitus, impossibile mihi foret, hanc gravissimam quaestionem investigare, etiamsi vires meas non superexcederet. *Sed hoc pro certo Vestra Beat. sciat, quod firmissime credam et fideliter praedicabo, quidquid B. V. circa hanc quaestionem definierit,* nam ut summum Christi Vicarium ac Successorem S. Petri loquendo ex Cathedra infallibilem V. B. credo. — In Tunkino Centrali, 28 Maii 1850. *Fr. Dominicus O. Praed.*

1139. **Eppus Patarensis in Miss. Sinicis** (ad Praef. Propag.) Percepi Literam Sancti Patris de 2. Februarii 1849 ad dulcissimum Mysterium Immaculatae Conceptionis Magnae Dei Matris se referentem. Cum a Hun-Kou, ubi est posta, elongatus fuerim, fere unius mensis itinere, cras mane autem ad Civitatem illam cursorem expedire debeam, qui non prius quam post 2, vel tres menses revertetur, argumentum Immaculatae Conceptionis ita pertractare non valeo, ut cuperem. Eapropter in his meis angustiis humiliter supplico Em. Vrae Rssimae, dignetur nomine meo Sancto Patri supplicationem substerni facere, exprimentem illam meam persvasionem, *quod Sanctissima Maria fuerit realiter concepta sine culpa originali; desideriumque meum, ut veritas ista, in Divina Scriptura, Traditione et fere universali fide Ecclesiae* (specialiter *Romanae,* quae est infallibilis) *fundata, quo ocyus de fide definiatur ad maiorem Dei gloriam, Beatissimae Virginis honorem, et Ecclesiae militantis utilitatem.* De Clero et christianis huius Vicariatus, ut puto, scribet D. Rizzolati. In quantum ego scio, Patres hi credunt et desiderant hac in parte, ut ego, utut eos interrogare non possim ob magnam distantiam, qua isthic ab invicem separamur; Christiani porro a pluribus annis recitant orationem quotidianam ad Sanctissimam Mariam sub titulo

Immaculatae, aut *conceptae sine peccato originali,* ast illi sunt in rebus his materialissimi, ipsorumque fides et exercitia spiritualia, devotiones habent ut mihi videtur, illud ipsum pondus, quod habent devotiones etc. tenerrimorum infantum catholicorum Europaeorum, nec plus, nec minus. Istud est, quod pro nunc dicere possum in vim responsi praeattactae Literae S. Patris. Si istud non sufficeret, oro Eminentiam Vram Rssmam, dignetur mihi id notificare, et pro casu hoc probabo Mysterium Immaculatae Conceptionis argumentis Theologicis, in quantum praestare potuero in his partibus, ubi omnia desunt. Percepi cum gratiarum actione Rescriptum S. C. Rituum, et sapientem instructionem huiusce S. Congregationis circa casum matrimonialem a me priori anno propositum. Oblitus sum dicere, quod ordinaverim publicas preces fine per Papam intento. Sacerdotibus scripsi clare sed christianis metui significare, quod Papa velit definire de fide praedictum Mysterium, cum non pauci facile possent dubitare de aliis punctis Religionis, quae iam sunt de Fide divina. Restrinxi me idcirco ipsis christianis dicere, ut dicant preces N. N. ut Spiritus Sanctus, et Sanctissima Maria lumen praebeant Papae ad definiendum gravissimum Ecclesiae negotium. — Hu-guang, 11 Iunii 1850. *Iosephus Novella.*

1140. **Patriarcha Babyloniae Chaldaeorum.** (Ad Card. Praef. de Propag.) Cum summo iubilo et maxima iucunditate percepimus et legimus Circulares Sanctissimi nostri Summi Pontificis Papae Pii IX. de 2 Februarii 1849. in quibus Sua Sanctitas primo mandat nobis et omnibus aliis Venerabilibus nostris fatribus, Patriarchis, Archi-Episcopis, et Episcopis totius Catholicae Ecclesiae clare exponere et aperte declarare Suae Beatitudini, qualis sit noster obtutus, nostra voluntas, noster cultus, et nostra veneratio, et quali desiderio flagret cor nostrum circa conceptionem Matris Dei Beatissimae et purissimae Virginis Mariae Nostrae Dominae in sinu suae Matris. 2. Desiderat SS. ut singulus nostrum ordinet publicas preces, ut misericordissimus Deus illumi-

net luce Divini Spiritus, et moveat Suam Beatitudinem ad deligendam in summi momenti negotio, illam determinationem, quae magis conduceret ad gloriam S. sui Nominis, purissimae Viriginis honorem, et S. Ecclesiae utilitatem. 3. Cognita Sanctitatis Suae mente, et desiderio cordis illius, mox et sine mora expedivimus alteras Venerabilibus nostris fratribus Metropolitanis, cunctisque fidelibus nostri Patriarchatus et nostrae Nationis Chaldaeae significando illis intentiones Suae Beatitudinis, ordinavimusque illas preces et orationes ad hunc finem adaptatas, quae ab omnibus universaliter et tempore opportuno fuerunt recitatae, sicut sumus assecurati e literis, quas percepimus ab omnibus. *Quantum ad nostrum sensum et cunctorum Metropolitanorum fratrum nostrorum, Monachorum et Sacerdotum, cunctorumque fidelium nostrae Nationis Chaldaeae circa Conceptionem Beatissimae Virginis Mariae in sinu suae Matris S. Annae, dicimus, hunc ne in minimo differre ab opinione et sensu Catholicorum, earumdem regionum et cuiuscunque loci, qui recipiunt et affirmant Conceptionem purissimae Virginis in sinu suae Matris immunem ab omni macula originalis peccati, et a culpa generis humani.* Haec est fides omnium nostrum, et huic opinioni constanter inhaeremus: primo, quia non est factum conveniens, nec est ulla ratione ab illo Omnipotente, mundissimo et amatore mundi, seligere Matrem pro unigenito filio suo feminam, quae aliquando fuit maculata peccato, et fuit constituta sub dominio daemonis, dum tamen nulla res suppeditabat causam, ne custodiat illam et defendat a simili culpa. Ergo nec potuit aliter esse, quasi illam non custodivisset et defendisset ab ista macula. Secundo, quia nunquam audivimus aut legimus in libris, qui sunt apud nos, quod aliquis primorum Patrum et Doctorum, aut vero praesentium impugnasset hanc opinionem; sed ex adverso audivimus et audimus, et invenimus, quod omnia individua Nationis nostrae superiora et subiecta, docta et ignorantia unanimiter concurrant et sine exceptione in ista opinione. Si veteres non sunt argumentati super hoc in specie puncto, id fuit propterea, quod occasionem non habuerint, nec erat quaestio talis suscitata eorum temporibus; eo non obstante ex eorum hy-

mnis et elogiis de illibata Virgine colligitur clare, ut omnis intelligens et veritatis amans observare potest, eos opinatos fuisse sicut nos circa Immaculatam Conceptionem Virginis. Aliqua eorum scripta in diversis locis sententiam hanc verbis expressis confirmant. Idcirco dixit S. Ephrem Syrus, quod Maria sit immunis a macula, et exemta a contaminatione, et libera ab omni culpa peccati. Clarius adhuc idipsum loquitur *Georgius Uard* unus e doctoribus Chaldaeis, et in pluribus locis suorum canticorum et hymnorum in honorem Virginis scriptorum dicit: ‚Quis unquam potest mente concipere, aut ore narrare, et ratiocinari de illa illibata et immaculata, de illa Sancta et Sanctificata, quae fuit sanctificata inde a sua Conceptione, et a ventre destinata, ut sit arca, domicilium, templum, palatium et sedes viventis Domini seculorum?‘ Et paulo serius: ‚fructus ille, quem Eva non vidit et invenit in medio eius custoditus et sigillatus?‘ Dixit adhuc in eodem Cantico: ‚non illam videt vultur, nec infixit ibi suos ungues, nec spiritus volans impegit in eam.‘ Pariter in alio hymno de Conceptione Virginis dixit: ‚Portavit Anna in suo sinu Sanctam et Sanctificatam‘; et in alio loco eam assimilat velleri Gedeonis dicens: ‚Maria non fuit humectata a peccato, illa sola fuit salva ab universali diluvio peccati, manens sicca ad modum velleris Gedeonis.‘ Multa huius generis argumenta existunt apud nos, et apud infideles harum nostrarum regionum, quae ob brevitatem praetermittimus. Allegamus tamen unicum testimonium Doctoris Musulmanni *Nuai*, qui dixit: ‚Non est inter homines creatura, quae non sit a diabolo puncta praeter Mariam, Eiusque filium.‘ Plurimae aliae auctoritates reperiuntur apud Patres et Doctores occidentales, eaeque clarissimae, ad evidentiam demonstrantes et confirmantes ad sufficientiam hanc quaestionem, derivatae utique e fonte divinarum scripturarum, et iis qua firmo et immobili fundamento innixae. Nec est opus eas producere, cum E. V. maiorem earum copiam possideat, suntque illi longe melius notae, quam nobis. *Concludimus* ergo, *quod haec vox sit universalis in Ecclesia Dei, quae clamat semper Conceptionem Virginis immunem a peccato Adami, et exemtam ab omni culpa;* et factum, quod est argumentum validissimum, eam magis con-

firmat, quia non sunt pauci, imo plurimi servi Mariae, qui per omnia, et diversis modis venerantur immaculatam illius Conceptionem, sicut apud nos nonnulli sunt inscripti Confraternitati Immaculatae huius Conceptionis, et plurimi adhuc desiderant ardenter, numero huius Confraternitatis inscribi; idcirco proposuimus confirmare hoc anno istam Confraternitatem in nostra Natione Chaldaea, et solemnisare festum Immaculatae Conceptionis, cuius in nostro ritu specialem a multis seculis habemus commemorationem, et pro qua iam a quinque annis compilavimus officium conforme ritui nostro, sed propter vicissitudinem temporis non potuit adhuc in effectum deduci. *Desideramus itaque nos et universa natio nostra, ut opinio haec confirmetur per Caput totius Ecclesiae, Suam Sanctitatem D. N. Papam Pium IX.* ad maiorem Dei gloriam, Beatissimae et Immaculatae Virginis Mariae honorem, et S. Ecclesiae utilitatem. Finaliter Deo habemus agendas gratias, quod omnem doloris caliginem dissipaverit circa tristia nostra corda et afflictos amicos nostros condensatam cum glorioso triumpho et illustri victoria Capiti Ecclesiae Nostro Summo Pontifici Pio IX destructis inimicis, dissipatis et dispersis malevolorum copiis, eos, qui persecutionem passi sunt, uniendo, dispersos colligendo, cum Capite Ecclesiae filios suos debito cum honore, et admirabili victoria reuniendo. Nuncium hoc abundantiam solatii cordibus nostris tribuens, et convertens dolorem ac tristitiam in iubilum et gaudium mox expedivimus una cum Literis ad Episcopos fratres nostros, Sacerdotes, totumque populum nostrae nationis, ut speciales Deo reddant gratias pro visitatione Ecclesiae facta. Et dum legissemus Allocutionem SS. de 20. Maii 1850, in qua zelum et sollicitudinem fidelium Principum et Superiorum Ecclesiasticorum, cunctorumque secundum vires suas, bonum Ecclesiae durante persecutione procurantium laudibus celebrat, commotum fuit cor nostrum ad agendas gratias, orandumque Deum, ut eos faciat victoriis abundare, compenset eorum fatigia, et magis adhuc in corde eorum solidet zelum fidei, dignitatem S. suae Ecclesiae per misericordiam suam exaltet, etc. — Mosul, 10 Iul. 1850. *Iosephus Audo*.

1141. **Vic. Apost. Sutchuensis in Sinis.** Statim ac hoc anno mihi pervenerunt literae a Beat. V. datae die 2 Febr. 1849, Coadiutorem meum, Missionarios Europaeos, ac Sinenses Sacerdotes verbo aut scripto rogavi, ut quantocius mihi notum facerent suum sensum et desiderium de Conc. immac. BVM. ab Ap. Sede decernenda in articulum fidei. *Omnes* igitur *unanimi consensu declararunt se firmissime credere SS. Deigenitricem imm. V. Mariam sine labe originali fuisse conceptam, et ideo ardentissime postulare, ut id veluti fidei doctrinam definire velit B. V. Ego autem ita firmissime credo et vehementissime supplico.* Nos proinde omnes B. V. pedibus provoluti humillime et ardentissime efflagitamus, ut mature a B. Vestra ut fidei dogma decernatur, immaculatum omnino fuisse et ab omni prorsus originalis culpae labe immunem conceptum BVM. Quae quidem definitio magnam SS, Trinitati afferet laetitiam, et amantissimam Matrem nostram valde oblectabit, immensaque toti Ecclesiae ipsa immaculata Deigenitrice impetrante conciliabit dona, ut speramus. *Easdem vero preces iam ab a. 1845 S. Sedi direxi, supplicans, ut ab ipsa definiretur, Deiparam V. in sua Conceptione ab omni originali labe praeservatam fuisse.* In Sutchuensi Missione *omnis populus fidelis immaculatam fuisse BVM. Conceptionem firmiter credit et precibus quotidie profitetur,* maxime numismatis miraculosi precem saepius in die recitando ardenter et fidenter. Magna idcirco laetitia afficietur populus noster, quando ei declarabitur praefata Ecclesiae definitio. — In Provincia Sutchuensi, 22 Aug. 1850. *Iacobus Leonardus.*

1142. **Vic. Apost. Kouei-Txeou in Sinis.** (Prorsus eodem tenore se enunciat, iisdem adhibitis verbis, cum Vicario *Huquangensi* superius relato. Datum gerit epistola: 31 Aug. 1850. Subscriptus: *Stephanus Raymundus.)*

1143. **Eppus Hispahanensis in Persia.** (Ad Congr. de Propag.) Circularis Suae Sanctitatis regnantis Summi Pontificis nostri, cuius Eminentia Vestra me honoravit exemplari uno, pertigit ad me 10. Augusti. Habito hoc mox orationes publicas in Ecclesia nostra fieri disposui iuxta ordinem Eminentiae Vestrae ad intentionem S. Patris, festinoque respondere dispositionibus Eiusdem, substernendo, exhortatione Eminentiae Vestrae animatus, opportunum responsum circa opinionem Cleri, et dispositionem populi erga Immaculatam Sanctissimae Mariae Conceptionem. *Ante solemnem decisionem S. Sedis super idgenus articulo, ab Institutoribus nostris habuimus hunc pium sensum de Gloriosa Dei Matre, tamquam doctrinam universalem totius fere Ecclesiae; ego et meus Clerus eandem libenter profitemur,* omni cum respectu et veneratione tam gravi sensui S. Matris Ecclesiae debita. Hinc, quod ad me et Clerum meum spectat, est, conformem passum sequi, et humili corde amplecti, quod visum fuerit Principibus Ecclesiae, Venerabili Consessui Episcoporum una cum Capite Ecclesiae in iis, quae respiciunt maiorem honorem Sanctissimae Virginis. Devotio et propensio pusilli gregis mei, de meis sensibus hac in parte instructi, et nutriti, amplectitur qua sacrum officium erga Sanctissimam Virginem, honoratque illam tali affectu, ut sit confirmandus in eo, desideriis suis id plene conforme esse, si communi fidelium Patri ita visum fuerit. Tribuat Deus, ut decisio talis subsequatur. — Hispahan, a. 1850. *Ioannes Derderian.*

1144. **Vic. Apost. Tunkini Orientalis in Sinis.** Quam maxima animi mei laetitia amantissimas Sanct. Vestrae literas 2 Febr. anni proxime elapsi datas de immac. SS. V. Mariae Conceptione tractantes perlegerim, verbis explicare nequeo: miratus sum Divinam Providentiam, tam dulce Mariae filiolis, tam pium, tamque ipsi Virgini Deiparae honorificum desiderium hisce calamitosis temporibus in Ecclesia Dei ferventius excitasse; *laudo Sanct. Vestrae zelum in tanta Virgini Matri procuranda gloria, nec immoror in re tam*

cordi meo iucunda, tam a fidelibus populis a longo tempore expetita suffragium meum lubentissime praestare pro immaculata absque omni prorsus labe originalis peccati conceptione Deiparae Mariae. Supervacaneum puto hic momenta exprimere, quae Angelorum Reginae tantam gloriam adstruunt; nam etsi in S. Scriptura nulla essent (sunt tamen plura luculentaque) testimonia pro tam pia assertione, sufficeret mihi, et, ni fallor, omni fideli tam communis in tota Ecclesia devotio, non solum fidelis populi sed et omnium ordinum, ut videatur quod sapientissimus Deiparae Filius permiserit tam piam assertionem praeteritis temporibus oppugnari, ut clarius his nostris diebus appareret tam maxima peculiarisque Virginis Matris gloria haec, quae nunc tam libenter tamque hilariter Immaculatae Matri ab omnibus exhibetur: ita, ut si aliquando licuit de hoc dubitare, cum nempe nec tam communis in populo devotio, nec tam flagrans in Eppali Ordine zelus, nec demum tam manifesta SS. Rom. Pontificum voluntas, non video qua ratione nunc liceat dubitare. Si nefas esset de BV. Assumtione dubium intellectum habere, cur fas nunc esset de immaculata Deiparae conceptione dubium ingerere? Qua devotione huius Vicariatus Clerus populusque fidelis erga imm. V. conceptionem sit animatus, et quo flagret desiderio, Sanct. Vestra scire desiderat: et, ut S. V. votis paream, breviter dicam, quod *tam Clerus quam fidelis populus in hoc Vicariatu SS. V. Mariam ab omni prorsus labe originalis peccati immunem pie devoteque veneratur; Regularis Clerus ex meo Praedicatorum Ordine iam ex Pontificia auctoritate proprium officium et Missam de imm. Conc. habet; Missionarii Europaei magno flagrant desiderio, ut tantus honor Virgini Matri decernatur;* Clerus vero indigena fidelisque populus cum nihil de quaestionibus in hac materia agitatis sciat, nihil de tam pia assertione unquam dubitavit, semperque absque ulla haesitatione pie credidit, suam amantissimam Matrem V. Mariam, quam incredibili devotione prosequitur, numquam contraxisse maculam peccati originalis. *Eppus* vero *Paphensis Coadiutor meus magno gaudio affectus fuit, cum Sanct. Vestrae literas legit, suumque suffragium, si opus sit, promte devoteque praestat, ut B Virgini quantocius tantus honor decernatur.* — In

regno Tunkini, 31 Maii 1850. *Fr. Hieronymus Hermosilla O. Praed.*

1145. **Vic. Apost. Cochinchinae Occid. in Sinis.** Vix ad me pervenerunt Sanct. Vestrae literae, datae die 2 Febr. anno elapso, cum Sanct. Vestrae desideriis et mandatis omni cura et studio quam libentissime obsecutus, publicam precem in meo Vicariatu indicendam et peragendam curavi iuxta Sanct. Vestrae intentionem, scilicet ad invocandum divinum lumen S. Spiritus, quo cognoscere possit Sanct. Vestra, utrum expediat solemni Apost. Sedis iudicio decernere, SS. Deigenitricem absque labe originali fuisse conceptam. Nunc data occasione Sanctitatis Vestrae quaesitis responsum dare propero. *Omnes huius Vicariatus sacerdotes sive Europaei sive indigenae eximia devotione circa omnium nostrum SS. Matris immaculatam Conceptionem animati videntur. Fideles etiam firmissime Virginis Mariae conceptionem immac. credunt,* utpote qui ab anteactis temporibus circa hoc dogma ab omnibus Missionariis edocti fuerunt. Laudabilem etiam habent consvetudinem, devotas preces in honorem huius imm. Conc. quotidie recitandi, et preces nuper indictas cum alacritate susceperunt, adeo, ut minime dubium sit, quin cum gaudio accipiant, si quod fuerit S. Sedis Ap. decretum definiens BVMariae conceptum immaculatum omnino fuisse atque ab omni originalis culpae labe immunem. *Ego autem et Ill. Eppus Dansarensis Coadiutor meus pro ea pietate, obsequio et intimo cordis affectu, quibus B V Mariam colere intendimus, illius conceptionem iuxta SS. Patrum traditionem immaculatam omnino fuisse tenemus, et vehementer exoptamus, ut tandem aliquando hunc articulum tamquam fidei dogma inconcussum nobis credere et docere liceat.* — Cochinchinae, 1 Oct. 1850. *Dominicus.*

1146. **Vic. Apost. Agrensis in Indiis.** (Ad Card. Propag.) — Loquendo de Immaculata Conceptione, consolationem habeo informandi Eminentiam Vram Rmam, quod specialem

Literam direxerim ad omnes Missionarios, disponens, ut suam de Immaculata Conceptione Sanctissimae Mariae opinionem depromant, qui *omnes una voce responderunt, Sanctissimam Mariam esse Immaculatam. Quantum ad me, desidero momentum, ut eam Immaculatam proclamari audiam.* Non me immitto in explicationem, cur aliud dicere nequeam, cum id a multis repetitum sit, unde saltem benignam exoro veniam, quod non mox dederim responsum ad Circulares S. Patris, iam pridem receptas. — 26. Octobris 1850. *Caietanus Carli.*

1147. **Vic. Apost. Iapponicus in Sinis.** Vehementissimis doloribus diuturni morbi cruciabar, dum ad me perlatae fuissent SSmi Patris nostri literae, in merito immaculatae Conceptionis SSmae Virginis ad universos Orbis Eppos dimissae. Ad eas respondere, tunc non potui, neque scio, an respondendi mora supersit; cupio nihilominus Eminentiam Vram, et per Eam — si fieri possit — SSmum Patrem nostrum certiorem reddere, de vivido sinceroque gaudio, quod ipse persentiscerem, si Suae Stti dogmatice definire placuerit: Conceptionem SSmae Virginis, Matris Dei, Matrisque nostrae omnino immaculatam fuisse. Adiicere debeo, meos Missionarios, omnesque mihi adiunctos eadem mecum sensa fovere. — Mense Octobri 1850. *Theodorus Augustinus Forcade.*

1148. **Vic. Apost. Xantumensis in Sinis.** (Eiusdem ad verbum tenoris epistola cum illa Vicarii *Huquangensis* supra relata. — Datum epistolae: 10 Dec. 1850. Subscriptus: *F. Aloysius a Castellatio O. Min.)*

1149. **Vic. Apost. Cochinchinae Oriént. in Sinis.** Nuperrime tantum recepi epistolam Vestram encyclicam datam die 2 Febr. 1849. Illam cum maximo gaudio et solamine

perlegi. *Antea ex toto corde adhaeseram desiderio ceterorum totius orbis cath. Epporum, qui rogabant Sanct. Vestram, ut solemni iudicio decernere dignaretur, BVMariam sine labe originali conceptam fuisse. Tota spes nostra in istis regionibus diuturnis tribulationibus tentatis, posita est in SSma Matre nostra, a qua salutem expectamus.* Quanta ergo felicitate et alacritate et Pastores et oves audient, nullum deinceps a quovis posse dubium moveri de immac. conceptione amantissimae Matris nostrae, de qua ipsi nullo modo iam dubitant. Nuper legi opus ab Ill. et devotissimo Eppo Lingonensi gallice recens de hac re scriptum. Omnibus, quae in hoc opere continentur, me adiungo. Deum O. M. deprecor, ut Sanct. Vestram diutissime pro felici Ecclesiae statu servet, et ut semper speciali iuvamine protegat, sicut hucusque adiuvit in omnibus. In istis dissitis regionibus non potui clare cognoscere quae in Europa acta sunt; sed audivi Sanct. Vestram summis doloribus oppressam fuisse, et omnibus adversitatibus maiorem se praebuisse. Benedictus Deus, qui Ecclesiam sanctam, dilectam Christi sponsam numquam deserens, suscitavit hominem secundum cor suum, qui illam tantis procellis agitatam strenue gubernaret. — Ex Cochinchina Orientali, 2 Ian. 1851. *Franciscus M. Ben. Ag. Pellerin.*

1150. **Vic. Apost. Fokiensis in Sinis.** Frater Michael Calderon, minimus inter cath. Antistites, — breviter exponit: *se firmiter adhaerere doctrinae de imm. Conc. BVM. imo fideles omnes huius Provinciae eandem tenere sententiam;* siquidem in communibus suis precibus multa inveniuntur in honorem eiusdem immac. Conceptionis, et apud illos frequentissimus est usus schedularum, quas Deiparae literas vocant, et quae in honorem imm. conc. ipsis distribuuntur, praecipue pro pueris infirmantibus et mulieribus parturientibus; quapropter gratissimum proculdubio ipsis foret, si Apost. Sedis solemni decerneretur iudicio, BVMariam ab originalis peccati macula immunem omnino extitisse. Ceterum *post ea, quae S. Ligorius*

scripsit, nihil amplius in hac re desiderandum videtur, nisi solemne Sedis Ap. iudicium, quod ardenter exoptat et humiliter postulat, qui haec exponit. — 1851. *Fr. Michael Calderon.*

---

2. *Contra decisionem.*

1151. **Vic. Ap. Mayssurii in Indiis.** — Vota nostra precesque populorum pro Summo Patre nostro incessanter maximoque cum amore ad thronum gratiae dirigi pro certo teneas, humiliter deprecamur: sed *quoad quaestionem immac. conceptionis christianos nostros in testimonium afferre nollem.* Siquidem isti sunt ignari neophyti pendentes ab ore nostro; admittunt certe opinionem imm. conceptionis, quia nos ubique talem praedicavimus; verum penitus ignorant controversiam theologorum, ideoque illorum desiderium circa decisionem futuram inquirere prudens aut utile nobis non apparuit. *Quindecim sunt Missionarii in hoc Vicariatu: 13 firmiter credunt immac. Conceptionem, illamque desiderant definiri de fide; unus illam tamquam probabiliorem admittit, et, si augmentum gloriae BMV. ex decisione provenire possit, decisionem quoque desiderat; unus nihil respondit.* Meam nunc humiliter simpliciterque pedibus Sanct. tuae sententiam subiicio. 1. Quamvis omnes nos filii irae natura simus, etiam si omnes perierint in priore Adam: attamen *neque fidei, neque rationi meae repugnat admittere mirabilem ac gratuitam exceptionem de facto erga BVirginem;* quinimo summe congruum mihi videtur talem contigisse exceptionem, unde *naturaliter credo, Deum tale privilegium cum multis aliis gratuitis gratiis BM Virgini concessisse.* 2. Verumtamen eo, quod neque Scriptura S. neque Traditio antiqua talem exemtionem a labe originalis peccati concessam fuisse BMVirgini satis clare probent, *fide divina credere nequeo.* Aliunde considerando Verbum Dei multis aliis indignitatibus in vita suorum avorum et aviarum secundum carnem non repugnasse, a pari Matrem, saltem in momento, originali culpa, stricte non sua, maculatam accepisse absolute fieri potuisset; unde mea opinio hucusque stat solum in sensu naturali convenientiae erga Redemtorem meum et in pio desi-

derio gloriae et venerationis erga Matrem illius dilectissimam. 3. Timens, ne Protestantes et Philosophi talem decisionem tamquam de fide, catholico axiomati ‚quod semper quod ubique quod ab omnibus' contrariam esse obiiciendo, purasque opiniones sub poena damnationis Romanam Ecclesiam imponere succlamando, certissima etiam recusent dogmata; praeterea christianorum confidentiam circa purissimam Mariam, fervoremque in cultu Matris peccatorum refugii tali decisione augeri posse clare non perspiciens; praecipue nolens, hodie imponere tamquam de fide et sub poena damnationis opinionem intra 18 secula liberam, quamvis a multis piissimis et doctissimis Pontificibus perscrutatam, nihilominus semper indecisam; futuro Sanct. tuae iudicio profundissime submissus, *talem definitionem desiderare nullo modo queo, et pro conscientia mea fateri cogor.* — Bengalori, 10 April. 1851. *S. L. Charbonneaux.*

1152. **Vic. Apost. Coimbatorii in Indiis.** — Testificari urgeor, quanto perfusi sumus gaudio legentes epistolam Vestram, minime dubitantes magnam exinde orituram esse gloriam Divae Mariae, quae alma Mater nostra est, consolatrixque nostra, et firmissima post D. N. I. C. spes nostra, inter acerba pericula, quibus infelicibus temporibus nostris obnoxii remanemus omnes. Etenim ad quamcunque partem verteritis ex afflatu Spiritus S. definitionem dogmaticam de immac. Conc. BMV.: *Epistola Vestra, B. Pater, adeo solemne momentum est in favorem istius piae opinionis, ut in perpetuum illam confirmaverit.* Haud dubie deinceps ineffabilis haec praerogativa Matris Dei indubitanter vera habebitur, adversus quam nullum catholicorum os loquens amplius audietur. *Evidens est, egregios Doctores eximiosque Sanctos, qui contrarium documentum quasi patrocinari videntur, suas scripsisse sententias ex eo principio, quod doctrinam a nobis professam non satis conformem existimaverint doctrinae S. Sedis, quae tunc temporis suam mentem non clare patefecerat.* Ex contextu enim et praesertim ex serie operum suorum demonstratur, praeclaros illos viros sicut nos-

met autumaturos fuisse, si in nostra aetate vitam degissent. Si vocem audivissent Pontificum, qui subsequenti tempore omni quo potuerunt modo faverunt doctrinae nostrae; si amantibus Mariae pretiosissimam Beat. Vestrae legissent epistolam; si testes fuissent gaudii et pietatis, quibuscum a diuturno iam tempore in tota Ecclesia festum Conceptionis BMV. celebratur; si tandem studiosissimam diligentiam ex omni parte ostensam in novo suscipiendo officio a Beat. Vestra approbato, quod non de Conceptione BMV. tantum ut prius, sed immaculatae Conceptionis BMV. nuncupatur, ipsis admirari datum fuisset: profecto firmiter ut et nos purissimam sanctissimamque Virginem absque peccato conceptam fuisse existimassent, et nullum est dubium, quin hanc piam veritatem exclusive in suis perennis memoriae scriptis consignassent. Itaque, B. Pater, *mysterium immac. conceptionis BMV. ut certam minimeque dubiam veritatem tenemus, et hanc gloriosissimam dotem Matris nostrae dilectissimae piaque exercitia huic connexa propugnare et apud fideles vulgare munus nostrum erit ac filiale gaudium. Quae opinio non solum mea est, sed et Christianorum meorum,* in quantum suae ignorantiae habita ratione suam mentem ostendere possunt; sed *et iuvenis quasi e terra germinantis Cleri huius Vicariatus,* qui aliunde cum contrariam opinionem proferri numquam audierit, dubium de hac re ut gravem Mariae iniuriam haberet; *haec opinio denique Missionariorum meorum est, qui omnes ardenti zelo ferventes in gloriam Mariae et immaculatam eius conceptionem credunt, et ut opinio nostra usque ad articulum fidei erigatur solemni S. Sedis iudicio desiderant.*

Quoad hanc vero *definitionem,* B. Pater, omnia, quae in intima mente mea volvuntur, ante oculos B. V. cum filiali simplicitate explanare mihi liceat, quaeso. Siquidem vituperatione dignum me existimarem, si non pari sinceritate, qua opinionem meam professus sum, et timores meos non patefacerem. Quamvis ergo nihil insit in me dubii de imm. conc. BMV. *non possum, quin timeam ex definitione istius doctrinae ut articuli fidei aliqua oriunda esse damna pro Ecclesia; non possum quin timeam, ne talis definitio, salva reverentia debita numerosis et piissimis theologis, qui eam urgent, quasi*

speciem quamdam novitatis praeseferat, et imminuat vim maiestatemque traditionis, cuius firmitas posthac magis ac magis exoptabitur. Proculdubio si S. Sedes imm. conc. BMV. articulum fidei revelatae declarabit, eo ipso traditionem (nam, ut arbitror, haec revelatio super Scripturam solam, quod periculosius adhuc mihi videretur, numquam fulcietur) talem semper fuisse definiet, quod quidem sufficiens erit animo in fide firmo et constanti. At vero quoad debiliores in fide, imbecillitati quorum semper indulgendum erit, probanda sunt momenta traditionis huius, super quam innixa Ecclesia definitionem protulerit. Opus haud facile quidem. *Non obstantibus piis conatibus et quasi industria recentiorum theologorum, nonne fatendum est, demonstrationes eorum non faciles esse conceptui plerumque fidelium?* Porro magni referre mihi videtur, traditionem aliunde pretiosissimam, quae in procellis, quibus adhuc iactabitur Mater Ecclesia, anchora salutis erit, claram omniumque menti perspicuam inveniendam esse. Forsitan timeo, ubi non est timor. Sed fateor, timeo caliginosum mendacium, quod magis ac magis humanam mentem obvoluturum videtur. Hujus auxilio fretus princeps tenebrarum multos seducet, nisi quasi scrupulosissime veneremur traditionem. Iactitent alii vanas scientias istius aevi, mundumque de die in diem progredi asserant. Ego vero genus humanum in haud vitabile caliginosum barathrum praeceps se dare heu lugens prospicio! Portentosus abusus artis typographicae, diariorum venenum, quod usque apud barbaras gentes sese insinuat, mentes corrumpit et a via recta sensim declinat; libertas scribendi, typis mandandi et ubique spargendi omnis generis libros, bonos ac malos, de quacunque re tractantes, quibus sacrum indigne profano miscetur, elata ferrea fronte errorem sustinentes, necnon sub specie sanae philosophiae vel theologiae pravam doctrinam arte connexis obnubilatam argutiis propagantes, ita, ut sapientissimae leges Ecclesiae de hac materia efficaciter etiam in catholicis imperiis protegi nequeant, haec, inquam, simul cum aliis pluribus causis adeo magnam perturbationem in intellectu hominum allatura mihi videntur, ut inposterum magis quam ante forsan *catholici ratiociniis diffidentes, sed*

documentis S. Traditionis inhaerentes illud tantum indubitanter verum, illud tantum certitudine fidei certum agnoscere cogentur, quod ubique quod semper quod ab omnibus creditum est. Porro, ut ad incepta redeam, non obstante pia industria recentiorum theologorum, eorumque diligentia scrutandi opera Patrum, et quidquid directe vel indirecte, evidenter vel deductive opinionem nostram tuetur, producendi, *difficile remanet meo sensu probare, semper et praesertim ubique imm. conc. BMV. creditam fuisse.* Ex tali vero difficultate nonne debiles in fide coniicientur in discrimen dubitandi non solum de articulo illo definito, sed et de ipsa traditione, quae huius revelationis sacrarium fuit? Exinde quaenam damna non timenda pro infirma fide, cuius imbecillitati indulgere nobis munus est? Itaque, B. Pater, *veritatem de imm. conc. Mariae inter veritates, quae pie creditae generaliter admittuntur, remanere anteponerem.* Nulla enim deinceps exceptio numerabitur. Nec sine fructu remanebit pretiosa ac piam svavitatem redolens epistola B. Vestrae. Haec enim securim ad radicem usque infigendo, controversiae quondam infaustae sed nullo modo renovandae finem absolutum dederit. Inposterum nullus invenietur tam audax catholicus, qui renovare audeat et sustinere opinionem S. Sedis menti, fideliumque piae et communi autumationi apertissime oppositam. Si quis auderet infelix, merito temeritatis notam incurreret. Quid autem? num pro vere catholico firmius quam talis nota aliud vinculum requiritur? Ille, qui a tali nota non terreretur, sane timendum est, ne et haeresis notam non formidaret: et tunc praesentia novi cuiusdam temerarii minori damno esset Ecclesiae, quam praesentia novi haeretici. Quamvis enim temerarius ille absolute loquendo factiosos quosdam sibi adunare possit, numquam ut haereticus ad novam sectam effingendam potens reperietur. Hic est, B. Pater, autumandi modus ultimi totius Christianitatis Epporum, humillimi filiorum B. V. Si vero cogitatum meum integrum ante oculos Vestros proponendum arbitratus sum, *simul testificor de omnimodo meo anticipato obsequio omnibus, quae a Sanct. Vestra iudicabuntur et definientur.* Nec minimum quidem dubium ingero, Beat. Vestram, si ad bonum Ecclesiae dogmaticam definitionem

requiri indicaverit, ab ipso Spiritu S. afflari, statimque Dei auxiliante gratia tamquam articulum fidei firmiter credam, quod nunc ut piam veritatem totis praecordiis profiteor. — Prope Coimbatore, 13 Maii 1851. *M. M. I. de Marion Bresillac.*

1153—1157.

Responsa ex Africa ad Encyclicam Pii IX.

a. 1849. 1850.

1153. **Eppus Algeriensis.** Quum ex infausto nefandoque exilio ad nos pervenerunt Encyclicae literae de Immaculata BV. mox definienda Conceptione, gaudio non mediocri exultavit *Africa Christiana:* non enim littoribus nostris inaudita erat illa seculorum doctrina. Triplici quippe sub aevo, videlicet Christianismi florentis, barbariei saevientis, et fidei redivivae, Mariam immaculatam resonabant. Dixerat Augustinus: ‚Excepta S. V. Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem.' Narrat ipse Koran: ‚Angeli dixerunt Mariae: Elegit te Deus, immunem te fecit ab omni labe, inter omnes mulieres te elegit.' Nec prius in Sedem Algerianam iam nuper ascenderat venerabilis Antecessor noster, quam annuente Sede Apostolica nomen *Immaculatae* publice decantandum et *sine labe conceptae* publice recitandum attulerit. Piae igitur huic traditioni, quotquot sunt Algeriensis Ecclesiae membra, Galli, Itali, Hispani, Melitenses, Germani, laici, Religiosi, Clerici, Sacerdotes, viri ac mulieres, ex imo corde unanimes adhaerent. Nec milites nostros praetereamus, quorum pars non minima sacro Virginis numismate velut armati pugnas adversus infideles alacrius inire confidunt. Ideo, B. Pater, lubenti animo et magna cordis nostri illorumque voluptate publicas Deo preces indiximus, ut suae gratiae lumine mentem Sanct. Vestrae collustrare velit, quo cognoscere possit, quid in hac re ab ipsa sit peragendum. Preces vero illas, ut frequentiori

concursu fidelium, pompa splendidiori, necnon maiori pietate ferverent, quum in mensem Marianum transtulerimus, delusa non fuit spes nostra; quotidianis enim orationibus, votis, hymnis, floribus, luminaribusque altaria Beatae certatim ambiuntur. Unde, B. Pater, dignoscet Sanct. Vestra, qua devotione noster Clerus populusque fidelis erga Conceptionem Immaculatam sint animati, et quo desiderio flagrent, ut eiusmodi res ab Apost. Sede decernatur. Requirit insuper Sanct. Vestra, quid de re ipsa nostra sentiat et exoptet humilitas: paucis responsum fecerimus. Natus in dioecesi Lugdunensi, educatus ipso in gremio illius Ecclesiae, quae prima, ut fertur, in Galliis Imm. Conceptionis altare condidit festumque solemne celebravit; mancipatus huic Lugduneae Civitati, quae iam a seculo XVII rite sua suosque voverat Immaculatae; alumnus postea, professor et decanus in Facultate Theologiae, quae Sacrae Facultatis Parisiensis in his saltem haeres, Immaculatam profiteri gloriatur; Eppus nunc tot animarum, quae, licet ad nos undique confluxerint, uno tamen ore deprecantur Immaculatam; *praemissis Spiritus S. invocatione necnon serio propositae quaestionis examine, sentimus: posse definiri a Sede Apost. veluti Cath. Ecclesiae doctrinam, BMV. Conceptum immaculatum omnino fuisse atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* Definitionem porro, quae iampridem multorum in votis erat, quis hodie non exoptaret, praesertim quum illam efflagitent honor D. N. I. C. tutamen veritatis, maior Beatae laus et cultus accrescens, gratiae spirituales benedictionesque inde illapsurae; quum pacato a longe vel leviori hac de re controversiarum flatu, proposito faveat concordia doctorum unanimis, quum plaudat universorum pietas, et nova subsidia precetur Ecclesia tot procellis impetita et iactata? Dignetur autem Deus, qui totum nos voluit habere per Mariam, Sanctitati Vestrae suae in illam devotionis quantocius mercedem rependere, Pontificem omni laude dignissimum Sedi Romanae restituere et orbis universi luctum in gaudium convertere! Dignetur et ipsa BVirgo misericordes oculos in nos coniicere, qui radiante licet evangelio regionibus hisce nostris, adhuc in tenebris et in umbra mortis sedent, ut eiurata demum impia et foeda superstitione

in Filium eius credant, Deum D. N. I. C. qui solus est via, veritas, et vita! — Algerii, 3 Maii 1849. *Ludovicus Antonius Augustinus Pavy.*

1154. **Vicarius Apost. Tunitanus.** Encyclicas Literas, quas Sanctitas Vestra ad omnes Episcopos mundi Catholici dirigere dignata est, 2. Februarii 1849 datas, 7 dumtaxat die currentis mensis percepi. Assecuro Sanctitatem Vestram, quod eas ipsa die notas reddiderim Clero nostro, et sequenti die Nativitatis Beatissimae Virginis, tempore Missae solemnis congruam asservaverim Allocutionem ad populum, qui numerosus et devotus assistebat sacrae huic functioni. *Desiderium et preces, quas ego et Ecclesiastici seculares et regulares Sanctitati Vestrae humillime exponimus, sunt perfecte conformes supplicationi ad Sanctam Sedem iteratis vicibus directae, ut pia fidelium fides, et religiosa opinio scholarum catholicarum, Mariam conceptam et creatam fuisse sine culpa, sine macula, sine umbra peccati, declaretur doctrina nostrae Sanctae, Catholicae, Apostolicae, Romanae Ecclesiae. In tota hac regione Tunisiensi,* non obstantibus tantis vicissitudinibus incursionum, incendiorum, pestilentiae, nationum diversitate, *pia haec fides de immaculato conceptu Mariae semper se sustentavit,* et festum immaculatae Conceptionis Mariae, die 8 Decembris constanter celebratur cum solemnitate, devotione et concursu, prout in maioribus Ecclesiae solemnitatibus. — Tunisii, 9 Sept. 1849 *Fr. Fidelis.*

1155. **Vic. Apost. Abyssiniae.** Tuae ad me peramantissimae literae Caietae conscriptae, quas hodie primum accepi, huius tempestatis magnum mysterium aperire visae sunt mihi: iamdudum scilicet statutum fuisse, ut Amani, Sisarae, Holofernis ceterorumque huiusmodi antiqui serpentis administrorum caput hodie illius ,Benedictae inter mulieres' pede, sicut olim ac semper, conteratur; utque corruptae illius doctrinae virus, quod tantorum hodie artus miserabiliter occupat, penitus extingveretur, plebs tota fidelium una tecum

fidentissime inclamet: Sine ulla labe concepta, o Beatissima Virgo, ora pro nobis Deum, cuius Filium peperisti! Inter istos meos *Aethiopes* Christianos, ubi omnem purae doctrinae fruticem impia schismaticorum haereticorumque manus tot secavit ab annis, *ingenti tamen meo gaudio inveni, fere unanimiter sectae cuiuscunque sectatores profiteri: omnium nostrum amantissimam Matrem omni prorsus originalis culpae labe vindicatam fuisse conceptam.* Si quid ergo in hac mea tam difficili provincia, quam primitus Gregorius XVI mihi commisit, quamque a te, licet indignissimus novis magnisque potestatibus auctus, rursus commendatissimam habui, boni adest, si quid religionis novissime invectum: totum hoc praesentissimo BMV. Numini, quod omnes nos illa celebri ubique terrarum praedicatione ‚o Maria, sine labe originali concepta, intercede pro nobis peccatoribus te invocantibus' quotidie salutamus, certissime tribuendum est. Hinc est, me maximo superabundare gaudio, quod pontifex sim factus a te Pontifice Maximo, qui nunc Mariam lucidans claritate, qua a seculo numquam claruerat, magnam aeternae vitae promissionem una tecum mihi quoque acquirit firmatque. Haud minimo denique afficior gaudio eo, quod in ipso meo Eppali officio illius Congregationis adhuc sim alumnus, cui a prima mea aetate nomen dedi, quaeque miris profecto modis religionem erga huiusmodi Dei Matris praestantissimum privilegium nostris potissimum hisce temporibus augere studet. *Est* enim *mihi,* B. Pater, *omnino persvasum, elogium illud, quo BVirgo* ‚gratia plena' *dicta est ab Angelo, quoniam totum verum totumque certum ac plenum, ad omnia quoque istius singularis Creaturae existentiae beatissimae momenta, ne primo quidem suae SS. Conceptionis temporis puncto excepto, plenissime pertinere.* — Abyssiniae, 24 Oct. 1849. *Iustinus.*

1156. **Eppus Portus Ludovici in insula Mauritia.** — Comperto e catholicis ephemeridibus eo, S. Sedem scire cupere Epporum opinionem, quoad doctrinam de immaculata Conceptione SSmae Virginis, favorabilem hanc occasionem praeterlabi sinere haud potui, quin declararem:

me toto corde adstipulari opinioni, quae tenet, SSmam Mariam, Divini Redemptoris nostri Matrem, miraculoso et prorsus unico privilegio ab omni originali labe praeservatam fuisse. Nemo catholicorum hac in Dioecesi reperitur, qui aliter sentiret; laetusque assevero: omnes isthic fideles tenera devotione erga Mariam, sine peccato conceptam animari. Nullas quidem ab Eminentia Vra accepi literas, quibus meam super hac quaestione sententiam exquireret; nihilominus tamen eandem humiliter expono, gratitudinem meam testari cupiens beatissimae Matri Salvatoris, quam iustissimis titulis vitam, dulcedinem et spem nostram salutamus. Certe toto vitae meae tempore me poeniteret, si debilem vocem meam, in praedicandis gloriosis privilegiis Mariae, vocibus principum Ecclesiae non admiscerem, quemadmodum illam vocibus omnium peccatorum conversorum, misericordiam Eius concinentium, adiungere debeo. — In Portu Ludovici, 20 Octobris 1849. *V. B. Allen Callien.*

1157. **Praefectus et Parochus Apost. Tripolitanus in Barbaria.** (Ad Card. Praef. Propag.) Svavibus E. V. mandatis obediturus multo magis obsecundaturus desideriis Suae Sanctitatis, et praeferenter pro maiori gloria, ut speratur, Beatissimae Virginis Mariae, propero praesentare paucas notitias, omnes Immaculatae Reginae favorabiles. Paucis a percepta pretiosissima Circulari de Immaculato Conceptu Mariae diebus, ab Altari intimavi 26. praeteriti Maii, privatas et publicas Orationes, ut Pater luminum speciali modo Summum Pontificem illustrare dignetur, ad solemniter definiendam quaestionem de Immaculata Conceptione Sanctissimae Mariae. Eadem die incepit novem dierum devotio ad Sanctissimam Trinitatem ex amore Mariae Immaculatae. Dein novennarium Missarum in nostra Capella Reginae Immaculatae dicata, cum aliis precibus ad Sanctissimam Trinitatem. Quis fuerit populi concursus his Novennae diebus, Eidem dico, non fuisse quidem parvum, sed nec ita magnum ut expectabatur. Et quo e motivo? Sciat E. V. rationem. Totus populus mira-

batur, et tamquam in incerto positus scandalisabatur ob has preces; dicendo unus alteri: quomodo? ergo Sanctissima Maria non fuit declarata Immaculata? Nos hodiedum eam, qua talem reputavimus, coluimus, venerati sumus, ergo ad quid hodie istae orationes? Ex hoc adeo ignorante, sed simplici cogitandi modo cognoscere potest E. V. quis sit communis sensus istius populi. Ut ergo eidem meritum causae notum reddatur, verba fiebant per novem vesperas de Immaculata Regina, et veniendo ad retectionem, cur hodiedum pro Christianis non fuerit articulus fidei, sed solum pia Ecclesiae fides, Immaculatus Mariae Conceptus, saltem tunc monstravit singulus magnum desiderium et urgens quo ocyus videndi Mariam declaratam pro tali per solemne Summi Pontificis iudicium. Ex hic dictis patebit E. V. qualis et quanta fuerit in praeterito devotio huius gregis erga Immaculatam Mariae Conceptionem, motivum, ob quod dies Sabbati est in magna veneratione et aestimio apud istos fideles. *Si de meo sensu quaeratur circa admirabilem Mariae conceptum, missis centum et mille rationibus quae me movebant, persuadebant et penitus pro favore convincebant, dico E. V. id, quod dixi et promisi in privato carae meae Reginae Immaculatae, nempe, quod ad sustentandum, eam sine macula originalis peccati conceptam esse, pronus sim offerre vitam et profundere sangvinem, quoties opus foret,* sacrificium qualecunque ferre pro ea ut tali ostendenda. Et quomodo possem ex adverso, credere, mihique persuadere Mariam, quae in mundum eo scopo venit, ut de pace ageret hominum cum Deo, si illa per peccatum originale inimica erat Deo, ut sunt omnes alii filii Adae? Quomodo possem cantare Lilium inter spinas, si concepta in peccato, ut omnes alii? Quomodo hortum conclusum, si devastatus per communem inimicum? Quomodo fontem sigillatum, si aquae fuissent venenatae? Imo, quomodo non deberem iuste dubitare de puritate fructus, si planta eum producens fuit primitive infecta? Credere et defendere contrarium? Quam valde deberem inhonorare, Augustissimam Trinitatem, quia indecens esset Patre, ut pro filia primogenita elegisset creaturam Luciferi sclavam propter peccatum originale; indecens etiam filio, si eam elegisset in Matrem; et Spiritu S. si eam formavit pro-

sua sponsa. Repeto ergo, me promtum esse ad sacrificandas manus et pedes, vitam et sangvinem ad sustentandam hanc quaestionem pro me adeo delicatam, et pro corde omnium meorum Cooperatorum. *Desideramus* eapropter *et enixe oramus Coelum et Beatissimam Virginem Mariam, ut in momento emittat radium penetrantissimae lucis in communem fidelium Patrem, ad eam quo ocyus declarandam immunem a quacunque macula originalis peccati.* Tripoli Barbariae, 3 Iunii 1850. *Fr. Venantius de S. Venantio.*

1158—1160.

Responsa duorum Epporum in Partibus infid. ad Encyclicam Pontificiam. 1849. 1854.

1158. **Eppus Hesebonensis.** Inde a tempore, quo nonnulli viri Romae sensa Catholicorum Epporum, circa magni momenti quaestionem immaculatae Conceptionis Mariae exquirere coeperunt, animo volvi consilium: *me adiungere his, qui dogmaticam huius veritatis decisionem a Stte Vra postularunt. Doctrinam hanc iam antea in meis scriptis propugnavi.* Insuper adscriptus sum societati — extranearum Missionum — quae ab ipsis suis primordiis, seculo videlicet 17 eandem veritatem profitetur. His sub titulis et ex amore ac gratitudine erga Immaculatam Virginem officii mei esse censui Stti Vrae supplicare: ut Ecclesiam insigni hoc favore, a publica pietate desiderato, ornare dignetur. Tusculi, 5 Octobris 1849. *I. F. O. Luquet.*

1159. **Patriarcha Lat. Alexandrinus.** In tanto totius catholici Eppatus studio et alacritate, ut consulenti tibi, B. Pater, de BMV. conceptione immaculata obsequentissime responderent, non alienum a meo officio sum arbitratus, si et ego pro mea tenuitate, quid sentirem de re gravissima, fideliter proferrem. Quod etiam lubentius perfeci, quod tua

benignitate et indulgentia illius Ecclesiae gradum et dignitatem licet immerens assecutus eram, in qua Magnus ille *Dionysius*, totius orbis catholici lumen et decus eximium, adeo praeclara de re, quam agimus, edidit voce et scriptis testimonia; ita ut qui ferme antiquissimus tanti privilegii Parentis optimae vindex extiterat, ille nunc per successorem suum vel indignissimum ultimum sententiae tuae calculum et suffragium adiiciat. Excipe proinde, B. Pater, ea, qua consvevisti, benevolentia et comitate hanc servi tui obedientissimi lucubrationem, quae tum amorem, quo feror erga Matrem amantissimam, testetur, tum paratam semper voluntatem meam significet, ut, quidquid viribus vel facultate mea possim conficere, id semper ultro praestiterim, neve tibi opera mea aut studium in ulla re deficiat. — Romae, VII Kal. Nov. 1854. *Daulus Augustus*.

1160. **Lucubratio sub titulo: De immaculato B. Deiparae Virginis conceptu Votum Patriarchae Alexandrini.** Id mihi prope in exitu labentis vitae atque infirmae valetudinis laboribus solatium Deum clementissimum daturum confido, ut, quam a teneris ungviculis puram, intemeratam, omnisque labis semper expertem solitus eram venerari, eam tandem uti singulari hoc privilegio a Deo donatam totius Ecclesiae Cath. mirabili consensione Sedisque Ap. decreto ineluctabili Christianorum fidei propositam ad credendum gratularer; ita, ut mihi licet immerenti et cum sanctissimo viro comparari indignissimo fas tamen sit cum sene illo evangelico Simeone conclamare: Nunc dimittis Domine servum tuum in pace. Quippe inter tot et tam varias, quibus modo premitur humanum genus, aerumnas ex eventu hoc auspicatissimo et pacem et salutem et decus Ecclesiae Dei, et omnia bona, quae adprecamur, exoritura esse vehementer confido. Iamvero ut illi sententiae adhaeream, quae ab originali labe immunem Virginem beatissimam asserit, permulta, atque uti videtur, gravissima urgent atque svadent. Namque *in ipsis divinis paginis perfacile hoc posse deprehendi* non ego tantum sed permulti pientissimi atque sapien-

tissimi viri satis solide propugnarunt. Primum enim perillustre illud oraculum, quod legimus *Gen. 3, 14. 15.* eam veritatem luculenter ostendit; siquidem Deus serpentem seductorem ac sub eius figura draconem infernum manu potenti perculsurus, inimicitias, inquit, ponam etc. Novi equidem controversias permultas in eius loci explicatione fuisse excitatas, cum alii hebraicam lectionem praeferrent, quae *ipse* vel *ipsum* sonat, alii vero vulgatam hanc nostram asserunt, quae satanici capitis contritionem mulieri, Virgini nimirum, adscribit; sed salva res est, ac quomodocunque legendum sit, eodem semper redire videtur. In id enim Deus intendit, ut tentatoris superbi confundat arrogantiam eiusque conatus eversum iri praedicet apertissime. Plane ex hoc oraculo, quod antonomastice solet ‚Protoevangelion' appellari, promissio exhibetur Redemtoris futuri, cuius virtute peccatum a daemone in orbem inductum conterendum erat, ac solvenda captivitas, qua genus humanum tenebatur. Feminam primum, ac per eam virum in fraudem induxerat teterrimus hostis, ac ne ea victoria laetaretur, mulierem eiusque semen illi Deus ultor opponit: easdemque inimicitias, quas mulieris semen in diabolum eiusque semen (peccatum) erat exerciturum, easdem colere mulier praestantissima, demonstrative in textu hebraico nuncupata, praenunciatur. Conveniunt saniores omnes, non ibi de Heva sermonem esse, quippe quae prima et miserrima daemonis victima extiterat; non de qualibet muliere, eo quod particula demonstrativa in originali autographo adiecta repugnat; mulier itaque nobilissima atque inter omnes electa designatur, cuius filius satanam debellaturus eius semen poterat compellari: id autem nonnisi de Virgine SS. potest intelligi, cuius natus non virili opera, sed virgineo sangvine et visceribus erat concipiendus. Duo itaque, ni fallor, a Domino serpentis punitore indicantur: alterum universo humano generi perutile ac saluberrimum, nempe virum fore aliquando, qui semen mulieris esset, i. e. a sola muliere nasceretur, qui caput, potentiam nempe viresque inimici contunderet ac proculcaret; alterum, quod nos modo propugnamus, mulierem fore huius victoris matrem, quam inimicam semper, non servam ac subditam draco ille experiretur. De Christo loquens semper innocentissimo Spiritus S.

per Apostolum, vocat impollutum, segregatum a peccatoribus: sic persimili dicendi ratione hic loci Deus effatur, inimicitias fore inter diabolum eiusque semen, quod sunt peccatores ac labes peccati, et inter mulierem praestantissimam, unicam, magnae sobolis parentem, eiusque natum invictum, daemones debellaturum. Ex quibus inimicitiis cum hostis tartarei confusio et damnatio exurgeret, iam fieri non poterat, ut in eam inimicus venenum suum ac tabem criminis insidiator effunderet. Prae oculis est habendum, excidium illud infelicissimum, quod in humanum genus lucifer molitus erat, in eo ad amussim consistere, ut per originalem maculam semen omne Adam inficeretur: atqui non vir, semen ipsius Adam, sed mulier, auctrix quodammodo novi seminis, et illius soboles veluti vindices et ultores tantae fraudis daemoni obiiciuntur. Uterque igitur Mater et Filius ab ipsius fraudis effectu expertes futuri erant, non servi sed hostes, non domiti sed victores. Qua in re exponenda svavissimo perfundor gaudio, cogitans, *adeo Deum mulierem hanc innocentissimam adamasse, ut, dum hoc protoevangelium et prima revelationis, ut ita dicam, fundamenta poneret, ac brevissimis verbis humani generis reparationem polliceretur, dulcissimae filiae suae maternitatem, virginitatem, virtutem in hostes, et innocentiam absolutissimam ab omni labe significatam, apertam confirmatam voluerit.* Verum enimvero *figurae* ipsae, quibus Virginis Deiparae virtus ac dignitas adumbrata fuit, idem videntur evincere. Sane *Iudith* Holofernem prosternens mulieris huiusce invictissimae imaginem exhibuit. Atqui fructus uberrimus ac gloria honestissima, qua se maxime decoratam gavisa est herois illa, in eo potissimum fuit, quod labem nullam nullamque maculam in eo certamine contraxisset. ‚Vivit Dominus, quoniam custodivit me et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.' Ast enim victoria, quam retulit Herois nostra coelestis, promissa satanae inimica, in hoc mundo profecto contigit, ubi castra ille posuerat et longe lateque grassabatur. Quid est ergo, quod Iudith Mariae imago sese euntem, commorantem et revertentem, puram integram ac numquam coinquinatam glorietur? Oppido si momento temporis anima Virginis labe

foedata extitisset, utique commorantem et revertentem sese maculae expertem iure meritoque pronunciaret: at cunctis primordia quomodo praedicarentur immaculata? Iamvero in eo potissimum figurae elucet similitudo, quod ambas conflictantes Deus custodierit, quod utraque castissima innocens impolluta ab hoste permanserit; quid est ergo, quod non et eadem verba Mariae debeant aptari, ne id quodammodo, quod figura expressum fuerat, imagine ipsa inferius deterius minusque perfectum dicatur? Absit id a nobis, qui ea, quae de Virgine commemorantur, non stricte et abscisse, sed latissime atque amplissime, quoad absque Dei iniuria fieri possit, intelligere et confiteri assvevimus. In eo potissimum elucet figurae similitudo, quod ambas conflictantes Deus custodierit, quod utraque castissima innocens impolluta ab hoste permanserit. — Nec minus splendidum Mariae typum magnanima illa mulier suppeditat *Persarum Regina, (Esther)* quae cum populi sui excidium deprecatura ad Regis thronum accessisset, fatalem legem pertimuit, quae sub mortis comminatione omnes a regio conspectu ac praesentia prohibebat. Nemini pro salute miserorum preces afferre fas erat, nemo penes regem gratiosus videbatur. Quid Assverus? cum in eius oculis gratiam Regina reperisset, uti coram Domino gratiam reperit Maria, eam lege immunem pronunciavit: ,quia non pro te, sed pro omnibus haec lex posita est.' Ne igitur hic loci quoque figura et typo Mariam inferiorem dicamus, fatendum est, eam penes Regem ita gratiosam esse visam, ut tuto adire et loqui pro misèris posset, nec ei legi subiectam fuisse, quae omnes inexorabili morti addicebat. Alia multa consulto praetereo, quae ex sacris paginis erui possent, eo quod novi ea nonnullis satis non persvasisse. At silere non possum, ex ipsis Scripturis multa prostare, quibus docemur privilegia singularissima Mariae collata, ut creaturis omnibus facile antecelleret. Ita muneribus et carismatibus suis svavissimam hanc animam Deus cumulavit, ut quae omnibus simul praecipuis amicis Dei donata sunt, si in unum conferantur, vix tantillam partem exaequent eorum, quae munificentissimus Deus filiae, parenti, sponsaeque suae affluenter largitus est. Atqui originariam innocentiam et Angelis et protoparentibus Creator O. M. attribuit, cur in ea

re deteriorem conditionem Mariae facit, quam prae omnibus adamavit, cui prae ceteris singularia omnia atque magnifica erat concessurus? Quodsi *Patrum Doctorumque* scripta evolvamus, facile patebit inquirentibus, plerosque et antiquiores huic quam tenemus sententiae favisse, ita, ut nullam aliam commodam interpretationem recipiant; eos vero, qui alienam sententiam amplexi fuisse videntur, aut melius aliis in locis mentem suam aperuisse et Mariae a labe immunitatem esse professos, aut ita esse intelligendos et explicandos, ut de alia prorsus re eos liqueat disputasse, aut demum sententiam suam modeste ac privatim expressisse, quam Sedis Apost. iudicio supponerent. Non hic ego omnia persequar, quae a viris sapientibus et rei theologicae peritis studio ac solertia singulari congesta sunt Patrum scriptorum monumenta. Tantum dicam amplissima nobis testimonia suppetere a primis usque Ecclesiae temporibus: in perillustri *Presbyterorum Achaiae* epistola, in qua ideo dicitur ex Virgine immaculata Filius Dei natus fuisse, quod ex immaculata terra primus homo creatus fuerat. Sane si vocabuli vim spectemus, ‚amomos Parthenos' immaculata Virgo -- maius aliquid significat, quam quo illibata, incorrupta, impolluta Divinae Matris Virginitas posset indicari. Terrae illi comparatur Maria, quae maledictioni subiecta nondum fuerat, quae non mundata aut sanctificata poterat compellari, sed labem nullam aut execrationem contraxerat. Quid quod vir sanctissimus *Dionysius Alexandrinus* — matrem incorruptam ait a pedibus usque ad caput benedictam, quam Verbum servavit, sicut ipse solus novit, modum conceptus et ortus sui. Quid quod inquit magnus ille Portuensis Antistes *Hippolytus:* Dominus peccati expers erat, et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, h. e. ex Virgine et Spiritu S. Auctor vetustissimus Homiliarum, quae *Origenis* Adamantii nomen praeseferunt, sic de Virgine scribit: Audite quod Virgo in utero accipiet, non ex desiderio partum concipiens, neque ex persvasione serpentis decepta, neque eius afflatibus venenosis infecta. *Ephrem Syrus* de hac Matre svavissima cecinit: immaculata et intemerata — ab omni labe et sorde peccati alienissima Virgo etc. — semper benedicta, semper tum cor-

pore tum anima integra et immaculata. *Ambrosius* vocat Virginem per gratiam ab omni integram labe peccati. Ille ipse theologorum princeps *Augustinus*, cuius verbis saepe utuntur qui adversam tenent sententiam, a Iuliano obiurgatus, quod Mariam conditione nascendi diabolo transscriberet, ita sese purgat: non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi. Acutissime ergo ex communi humani generis conditione subiiciendam fuisse peccato Mariam fatetur, nisi eam gratia divina ab hac conditione exemisset. Ast ego numquam finem facerem, si ea omnia, quae hoc loco afferri possunt, recenserem. Tantum dicam: post Pelagianorum errores, cum doctrina de originali peccato vehementius a Patribus urgeretur, non defuisse praeclarissima testimonia, quae perspicue ac conceptis verbis Virginis eximium privilegium vindicarunt. A *Maximo Taurinensi* appellatur Maria idoneum Christo habitaculum non pro habitu corporis sed pro gratia originali. *Proclus CPnus* ex mundo formatam luto eam celebrat; ac splendidissime *Paschasius Ratbertus* ait: Constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse. Inter sequioris aevi Patres, qui praeprimis floruere scientia et pietate, *Petrus Damianus* et *Anselmus Cantuariensis* privilegium hoc Virginis Deiparae absque ambagibus nos docuere. Nam alter diserte fatetur: Caro Virginis ex Adam assumta maculas Adae non admisit; alter vero luculenter scribit: Decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius. Huic tam gravi et unanimi Patrum et Doctorum consensui non *Bernardus* ipse refragari videtur, cuius verba ex adverso laudari solita ita a viris expensa sunt et enarrata, ut non de hac, quam propugnamus, passiva conceptione, sed de prima, quam activam theologi appellant, sensisse vir religiosissimus videatur. Sed quidquid demum sit de illius mente, *nemo ex veteribus Patribus afferri potest, qui disertis verbis edocuerit, B Virginem cum labe originali conceptam,* dum e contra et extiterunt, qui Mariae privilegium nos expresse docuerint, et temporis antiquitate et numero et serie continua aliis profecto praestantio-

res habendi sunt. Quodsi Patribus relictis *Ecclesiae factum eiusque sensum* investigemus, antiquissima prostant monumenta, et Ecclesiae tum Orientalis tum Occidentalis *Liturgiae*, ex quibus addiscimus, qua pietate et studio Virginis conceptionem a remotissimis aetatibus fideles celebrarint. Videmus *Concilia Oecumenica* potius in hanc partem inclinasse, et *Romanos Antistites* huic sententiae ita favisse, ut contraria reiecta sententia, hanc unam tenuerint, hanc adamarint, hanc omni nisu et pietate provexerint. Iamvero si ad orbem catholicum universum paulisper circumspicias, *mirabilis fidelium omnium consensio* ita mentem animumque percellit, ut nonnisi audacissimus inficietur, nonnisi hebetissimus ignoret. Et *preces* et *officia* et *dies festi* instituti, et *scripta* et *praeconia*, et *numismata* et *lapides*, et *piae tabellae* et *vota*, et *prodigia* quae recensentur, et *sermo ipse familiaris*, et *studium vehementissimum, ut optata prodeat ex Apostolica auctoritate definitio*, omnia, inquam, testantur nil aliud fideles sentire, id intime persvasum habere, omnes hoc privilegium in Matre purissima agnoscere, venerari, et ab aliis coli et agnosci ardentissime exoptare. Quae cum ita sint, quid est, quod aliquis nimium quam par est prudens et circumspectus *rem novam neque necessariam* fieri vereatur, si solemnis Ecclesiae prodeat definitio, vel timeat, ne *gravius onus* in fide labantibus imponatur, vel demum ne *haereticis* atque *incredulis* praebeatur occasio, acerbius ac durius carpendae Ecclesiae ac dilacerandae? Sed enim quae haec est novitas ista, quae timidioris cuiuspiam animum percellit? quotnam revelatae veritates ab Ecclesia definitae sunt, licet timor esset, ne multi ea posita definitione ab Ecclesia desciscerent? Quod certe in hac re nostra expectandum non est; ab omnibus enim iam cernimus eam doctrinam teneri. Atqui ex hoc ipso, aiunt, se maxime commoveri, quod semper ad dogmaticas definitiones ab Ecclesia tum demum deventum fuerit, cum haeresis aliqua fuisset conterenda. *Itane vero Ecclesiae oeconomiam intelligunt, ut sola necessitatis ratio habenda sit?* Quid? ea, quae dogmatice in Petri, Pauli, Iacobi epistolis definita sunt, ideo esse declarata dicemus, quod haeretici nonnulli ea inficiarentur? Quid? veritates ipsas, quae praecipua fidei nostrae mysteria attin-

gunt, et etiam ante Oec. Concilia et Rom. Antistitum solemnes definitiones ab omnibus Pastoribus ad credendum proponebantur, ideone docebantur fideles, quod haeretici eas denegarent? Concilium ipsum Tridentinum cum immunitatem ab omni labe actuali in Virgine SS. vindicaret, non id certe egit, quod propositio contraria tunc temporis ab haereticis evulgaretur. Benedictus XII cum de beatorum visione divinae essentiae dogmaticum decretum Avenione ederet, non haereticorum conatibus sese opponebat, sed theologorum catholicorum dissensiones, ut ita dicam, domesticas composuit. Venerabiles viri, qui nimia anguntur anxietate, forte non animadvertunt, non modo necessitatis, sed et *opportunitatis utilitatisque* maxime valere rationem. *Putare videntur, Ecclesiam iudicem tantum litium esse, ac non magis docentem et magistram, quae fidelium intellectus et corda veritatibus svavissimis in luce positis depascat atque reficiat.* Ignorare videntur, in singularibus quibusdam rerum adiunctis singularia quaedam et minus frequentia, non detrita et solita vestigia esse persequenda. Si una voce inclamitent fideles, et vehementissimum sui amorem in Reginam ac Parentem omnium amantissimam votis precibusque depromunt, eccur non in aedificationem ac solatium tot piorum fidelium lux illa coruscaverit, quae alias ac forte saepius ad audaces et impios conterendos uti fulgur illuxit? Oh beatissimam (sit venia vocibus ex corde erumpentibus,) Ecclesiam, si omnes eius definitiones dogmaticae ita semper prodirent, ut eae optatissimae atque antea sponte receptae a fidelibus arriperentur, ac non doleret interdum, se fatalem ictum discidii pro miserrimis permultis iaculari! Ulterius vero progressus dicam non deesse, heu miserum! hac nostra aetate haereticos, qui hac definitione veluti fulmine percellantur. Plane, uti a consultissimis scriptoribus nonnullis scitissime animadversum est, impii Communismi ac Socialismi errores, qui hoc aevo longe lateque grassantur, ex eo maxime scatent, quod originalis lapsus obliti veram humanae naturae conditionem scelesti homines ignorare profiteantur, seque ut deos sapientes praedicant, atque perinde beatissimos sperant futuros. Hac fraude olim serpens infernus parentes primos fefellit; eadem fraude modo stultissimos homines in errorem

induxit. *Imitetur Ecclesia vindicem Deum, qui hac ratione insidiatorem perculit ac contrivit, mulierem hanc sanctissimam victricem de hoste ostendens. Quod Deus vel sua vel Angeli voce tunc egit, futuri tenebras revelans, atque obscuriori et mystica locutione altissimum mysterium involvens: nunc in temporis plenitudine per Vicarium suum perspicue luculenter et sine ambagibus declaret, ut tanta luce diffusa et Virginis potenti prece interposita confundatur hominum superbia, et dolus a satana contextus disrumpatur.* Sciant homines, se miserum in modum a pristina dignitate delapsos fuisse, ac ne animis deficiant, sciant divinam hanc puellam naturae humanae solatium auxiliumque existere, quae uti Esther Regem pro omnibus adeat, atque gratiam nacta in oculis eius totius gentis suae subsidium et salus praedicetur. Ita Christum victorem maiori laude et obsequio prosequantur, qui per sangvinem suum praeveniente gratia Parentem optimam ab omni labe servavit, nobisque argumentum nobilissimum proposuit, quidnam in humana natura relevanda conficere potuerit. Ceterum etiamsi nonnulla *incommoda* ex hac definitione, quam expectamus, prodire possunt: nos hoc prudentiae ac phroneseologiae principium recolimus, in consiliis capiendis non id tantum spectandum esse, ut omne utrinque absit periculum et iactura, sed omnibus aeque hinc inde perpensis, id, quod melius atque utilius est, eligatur. Iamvero quae bona, quae commoda exinde secutura sint, nemo non videt. Etiam atque etiam aucta pietas, zelus ac studium religionis causam propugnantium inflammatum, Ecclesiae adhuc tam splendide docentis elatum decus, patrocinium validissimum Virginis magis in Ecclesiam conversum: tot sunt utilitates praestantissimae, quae facile alicuius miseri futiles εἰρωνείας ac ludibria valeant rependere. Credant venerabiles Eppi seniori collegae ac nimium res humanas experto: sive loquitur, sive taceat Ecclesia, sive iudicium proferat sive suspendat, numquam illi convicia, numquam contumeliae defuturae sunt Quod Christus locutus fuit, uti rebellem damnarunt, quod alias siluerit, uti insanum sibilis ac ludibrio exceperunt. Iis denique, qui metuunt, ne novo dogmate inducto gravius pondus fidelium mentibus ingeratur, brevissime respondere fas sit:

non ex dogmatum numero fidem in debilibus minui vel augeri, sed iuxta animi docilitatem, qua facilius duriusve Ecclesiae adhaerent iudicio, eiusque definitiones, quaecunque et quotcunque tandem sint, amplectuntur. Atque si quid impedimenti, ut ita dicamus, ex parte dogmatum ipsorum posset excogitari, illud suspicari liceat, cum vel mysterium quoddam exhibent, quod rationis lumina fortius percellat, vel aliquod morale principium secum ferunt, quo appetitiones humanae asperius obtundantur. At iis, qui iam Virginalem Deiparae maternitatem credunt, quique Christi animam ab omni originali noxa fatentur expertem, quique, ut amplius dicam, Conceptionem immaculatam Virginis ut piam sententiam amplexi sunt, ecquis labor erit aut quid negotii facesset, uti articulum fidei hoc quoque splendidissimum privilegium tenere? Quid vero ad voluntatem ac desideria maius aut iucundius fingi potest, quam in altissimo nobilitatis gradu eam collocatam suspicere, cuius Parentis amantissimae intercessione ac precibus nos criminibus foedati afflicti miseri ac prope de omnibus desperantes, auxilium gratiam veniam perseverantiam vitamque confidimus immortalem fore adepturos? Quamobrem cum fratribus meis plerisque id mihi cordi est, hoc animi votum, haec mentis sententia: *non absque causa hoc desiderium tam flagrans, tam universale in fidelium cordibus Deum indidisse, scilicet in decretis esse, ut triumphus paretur Ecclesiae amplissimus, qui dulcissimae parentis suae nomine et auspiciis, duce Pontifice Pio IX, illius filio addictissimo, in tanta orbis commotione, in tanta temporum difficultate, referatur.*

1161—1231.

Responsa ex America ad Encyclicam Pii IX.
a. 1849—1854.

a) *Pro definitione.*

1161. Eppi Amer. Septemtr. in Concilio Provinciali Baltimorensi VII mense Maio 1849 congregati. Nomina Patrum Concilii: AEppus *Baltimorensis,* AEppus *S. Ludovici;*

Eppi: *Mobiliensis, Philadelphiensis, Cincinnatensis, Neo-Aurelianensis, Dubuquensis, Neo-Eboracensis, Nashvillensis, Natchetensis, Richmondensis, Galvestonensis, Pittsburgensis, Albanensis, Hartfordensis, Carolopolitanus, Milwavchensis, Bostoniensis, Clevelandensis, Buffalensis, Vincennensis, Chicaginensis, Little-Rockensis;* Administrator *Detroitensis,* Coadiutor *Ludovicopolitani* Praesulis. — **In Congregatione publica I** die 7 Maii invocata S. Spiritus assistentia, AEppus (Baltimorensis) plurium Theologorum sententias circa immaculatam BVM. conceptionem exquisivit: qua scilicet devotione populus fidelis erga illam sit animatus, quodnamque desiderium esse videatur, ut ab Ap. Sede tamquam Ecclesiae Cath. doctrina definiatur, eiusdem BV. Conceptionem ab originali labe fuisse prorsus immunem. — **In Congr. V privata** die 12 Maii latum est Decretum primum de Americani Cleri populique fidelis devotione erga immaculatam BVM. conceptionem; decretum secundum, quid sentiant Patres de immac. BVM. conceptione definienda tamquam Ecclesiae Cath. doctrina, *uno ex Patribus, nempe Eppo Richmondensi, dissentiente.* — **Decreta Concilii.** I. Perlectis literis Encyclicis Summi Pontificis Pii IX, quibus significavit se vehementer optare, ut Eppi totius Cath. orbis per literas ipsi referrent, qua devotione clerus populusque fidelis erga immac. Virginis conceptionem sint animati: *Patribus omnibus visum est respondere, clerum populumque fidelem in Foederatis Americae Statibus magna flagrare erga eandem devotione.* II. *Censuerunt pariter Patres Summo Pontifici significandum, gratum sibi fore, ut veluti Cath. Ecclesiae doctrinam definiat, si id sapientissimo suo iudicio opportunum existimet, BVMariae Conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* — **Concilium Provinciale Baltimorense VII** habitum a. 1849. Baltimori. 1851. p. 3. 10. 13. 17. 18.

1162. **Eppus de Buenos-Ayres in Amer. Merid.** Intuitu Encyclicae, quam Sanctitas Tua ad omnes Episcopos ordinis christiani dirigere dignata est, ad exquirendam eorum

sententiam de dispositione ac sentimentis populorum sibi commissorum erga mysterium fidei de immaculata Virgine Sanctissima sine labe peccati in primo instanti suae vitae naturalis concepta, lubens Sanctitati Tuae significo: *me integris octoginta duobus annis et decem mensibus aetatis meae nunquam audivisse proferri fierique aliquam difficultatem contra hoc venerabile mysterium, imo omni, quae data est, occasione percepisse eiusdem mysterii, Conceptionis Virginis Sanctissimae sine labe in primo instanti creationis, assertionem*; eam sane asserunt exstructae ruri, et in hac urbe, ubi Conceptionem Sanctissimae Virginis universim colimus, capellae, oratoria et ecclesiae, festivitas item tanta, ut die octava Decembris populus devotus ecclesias omnes repleat, nec sufficiant confessarii ad satisfaciendum desiderio fidelium; est porro devotio in quatuor provinciis, quae ad hunc Episcopatum pertinent, valde usitata recitare preces SS. Rosarii, quod concludi solet laude et glorificatione Sanctissimi Sacramenti, purae item et candidae Virginis Mariae conceptae sine labe peccati originalis a primo instanti vitae suae naturalis; *in hac fide educatur iuventus a tenerrimis annis, in ea vivit ac permanet usque in finem dierum suorum. Gloriamur de negotio hoc tam iusto quam christiano, gaudiumque nobis est singulare, posse nos id Sanctitati Tuae significare obsequendo iis quae nobis mandasti.* — Buenos-Ayres, 5 Iul. 1849. *Marianus.*

1163. **Eppus de Portorico in Amer. Merid.** — Explorato nostri Capituli Cathedralis universique Cleri dioeceseos voto, id a nostra minime discrepare sententia quam libentissime comperimus, *unanimiter credentes, Deiparam sine labe originali fuisse conceptam.* Id ipsum ab antiquo sentire universus fidelium populus et quamplurimis sodalitatibus et functionibus et solemnitatibus aperte atque piissime comprobat; ac *heterodoxus absdubio crederetur, quicunque in tota hac Insula contrariam auderet sustinere sententiam.* Quapropter *vota nostra totius Ecclesiae Cath. conclamationi adhibentes,*

imm. V. conceptionis mysterium fidei dogma declarari et definiri supplici fide et tota cordis effusione a Vestra Beatitudine expostulamus. — In Portorico, IV Id. Iul. 1849. *Aegidius.*

1164. **Eppus Linariensis in Amer. Septemtr.** Tuis sanctissimis literis Caietae datis die 2 Febr. h. a. ut de augustissimo immac. V. Mariae mysterio nostrum iudicium proferamus, illico obsecutus et summo gaudio repletus, quid de eo sentiam, in hac brevi epistola tibi ingenue patefaciam. In hac enim dulcissima sollicitudine tuam, B. Pater, singularem erga BVirginem devotionem, pietatem et amorem ostendis, cum omnium Epporum et Ecclesiarum Rectorum iudicium quaeris. Eheu! Pater Beatissime, quid dulcius, quid amabilius, quid gratius, quam haec de B. V. Mariae imm. conceptione iamdiu, pene ab initio seculorum desiderata definitio? *Certe hoc omnium votum, ni fallor, hoc est omnium desiderium, ut a S. Petri Sede tale mysterium de fide definiatur. Una ergo cum illis meum non tam votum quam intimum piissimum desiderium tibi fidenter ostendo:* qui, quamvis minimus Epporum sim, inenarrabili animi laetitia, iterum atque iterum lecta tua dulcissima epistola, sum repletus. Et quis, tacitus mecum cogitabam, quis vere fidelis suae Reginae et Matris non quaerat gloriam? quis illius honorem non aestimet? quis tandem eius SS. Nominis dilatationem ab Oriente in Occidentem, ab aquilone in meridiem extendi non cupiat? Certe nullus est meo videre, qui Mariae gloriam non quaerat, et cum de ipsius amplissima dignitate tractatur non in terris tantum sed et in coelis meritissime obtenta, non gratuletur. Ipsa enim non hominum tantum, sed et Angelorum Domina, ipsa Regina, ipsa columba, ipsa porta, ipsa scala, ipsa puteus aquarum, ipsa fons, de qua omnis gratia per Christum optime merita ad nos derivatur, ad nos descendit. Et sicut de Sapientia dicit Salomon, quod cum ea omnia pariter bona obtinuit: ita omnibus nobis cum Maria omne bonum plenissime confertur. In suis enim manibus post Christum omnia posuit Deus, gratiam et gloriam. Quae enim vox tam efficax, tam potens, quae veluti clavis fortissima coelos tot seculis peccato clausos

uno verbo aperuit? Audisti, B. Pater: ‚Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.‘ Haec vox coelos penetravit, et clausos aperuit. Et cum esset Rex in accubitu suo, ex sinu Patris in claustrum ventris virginalis illico descendit, factus homo. Hucusque mors, hucusque peccatum, hucusque daemon. Inde bonum, inde gratia, inde gloria; vidimus enim, ait Ioannes in Evangelio, gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. Quae cum ita sint, eritne, cur cuiquam impossibile videatur, Deum et Dominum nostrum hanc SS. Virginem ab originalis labe peccati immunem et puram condidisse? Defuit amor? Absit. Defuit voluntas? Minime. Potentia? Non. Ergo fecit. Fecit equidem Deus. De hac enim SS. Virgine scriptum legimus in Sapientia Salomonis quod canit Ecclesia: ‚Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.‘ Item: ‚Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens.‘ Haec in plenitudine Sanctorum manet suprema et detinetur. Haec coelos, sanctos, Angelosque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, et toto hausit pectore. Quae ergo est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? quae est ista, quae ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? Maria nempe, in qua nec nodus originalis peccati, nec cortex actualis culpae fuit, et neque serpentis persvasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta est. Haec Ezechielis porta, quae clausa mansit et non aperienda: vir enim non transibit per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi, Princeps ipse sedebit in ea. De omnibus aliis Sanctis legimus: nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram: de Maria autem laeta canit Ecclesia: O gloriosa Domina, excelsa super sidera, quae nec primam similem visa est nec habere sequentem; sola sine exemplo placuit Virgo Christo. Decuit enim, ut ait S. Anselmus, hanc Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi. Et S. Ioannes Chrysostomus ait: Haec est, quae sola coelum et terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetae, non Patriarchae, non Apostoli, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidquam inter res creatas

32*

visibiles aut invisibiles maius aut excellentius inveniri potest. Hanc vidit Ioannes in Apocalypsi sole amictam, stellis coronatam, et lunam sub pedibus eius provolutam. Hanc veluti Civitatem novam Ierusalem descendentem de coelo a Deo, paratam tamquam sponsam ornatam viro suo. Hanc veluti tabernaculum Dei cum hominibus, ut ipsi populus Dei sint, et ipse Deus cum eis sit eorum Deus. Beatam illam dicent omnes generationes, beatam praedicant omnes gentes. Cur? quia fecit illi magna qui potens est et sanctum nomen eius. Pro ea ergo non fuit lata peccati lex, sed sicut Esther dixit Assverus, sic et altiori sensu in momento conceptionis suae Deus alloquitur Mariam: Quid habes Esther elevata in populis? non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est. Et si adolescentularum non est numerus: una est amica mea, una est perfecta mea, una columba mea, una denique Genitrix Filii sui electa. Surgat ergo Maria, quae tanto honore condignificatur a Domino; surgat, ut sit vera Mater Dei, vera Filia, vera Sponsa, electa a Deo, ut ait S. Ildephonsus, assumta a Deo, advocata a Deo, proxima Deo, adhaerens Deo, coniuncta Deo. Extunc, i. e. in ipso suae conceptionis instanti astitit haec Regina a dextris tuis, Domine, omni amicta gratia, omni virtutum et meritorum varietate circumdata. Eia ergo, B. Pater, *si nihil est maius, nihil candidius, nihil illustrius Maria, eam tandem aliquando immunem a culpa et immaculatam declara, ut post te, in quo est infallibilitas, omnium Ecclesiarum Eppi et Praesules eam immaculatam et immunem praedicemus.* Hoc omnes fideles desiderant, et tua dulcissima epistola excitati et commoti impatientes expectant. Sonet ergo vox illa tua dulcis in auribus et in cordibus nostris, quae Mariae Conceptionem immaculatam definiat. Catholici omnes hunc diem gratulanter celebrant, laetantes colunt, et pene de fide credunt. — Mexici, 12 Iul. 1849. *Fr. Iosephus Maria a Iesu.*

1165. **Eppus Olindensis in Brasilia.** Cum die 9 Iunii Encyclicam Vestram recepissem, — plenam ex animo obedientiam Vestro universali regimini ac primae dignitati in

toto orbe ex corde protestans, has Vestrae Sanctitati literas dirigo *id eximiae praedilectionis meae testimonium erga ineffabilem iucundissimamque exemtionem a culpa originali pie creditam in egregio et inclyto mysterio immac. Conc. BVM. per quod, credo, eam ab istius culpae umbra prorsus immunem fuisse per praerogativam nulli alteri creaturae ab omnipotentia divina concessam:* quia praeter alia motiva rationabiliter sic decebat infinitae illius Maiestati, qui Filius in tempore eiusdem Virginis fieri debebat, omnia potenter atque sapienter disponenti ad suum maiorem honorem, exaltationem SS. Matris suae, et humani generis salutem. Vestro obtemperans praecepto in iam enunciata Encyclica expresso, ac ei permagno gaudio satisfacere volens, dicam, *quod omnes veri fideles convicti sint, Matrem Dei gloriosissimam, peccatorum filiorum suorum protectricem, mediatricemque inter redemtos ac Redemtorem, donatam fuisse in sua praecellenti conceptione hoc coelesti dono multis rationabilibus de causis* primariae Celsitudini Vestrae. praecognitis, et ideo a me non referendis, persvasi: quod aeterna benignitas per illud stupendum miraculum suae supremae potestati tribuendum, dispensare potuerit atque voluerit in lege omnibus communi, huius dispensationis praestantiam sciens ad omnes homines. Haec est ratio, per quam S. Ecclesia diem 8 Dec. huic excellentissimo mysterio dicatam solemniter celebrat, et Lusitania ac Brasiliense Imperium hanc diem solemnissimam praedicat peculiarissimo ritu et cultu principalis Patronae, conceptionem purissimae Virginis honorare cupiens. *Quod Maria* splendens ut sol, et formosa tamquam Ierusalem, *sine macula fuerit concepta, nemo ambigit, nisi aliqui magnae perversitati addicti, prava svasione et diabolica fraude decepti,* atque ideo non audiendi, sed ita despicienda est eorum opinio, ut cum illis nec cibum sumere, nec ave eis dicere debeamus, ne forte eorumdem operum mortuorum efficiamur participes, sed Deo viventi serviamus in cordis sinceritate. Non nobis veniat in dubium, quod omnipotens Dominus voluerit suam infinitam virtutem exercere in decorem sui et suae praedilectissimae Matris, ab initio et ante secula eam designans segregatam ab omni originalis culpae reatu ac labe; quia *si piissima Maria hoc augusto privilegio*

non gauderet, non esset, in quo veraciter diceretur omnibus mortalibus praestantior, cum Praecursor Domini in ventre matris suae fuerit sanctificatus, et ideo urgens erat, ut Virgo Virginum illum excederet in sua mirabili et inaudita Conceptione. — Sine hac extra ordinem exemtione in admiratione habita, quomodo Domina nostra diceretur et crederetur ita singularis, ac praestans, ut non fuerit ei aliquis nec ante nec post eam similis? Necesse est ergo, ut ingenue credamus, quod futurus Filius tamquam Deus omnipotens sibi construere voluerit in Matris Virginis Conceptione tabernaculum unum sua habitatione dignum. Si Unigenitus Dei Filius per omnia aequalis ei, a quo missus fuit, hocce insigne ac magnificum donum elargiri non potuit, tunc opus est, ut in eo consideremus imperfectionem aliquam, quod absit. — Dicere adhuc audeo, quod conveniens erat, ut et Mater gratiae expers esset peccati maculae, ac eiusdem affectus nesciret ad virtutes exercendas in primo gradu incomprehensibilis perfectionis, in futurum designata omnium haeresum deletrix, et praecognita Regina omnium creaturarum, quae in coelo sunt et super terram, inferior solum Deo, sed sublimior et excelsior super omne quod non dicitur Deus, et cui omnium gratiarum suarum universos thesauros committeret, eam firmans illorum distributricem, et collocans iuxta thronum Divinitatis suae. Quid igitur mirum, si SS. Virgo super infensissimum humanae salutis hostem triumphum in sua innocentissima Conceptione reportavit, cum per eam nobis tribuendum ac praestandum esset divinae redemtionis et aeternae salvationis beneficium, nostrae sempiternae felicitatis principium et finis? Hae sunt causae praecipuae, quibus innixa manens sancta universalis Ecclesia, universalem suum Rectorem, Ducem, simul et Magistrum obnixe rogat opportunam ac solemnem definitionem mysterii praedicti, convicta eam secundam fore ac prosperam ad maiorem Dei et eius purissimae Matris gloriam. — Olindae, 16 Iul. 1849. *Ioannes a Purificatione Narques Perdigao.*

1166. **Eppus Paraensis in Brasilia.** — Statim, ut per hanc dioecesim illae literae (Encyclicae 2 Febr.) divulgatae fuerunt, Clerus omnisque populus BVMariae semper devotissimi, gaudio magno mecum completi sunt; *Mariam* enim *sanctissimam immaculatam et absque omni prorsus culpae labe fuisse conceptam pia credulitate omni tempore credimus,* ut testantur confraternitates, templa, imagines, solemnitatesque in honorem Deiparae V. sub titulo imm. conc. et literae meae pastorales, quibus Sanct. Vestrae iussa adimplevi, Canonicorumque huius Cathedralis sententia, hisce literis vernaculo sermone adiuncta, quibus satis constat, quid de immac. Deigenitricis Conceptione sentimus. *Mariam solo Deo inferiorem, super omnem creaturam, Angelorum etiam choros elevatam ac Sanctorum omnium Reginam ab originali peccato exemtam et numquam imperio satanae subiectam fuisse mea est sententia, Cleri gregisque mihi commissi; desiderio igitur desideramus, ut imm. conc. honor B Virgini Dei Matri a Sanct. Vestra ut Ecclesiae Cath. doctrina decernatur.* — Belemen de Para, 30 Iul. 1849. *Iosephus.*

1167. **Epistola Capituli in literis Praesulis provocata.** Volendo Capitulum hoc fideliter satisfacere desideriis, quae Tua Excellentia Reverendissima in Congregatione Capitulari die 21 Iunii anni currentis relate ad Conceptionem immaculatam Matris Dei, quae est obiectum Encyclicae Summi Pontificis Pii IX, datae Caietae die secunda Februarii proxime elapsi, tanta complacentia et iubilo manifestavit: elegit e membris suis Commissionem Virorum tredecim, qui omni prudentia, studio ac reflexione eam doctrinam perpenderent, votumque suum de ea cum sentimentis Cleri et populi fidelis huius Dioecesis exprimerent. Commissio itaque exhibens fructum laborum suorum nihil reliquit in negotio a se peracto desiderandum. Capitulum hac spe fretum cum satisfactione et honore proponit hodie Reverendissimae Excellentiae Tuae hocce re-

sultatum, *faciendo solemnem, sibique plene conformem declarationem non solum relate ad evidentiam doctrinae, utpote quae in argumentis irrefragabilibus e propriis Theologiae fontibus depromptis fundata tanta gaudet certitudine, quantam habere potest fundamentum fidei, verum etiam relate ad opinionem Cleri populique fidelis Dioecesis huius, qui non in alia sunt veritate, quam quae est ipsius Ecclesiae catholicae, quae auctoritate sua confirmat et commendat cultum istum tam antiquum, tamque universaliter receptum.* Dignetur itaque Excellentia Tua Reverendissima acceptare opinionem hic expressam velut explicitissimam solemnissimamque manifestationem sentimentorum piae devotionis, quae Senatum Ecclesiae Belemensis de Para relate ad Immaculatam Conceptionem Virginis Sanctissimae animat, simulque ut sententiam Cleri et catholicorum huius Dioecesis, quam Capitulum hoc non potest non identificare cum sua, quin illis notabilem faciat iniuriam et magis magisque perneget suas proprias persuasiones. Dirigendo versus coelum ardentia vota Capitulum hoc anxie expectat definitionem doctrinae tanti momenti tamquam inaestimabilem tesseram divinae misericordiae, pro consolatione Ecclesiae in medio tantarum tribulationum, quas infernus temporibus hisce calamitatibus plenis contra illam suscitavit. — **Commissionis Capitularis votum.** Commissio, cui impositum est onus enunciandi opinionem suam de devotione et desideriis Cleri et populi fidelis Dioecesis huius relate ad Immaculatam Conceptionem Mariae Sanctissimae, prout Excellentissimus Episcopus Dioecesanus in Congregatione Capitulari postulavit ad satisfaciendum ardentibus Sanctissimi Patris Pii IX desideriis in sua Encyclica, data Caietae die secunda Februarii anni currentis, manifestatis: post factum debita cum prudentia in hoc negotio examen, cum gaudio tradit velut resultatum laborum suorum: *cultum Matris Dei in Immaculata eius Conceptione esse tam generalem, tamque solide in hac Dioecesi stabilitum, ut non tam sit nunc opus id demonstrare, quam potius cultum illum intra suos iustos limites conservare, quia multi fidelium eousque progrediuntur, ut illum cultui divinitati proprio aequiparent.* In hac Dioecesi ne unus quidem reperitur forte catholicus, quantumvis vitae caetero-

quin dissolutae, qui non habeat particularem erga Immaculatam Conceptionem Mariae devotionem. Valde etiam rarae erunt domus, in quibus non reperiatur Imago Matris Dei sub hoc pio titulo. Breviter, generale est desiderium, ut hoc punctum piae nostrae fidei a Sancta Sede Apostolica quamprimum tamquam dogma fidei declaretur; dies, qua in hac Dioecesi promulgata fuerit declaratio tanti momenti, tantopereque exoptata, erit dies magnae iubilationis pro omnibus fidelibus. Iam vero devotio haec, haecque desideria valde solidis inhaerent fundamentis. In pacto, quod cum Adamo inivit Deus, non erant comprehensi nisi illi protoparentis nostri descendentes, qui secundum ordinem praesentem rerum nascerentur. Si Adam non peccasset, non esset necessaria redemtio, nec venisset in mundum Redemptor, Mariaque Sanctissima permansisset in pura possibilitate rerum. Adventus Mariae Sanctissimae in hunc mundum non erat determinatus nisi decreto posteriori lapsu Adami, eodem scilicet, quod relationem habet ad Incarnationem Verbi divini. Sine peccato Adami nec Maria Mater Dei fuisset, nec Iesus Christus Deus factus homo. Si cui primo intuitu videatur Mariam ut filiam Adami contraxisse peccatum originale, sufficiet illi pusillum reflectere,ut sibi persuadeat illam, utpote pro Matre Filii Dei destinatam, non debuisse vel unico momento esse mancipium satanae. Magnitudo igitur eius destinationis praeservat illam ab infortunio suae originis. Si anima Mariae tam pulchra et tam sancta exivit e manibus sui Creatoris, hoc ideo factum est, quia animare debuit corpus, e quo Salvator materiam sui corporis tracturus erat. Sublimissima praerogativa Mariae est, quod sit concepta pura quin desineret procedere e corrupta massa Adami. Deus est Sanctus per essentiam, Maria per gratiam. Deus infinite Sanctus per essentiam non potuit habitare in corpore, quod non fuisset etiam sanctum per gratiam; quia secundum divina oracula sapientia increata non debet habere commercium cum anima impura ullum, nec habitare in corpore subdito peccatis: *In malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* (Sap. 1, 4.) Mater Dei digna est praerogativa et privilegio quod *eam elevet super choros Angelorum usque ad solium Divinitatis.* (Greg. M.) Estne ipsa for-

tasse simpliciter sanctificata in utero materno? Hanc gratiam Deus iam fecerat Ieremiae, et paulo tardius iterum Ioanni Baptistae. Eva, mater peccati prodivit pura e manibus Creatoris: et Maria Mater Dei esset concepta in peccato? Quae erit tunc praerogativa, quod privilegium Mariae? Respondebimus cum *S. Bernardo:* illam fuisse innocentem non solum a peccato originali, verum etiam a peccatis actualibus quibuscunque etiam venialibus. Quantum ad reliquos filios Adami, hi, si interrogentur, solum dicere possunt cum Apostolo S. Ioanne: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mentimur. Et cur sane permitteret Deus, ut Virgo haec destinata pro Matre Filii sui esset inferior prima matre hominum in primo momento suae existentiae? Apte offert se hic dilemma semper validum et irrefutabile quamvis multoties repetitum: vel Deus voluit et non potuit, vel potuit et noluit. Si potuit et noluit, scire non possumus, cui reservaverit Deus singularem hanc praerogativam maxime sublimem, quae in thesauro immenso gratiarum eius continetur, nemo rationem afferet plausu dignam, cur Deus permisisset, ut Virgo haec creata pro mysterio adeo gravi fuisset in sua Conceptione alligata columnae captivitatis daemonii. Si voluit et non potuit, naturaliter se nobis ingerit quaestio: num qui coelum et terram creavit, et mille mundos millies isto perfectiores creare potest, qui primam mulierem creavit tam pulchram tamque puram, creare non posset Virginem infinito modo perfectiorem? Assverus potuit derogare legi mortis contra omnes Hebraeos promulgatae in favorem reginae Esther sponsae suae, et Deus non posset revocare legem in favorem Mariae Matris suae? Ubi est auditum, ut legislator possit ferre legem, quin eam possit revocare? Unicum, quod Deus spectato scopo creationis facere non potest, erat, dicunt S. Patres, facere creaturam magis perfectam, magis puram et magis pulchram Maria, in quam totum thesaurum effudit suarum gratiarum: *maiorem mundum facere potest, maiorem Matrem non potest.* Praeterea Ecclesia catholica vult et praecipit, ut doceatur et praedicetur publice Mariam esse conceptam sine macula peccati originalis, et prohibet expresse doceri et praedicari contrarium. S. Anselmus defendit Virginem Mariam fuisse redemptam red-

emptione antecedenti. S. Thomas volens probare Nativitatem Mariae esse sanctam, affert tamquam argumentum irrefragabile festum, quod Ecclesia in illius honorem celebrat, quia Ecclesia Romana non celebrat festum illius, quod non sit evidenter sanctum. Iam quum ipsa Ecclesia Romana celebret festum Conceptionis Mariae, concludere cum doctrina S. Thomae debemus Conceptionem Mariae esse tam Sanctam, quam est eius Nativitas. *S. Bernardus* loco citato, *S. Bonaventura, S. Thomas, S. Cyprianus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Ephrem, S. Augustinus,* omnes hi defendunt Conceptionem Immaculatam Mariae Sanctissimae. Nec minus favebant eidem doctrinae Summi Pontifices. Omnes enim inde a Sixto IV, exceptis Pio III, Marcello II, Urbano VII, qui uno tantum mense Pontificatum tenebant, maximi fuerunt protectores piae huius doctrinae, devotisque erga immaculatam Conceptionem Virginis Sanctissimae concesserunt privilegia multa, multasque gratias. Et si aliquis eorum vocem „Immaculata“ supprimendam esse iussit, id factum est ad evitandas tristes consequentias disputationum, quae in scholis agitabantur, et quia nondum reperiebatur definita haec doctrina velut fidei articulus. (*Schram* Inst. Theol. c. 4.) Fere omnes, ut *Sixtus IV, Alexander VI, Hadrianus VI,* magnificentius effecerunt festum hoc Conceptionis, multasque indulgentias concesserunt iis, qui illud devote celebrarent. Alii ut *Leo X* et *Pius IV* permiserunt monasteriis Monialium, ut possint assumere titulum a Conceptione. E Bullis Pii IV constat eum edidisse officium de Immaculata Conceptione, in qua declaratum reperitur „Beatissimam Virginem fuisse praeservatam a peccato originali.“ Etiam *Clemens VII* edidit Breviarium, in quo inter alia multa invenitur Invitatorium ad Matutinum sequentis tenoris: „Immaculatam Conceptionem Virginis Mariae celebremus, Christum eius praeservatorem adoremus Dominum.“ *Pius V* tam venerabilis ob scientiam et sanctitatem anno 1569. concessit viva voce ordini S. Francisci facultatem recitandi officium a Sixto IV editum. Observabimus hic Sixtum IV post institutum festum Conceptionis, quum nonnulli Praedicatores in contrarium irent, edidisse Bullam aliam priori multo vehementiorem, quam deinde Concilium Tridentinum renovavit

confirmavitque. *Paulus V* prohibet praedicare, docere, disputare aut scribere, SS. Virginem in Adamo peccasse, et *Gregorius XV* hanc prohibitionem extendit etiam ad disputationes particulares. *Pius* V approbavit Bullam Sixti IV „Cum praecelsa" datam anno 1476. *Alexander VII* decreto firmavit Immaculatam Conceptionem die 8-a Decembris 1661, et dixit esse antiquae pietatis fidelium credere „Matrem Dei praeservatam fuisse a peccato originali," festum vero ipsum celebravit Romae solemnitate extraordinaria. *Clemens XI* anno 1708 edidit Constitutionem, qua mandavit ut festum Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae in posterum de praecepto atque omni ex parte servetur prout fit hodie. Porro quamvis nullum Conciliorum Oecumenicorum Conceptionem Sanctissimae Virginis esse immaculatam tamquam articulum fidei deciderit: oportet nihilominus nos cum dulcedine et reverentia suscipere, quod illa de hoc obiecto enuntiarunt, quia ipsa erant convocata et illustrata per Spiritum Sanctum. En autem, quae Concilia tam generalia quam nationalia in favorem Matris Dei proloquuntur. *Concilium Ephesinum I* anno 431 celebratum illi tribuit titulum „Immaculatae" i. e. „sine ulla peccati macula." *Concilium Toletanum IV* approbavit Missale S. Isidori, in quo reperitur doctrina de „Immaculata Conceptione Mariae." Aliud celebratum anno 675 approbavit doctrinam S. Ildephonsi, et profitetur cum hoc pio devoto Mariae illam fuisse „praeservatam a culpa originali." *Concilium Oecumenicum VI* Constantinopoli anno 680 celebratum generali cum applausu salutavit Epistolam Magni Sophronii Patriarchae Hierosolymitani, in qua dicit „Mariam esse immaculatam, sanctam corpore et anima, et liberam ab omni contagione peccati." Et notetur vocem „contagione" solummodo peccato originali convenire posse. *Concilium Generale Nicaenum II* anno 787 congregatum, et ab Hadriano Papa approbatum, locutum est de Sanctissima Virgine eo modo, quo tota Ecclesia illo tempore loquebatur, dando ei epitheta „Sanctissimae, Immaculatae, irreprehensibilis et purioris omni materia sensibili" i. e. purioris Angelis coeli, qui neque peccatum originale, neque actuale commiserunt. Et si Concilio sufficit loqui tam generaliter, quin dicat speciatim illam esse immacu-

latam in sua Conceptione, hoc fit, quia illo tempore nondum erat motum hac de re ullum vel minimum dubium, irreverentiaeque instar habitum fuisset vel cogitare illam esse maculatam peccato sive originali sive actuali. Multis solum post saeculis coepit in scholis agitari haec quaestio. *Concilium nationale de Oxford* in Anglia anno 1222 congregatum ordinavit festum Conceptionis Sanctissimae Virginis, in Oriente iam a multis annis celebratum. Iam vero non potuisset Concilium festum huiusmodi ordinare, nisi crederet Conceptionem Virginis esse immaculatam, est enim opinio generalis, quae dicit non debere celebrari festa peccatorum. *Concilium Basileense* enunciavit suam sententiam pro Conceptione Immaculata Mariae. Conservatur etiam Romae Bulla data tempore huius Concilii, quae clarissime explicat hanc materiam. Multitudo ista auctoritatum, quas citavimus, et testimonium tam celebrium Theologorum, qui tanto zelo et constantia illustrando huic negotio gravissimo adlaborarunt, illudque toti Ecclesiae commendarunt, ut agnita veritate illud amplecteretur, sunt ultra quam requiritur sufficientia, ut Immaculatam Conceptionem Mariae pro certissima et indubitabili habeamus. Denique *Concilium Tridentinum,* quod est ultimum oecumenicorum, publice declaravit et dixit: *Non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto de peccato originali Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem;* sed observandas esse constitutiones Sixti IV cum poenis quae ibidem imponuntur, et quas Concilium renovat. Adiungimus pro coronide argumentum validissimum ductum e Scripturis Sanctis. Maledicendo Deus serpenti dixit: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; et ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* (Gen. 3, 15.) Spectatis his tam claris expressionibus non debemus dubitare Patrem aeternum habuisse hic praesentem Conceptionem purissimam et immaculatam Mariae, quia neque constat aliam mulierem contrivisse caput serpentis excepta Maria, neque minae propheticae compleri possent per ministerium Mariae, si Conceptio eius non fuisset ab omni macula exemta, et peccatum originale loco inimicitiae aeternae stabilivisset inter illam et daemonem mentis consonantiam perfectam. Si itaque auctori-

tates tam spectatas, ut sunt Theologi, SS. Patres, Summi Pontifices, Concilia, in quibus nostra fundatur devotio, et cultum, qui in hac Dioecesi Conceptioni immaculatae tam a Clero quam a populo fideli universaliter tribuitur, consideremus: nulli dubitamus affirmare catholicos omnes huius Dioecesis una cum catholicis totius orbis desiderare ardenter, ut immaculata Conceptio Mariae a Sancta Sede Apostolica tamquam dogma fidei declaretur. Para die 14 Iulli 1849.

1168. **Eppus Sonorae in Amer. Septemtr.** Ex quodam scripto in Mexicana civitate edito nuperrime cognovi, B. Pater, vehementer te nosse cupere et quale sit fidelis populi studium, ut almam Dei parentem V. Mariam sine labe fuisse conceptam veluti fidei articulus declaretur, et quis sit hac ipsa de re orbis cath. Epporum sensus; prout utrumque videre licet in tuis literis e Caieta die 2 Febr. ad ipsos directis inque laudato scripto prelo datis. Summi res momenti, si sui respectus habeatur, sine dubio est; *rem* tamen *esse populorum devotione et pietate definitam* aeque *certum; atque, quod tuis votis optime respondet, res pariter est, in quam nullum esse Epporum existimo qui animo volenti non propendeat, imo pro qua non stet firmo iudicio.* Quanta fuerit Tridentinorum Patrum fides et pietas, ex synodalium constitutionum lectione satis apparet; et licet corumdem quamplurimi, cum de peccato originali ageretur, apertam sacri conventus exoptarent sententiam, qua et labis immunem et immaculatam in ipso suae animationis primo instanti Virginis Conceptionem declararent: ab huiusmodi tamen sese temperavere declaratione edenda, satisque consultum Deiparae dignitati et cultui existimarunt, si in decreto de peccato originali nullatenus comprehensam testarentur; nihilque praeterea exceptioni est additum, ne (verbis utar Pallavicini) id committerent, ut dissidii fomes inter partes catholicas inardesceret. Diversa enim tunc temporis erant diversorum placita. Pro sententia tamen immac. conceptioni favente ea librorum copia edita est, teste eodem Pallavicino, quae ad instruendam bibliothecam abunde foret.

Quosdam ex ipsis saepesaepius legi et perlegi, innumerisque tum SS. Patrum summam immensamque Virginis sanctitatem praedicantium testimoniis, cum SS. Scripturarum monumentis refertos comperi, queis et gratia plenam et benedictam et antiqui humani generis hostis caput conterentem nuntiatur. Si omnia haec tam aperte firmiterque piam sententiam solidantia aliquorum literatorum animos non subegere, prout subigere est fere impossibile mentem inter disputationum ardores: satis superque fuere, ut nuntiata populis horum nedum devotionem et pietatem inflammarent, sed sententia et fide de immac. conceptione altissime imbuerent. Res nova, ut ita dicam, populis proponeretur, si huiusmodi articulus nuntiaretur ipsis veluti nunc primum definiendus; cumque Summorum Pontificum hac de re decreta ut plurimum ipsos lateant, impium et haereticum et blasphemum traducerent qui contra sentiret; *sic ipsorum animis reposita est fides imm. conc. V. Matris, quam iamdiu eisdem verbis compellare consvevere, queis sponsus in Cantico Cant. sponsam alloquitur:* ,Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te'. *Pietas fidelium, dicere auderem, dissidentium mentes et doctrinam supergressa est, atque ad se conversos sapientes fidem edocuit quam abnuerant. Omnium tandem cor unum est et anima una.* Ad me vero quod attinet, *quam ab incunabulis hausi fidem, et senex profitebor; quam iuvenis servandam sacramento promisi, numquam abiiciam; quamque sacerdos factus populis doctrinam imbui, et Eppus annunciavi, sanctam videlicet Deigenitricem Mariam sine ulla labe originis, imo gratiarum omnium decore ornatam fuisse conceptam, id in publica concione in huius dioecesis Seminario habita conficiendum conatus sum, atque id ipsum a te, B. Pater, ut veluti dogma fidei ab omnibus inposterum confitendum declares, expostulo.* — E civitate S. Michaelis de Culiacan, 1 Aug. 1849. *Lazarus.*

1169. **Vic. Apost. Reip. Uruguanensis.** — Statim ac supradictas literas (Encycl. 2 Febr.) accepi, illarum editionem feci, — et illas transtuli viris ecclesiasticis magis virtute

et sapientia praeditis, ut vel nos in re tam ardua erudirent, vel nostram opinionem quodammodo corroborarent; sicuti omnia aperte apparent ex documentis, quae Sanct. Vestrae humillime transmitto. Nihil ergo adderem ad tam luculenta et splendidissima virorum eccles. istius reipublicae documenta, in quibus religio et pietas magnopere elucent, et aequanimiter quaestionem propositam sine circuitione, sine ambage decidunt, si benignitas Sanct. V. dignata non fuisset Praelatos omnium Ecclesiarum circa hanc rem consulere, vel desideria explorare, ut sic Vestra ardentissima et maxime pia vota quamprimum complerentur. Ad rem igitur agam, et de hac re plura remittens, ad id, quod caput est, festino. Desiderium meum vehementissimum pro definitione ex fide imm. conc. BMV. Vestrae Sanctitati documenta praelaudata exhibent, in quibus et virorum eccles. istius reipublicae et mea etiam privata fides aperte inest. *Haec fides ab auctoritate, a Conciliis, a Patribus est deducta.* Et non immerito: nam BV. Maria est filia Patris aeterni, ut ait *Cassianus,* ideoque primogenita Altissimi ante omnem creaturam, ut Ecclesia illi applicat: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Eccl. 24, 25. Supra quem locum et illum Apoc. 21, 22. ait *Gregorius Nicomediensis:* ‚Vidi civitatem sanctam, SS. V. Mariam, animatam Dei S. civitatem Hierusalem, et novam in sua conceptione, quia claritas Dei illam illustrabat, non sole nec luna indigens, nam adiuvabit eam Deus vultu suo, mane diluculo, cum fundamenta eius sint in montibus sanctis.‘ Et quare fundamenta istius Civitatis sunt in montibus sanctis? Et, ut ait *Bernardinus,* ubi est summa plenitudo sanctitatis angelicae, ibi Virgo prima suae sanctitatis iecit, nisi quia illa est vera Mater Dei, ut omnes confitemur? Et si est Mater Dei, nonne omnis dignitas et honor, qui natura sua competit Filio, ad Matrem necessario redit? ex quo deducitur naturaliter, quod cum Christus ex natura sua expers sit omnis peccati, ergo et BVMaria, ideoque Epiphanius illam vocat ovem immaculatam, quae peperit agnum Christum; et Guerricus ait: prorsusbenedicta illa terra, quae omnino intacta de solo rore coeli Salvatorem germinat, et mortalibus panem Angelorum dedit. Qua de re Patrum testimonia plura sunt et

notiora, quam ut debeant inculcari. Nihil enim frequentius et apertius clamant, quam Virginem ipsis Angelis, quos omni labe immunes esse constat, multo fuisse puriorem. Quam doctrinam non solum tuentur *Angelicus Doctor*, ceterique Thomistae, ac Sententiarii, verum etiam plurimi eorum ut *Gabriel, Okkamus, Almaine*, imo et *Thomas, Alensis, Bonaventura* et alii absolute affirmant, BVMariam fuisse impeccabilem et impeccabilem aliquo modo ex natura rei, ratione status et maternitatis divinae, cui connaturaliter debebantur ea auxilia gratiae, quibus omne peccatum infallibiliter evitaretur, et cui etiam debetur, ut ab omni labe peccati sit immunis; quia istud dignitati Maternitatis divinae omnino oppositum contrarium et repugnans est; nam si Christo Domino ea gratia ex natura rei debetur ratione unionis hypostaticae et visionis beatificae, cum quibus peccatum componi ex natura rei non potest: BVirgini etiam aliquo modo ex natura rei talis gratia debetur ratione maternitatis divinae, quae quodammodo ex natura rei omne peccatum excludit. Ideoque *Dionysius Carthusianus* l. 3. de fid. cath. haec habet: ‚De sanctificatione Virginis gloriosae iam determinavit Ecclesia, ac credit, quod ab originali peccato in Conceptione praeservata fuit. Decuit enim beatissimam illam omni carere culpa, quae fontem sanctitatis, Dei Filium, Deum verum concipere, gignere, et sua carne vestire ac alere erat divinitus praeelecta.‘ — Quo aliquid est alicui primo et perfecto propinquius, eo est ei similius et perfectius, bonitatemque illius participat. Christus autem in quantum est Deus, est omnium gratiarum origo auctoritative, et in quantum homo, instrumentaliter. Mater ergo eius sacratissima ei simillima est, atque plenissimam gratiarum perfectionem ab ipso prae ceteris adepta, proindeque peccatum originale contrahere non potuit, nam peccatum originale originali iustitiae opponitur, et non est nisi privatio seu carentia iustitiae originalis, opposita plenitudini gratiarum et donorum supernaturalium, quae ex natura rei sequuntur, et iuxta Patres ac Theologos BMVirgini in primo instanti suae conceptionis fuerunt infusi. Haec doctrina magis elucet ex opusculo D. Thomae super Salut. Angel. in quo sequentia verba inveniuntur: Ipsa purissima fuit, quia nec mortale, nec veniale, nec origi-

nale peccatum incurrit. Etiam *Mahumetani* in suo Alcorano, quem Evangelii loco habent, ita tenent: ‚Maria filia Ioachim nihil malitiae aut pravitatis, cum viveret, unquam operata est, sed in bonitate perseveravit; — nullus nascitur de filiis Adam, quem non tangat satan, praeter Mariam et eius Filium.‘ *Iudaei* vero, ut refert Galatinus lib. 7. de Arcanis c. 2. 4. 11., veteresque Rabbini omnes certissime sentiebant, etiam ante adventum Christi Domini, eius Matrem ab omni labe immunem fore, idque ex Cant. 4 colligebant: ‚Tota pulchra es etc.‘ Pro hac etiam doctrina stat auctoritas *Scholasticorum;* nam innocentiam BVMariae in primo instanti suae conceptionis adeo iam convaluisse constat apud Scholasticos Doctores, ut in Academia Parisiensi, Valentina etc. nullus ad doctoratum, specialiter Theologiae, admittatur, nisi prius sub iuramento promittat, numquam se veritatem hanc oppugnaturum. Pro hac doctrina stat *Conc. Tridentinum,* stant Patres, devotio et pietas fidelium, stat denique ipsa ratio. Et quid amplius dicam? in Conceptione BMV. aequum fuit, ut improbus (peccatum originale) tyranno seu diabolo, cui servit, diceret omnino: Dimitte me, ut revertar in patriam meam, i. e. omnium hominum, nam (in ista Virgine gloriosa) quaeretur peccatum illius et non invenietur. Ps. 10, 15. Cum sit ergo Virgo Maria ut rosa in rubentes filiorum calathos iam diffusa, hortus conclusus, undique vallata, ut ait Ambrosius, illa sine dubio fuit vere Paradisus absque serpente. Ad hunc Paradisum, inquit *Damascenus,* serpens aditum non habuit. Paradisus sane totius amoenitatis secundum *Ephrem.* Paradisus totius voluptatis secundum *Damianum.* Proindeque, loquitur *Augustinus,* sinus tuos roseos, Virgo perpetua, tuam pulchritudinem spinarum satellitium potius defendit quam offendit. Nata enim est, dicit *Victorinus,* ut flos de spinis, sed spina carens. Eva quidem, ait *Bernardus,* spina fuit, Maria rosa; Eva spina vulnerando, Maria omnium affectus rosa mulcendo; Eva spina infigens omnium mortem, Maria rosa reddens salutiferum omnibus fontem. Quod idem ait S. Pater *Bruno:* mors per Hevam facta est, vita per Mariam reddita est; illa a diabolo victa est, haec diabolum ligavit et vicit. Et si haec, B. Pater, diabolum ligavit et vicit, ita, ut qui per feminam in regnum intravit, per

feminam de regno extraheretur : credere non debemus, quod in praesenti statu Ecclesiae tanto moerore afflictae suas versutias et nequitias diabolicas eluderet? Haec est, Pater praeclarissime, mei et omnium nostrum amantissima, tota mea fiducia, nam in periculis, in angustiis, ut ait *Bernardus,* respice Stellam, voca Mariam. *Stella ista matutina,* splendens, lucida, quae illuminat omnium tenebras, *erit lux refulgens, quae illuminabit Sanct. V. ad definiendum tamquam articulum fidei mysterium suae imm. conc.* — Montevideo, 20 Aug. 1849. *Laurentius Antonius Fernandez.*

1170. **Declaratio Cleri Uruguanensis ad Vicar. Apost. facta.** Infrascripta individua Cleri in Montevideo residentis a quibus Illustrissima Dominatio Tua dignata est sciscitari de rebus contentis in Encyclica nostri Sanctissimi Patris Pii Divina Providentia Papae IX, quam de Immaculata Conceptione Sanctissimae Virginis Mariae, Matris et Dominae nostrae tractantem per Illustrissimam Dominationem Tuam profundissima cum humilitate et altissima veneratione perceperunt: permota iubilo maximae consolationis causatae a materia, circa quam vertitur sciscitatio, enunciant sibi, quia plurimi eorum religione iuramenti spontanei sanxerunt, et reliqui omnes sine ulla exceptione adoptarunt sententias in hoc scripto consignatas, hac vice sufficiens fore has ipsas sententias manifestare, prout eas a maioribus suis acceperunt, prout de praesenti cordibus eorum vive impressae reperiuntur, et prout eas e cathedra Spiritus Sancti fidelibus tradiderunt; quia tamen, spectatis obiecto ipso propositionis, et mente Illustrissimae Dominationis Tuae in Epistola ex officio ad nos data in terminis expressa, existimant se debere ponderare fundamenta, quibus illae sententiae innituntur: ostendent dicta fundamenta illas extra omnem ambitum dubitationis collocare.

Hoc posito, liceat nobis ante omnia animadvertere praefatam consultationem, prout nos eam intelligimus, in puncto maxime essentiali sequentibus terminis formulari posse: estne

sufficiens valor fundamentorum, quibus pia fides, Sanctissimam Virginem fuisse a culpa exemptam inde a sua Conceptione, innititur, ut haec fides per Sanctam Sedem tamquam doctrina universae Ecclesiae et consequenter tamquam articulus fidei declarari possit? Nos minime dubitamus partem huius formulae affirmativam defendere, et idcirco iam explanabimus rationes validas, in quibus nostram fundamus persuasionem; sic enim illuminatum iudicium Illustrissimae Dominationis Tuae easdem melius examinare poterit, atque de earum merito decidere. Innuamus inprimis principia. Dogmata fidei, revelatio divina se nobis manifestant vel per Libros sacros per Ecclesiam explicitos, vel per traditionem invariabilem et sine interruptione a primis saeculis ad nostra tempora conservatam. Patres Ecclesiae, Concilia Oecumenica, et Sancta Sedes explicant authentice sensum Sacrorum Textuum, designant veram Traditionem, exprimunt in terminis fidem Ecclesiae, eamque declarant. — Fides hoc modo stabilita est verum dogma fidei, atque sic secundum iudicium eorum qui subscribunt reperitur stabilita doctrina Sanctissimam Virginem fuisse a culpa exemptam inde a sua Conceptione. — Licet in Sacris Bibliis nihil reperiatur de hoc mysterio in terminis ipsis expressum, in multis tamen locis doctrina haec satis clare revelatur, quare et Ecclesia (exempta semper ab errore) eosdem hoc sensu intelligit et Immaculatae Conceptioni Mariae applicat confirmando rem sigillo venerabili primorum sensuum divinorum interpretum, Augustorum scilicet Successorum Cathedrae S. Petri. — Profecto, historia Israelitarum non est solummodo narratio dierum antiquorum, verum etiam figura temporum praesentium: facta, quae ibi narrantur, simul continent (quandoque) multas veritates historicas, et profundissima mysteria, quae omnia finaliter ad foedus novum diriguntur. — Sublimes memoriae Israël, populi illius electi et praedilecti, cuius omnes gressus signati erant phoenomenis prodigiosis, dulcissima harmonia conspirant cum mysteriis illis admirandis et sublimibus, quae symbolice repraesentant Reginam Universi, cuius irreprehensibilis gratia et puritas depictae reperiuntur in pulcherrimis canticis, quae in psalterio Prophetae Regis resonuerunt. — Regina vere Augusta Angelorum et

hominum, Ectypon splendidissimum et unicum per excellentiam purae illius pulchritudinis supremae, quae residet et imperat super throno supremo coelorum, quod relucen ti fulgore suae incontaminatae puritatis apparet ut aurora divina, pulchrior luna et speciosa ut columba, quae sola gloriari potest, quod Dominus eam possederit ab initio viarum suarum (Prov. VIII, 22.) et consequenter, quod eam nunquam possederit malignus satanas (ut Ecclesia textum hunc intelligit), aliter ac res se habet in aliis Sanctis, qui quamvis fuerint proprietas Dei sui, non tamen erant semper in eius possessione. — Sic etiam ipsa sola potest gloriari se esse natam *sicut lilium inter spinas,* quarum nulla unquam offendit eius immarcescibilem puritatem; vel ut magis proprie loquamur, illa est sicut malogranatum inter arbores, quia quamprimum floruit, coronam in capite gestabat ut Regina iam elevata super illustrem populum electorum, unde non fuit praevisa unquam peccatrix, verum qua Mater Verbi Divini, a qua Dei Filius sumeret carnem divinitati suae hypostatice uniendam, ut in illa redimeret genus humanum. Hinc est quod Ecclesia in suis pulcherrimis canticis nobis describat Imperatricem augustam coeli et terrae sedentem super throno sublimi et maiestate pleno millies magis radiante, quam sidus diei, in eoque resplendentem tamquam rosam mysticam, quae exhalat odorem purum et pretiosum, vel ut stellam matutinam solem gratiae praecurrentem .... cui serviunt Angeli pulcherrimi paradisi coelestis .... cuius thronum circumdant duo antiqui progenitores generis humani, Reges et Patriarchae Orientis, et omnes illi qui sangvine agni redempti sunt, per quos in medio tenerrimarum extasum admirationis et amoris, in medio raptuum gaudii indicibilis, videt se gloriose exaltatam et digne acclamatam illis expressionibus, quae coelum ab aeterno mirifice oblectant, et quas Ecclesia militans ei applicare non dubitat, dum tam dulce mysterium solemni recolit festivitate: *Tota pulchra es Maria, et macula non est in te.* Unde illa iam ante quater mille annos, antequam in mundo appareret, videndam se praebuit infelicibus posteris Evae in figuris expressissimis iustitiae originalis, in qua fuit concepta, nunc ut arca Noë elevata super aquas, quae terram inundarunt; nunc ut

templum Salomonis, in quo non est auditus ictus mallei aut alterius instrumenti, et cuius fundamenta erant magnificentissima; nunc ut thronus Ezechielis; nunc ut ebur Salomonis, hic in rubo Mosis, ibi in terra sacerdotali non subiecta tributo: in Iaële, Debora, Esther, Rachel, Iudith; rursum ut filia regis vestita variis coloribus, et ut mulier de qua agitur in Proverbiis .... Verum infiniti essemus, si nobis enumerandae forent omnes figurae, quae secundum sententias Patrum expresse repraesentant Conceptionem Immaculatam Virginis Mariae; deberemus quippe ascendere Libanum, ut eius cedros enumeremus, Sionem, ut examinemus eius cypressos, Cades, ut amputemus eius palmas, inde deberemus descendere ad Iericho, ut admiremur eius rosas, ad campos, ut videamus eorum olivas, ad littora maris, ut delectemur pulchritudine platanorum, tandem ad hortos, ubi cynamomum, balsamum, et myrrha suas fragrantias exhalant .... et fragrantias quidem tam exquisitas, ut eae solum in Maria reperiantur, quia illa sola est Primogenita Altissimi, et unica eius valde dilecta, utpote quae nihil in se continet quod repugnet amori i. e. nec levissimam culpam. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam* (Eccl. XXIV, 5.) *una est perfecta mea una est.* Itaque nihil mirum, si illa est mulier a Deo destinata ad gerendum cum serpente infernali bellum, eiusque erectum caput conterendum — *Inimicitias ponam* (dixit Deus) *inter te et mulierem, et semen tuum .... Ipsa conteret caput tuum.* Et notetur obiter vocem „Inimicitias" demonstrare inimicitiam non restrictam vel limitatam ad unum solum peccatum, verum extendendam ad omnia, quemadmodum per verba „Caput tuum" intelligitur, secundum S. Augustinum et alios multos, peccatum originale. — Et re sane vera cogitari nequit, ut illa, quam Deus destinavit pro triumpho tam pleno, fuerit victa vel uno instanti, aut subiecta vel uno momento iugo et dominationi inimici sui, in hoc enim casu triumphus non fuisset tam plenus, qualis potestati Dei respondet, nec tam dignus amoris, quo Deus Sanctissimam Virginem prosequebatur. *Deus plus amat solam Virginem quam reliquos Sanctos* (ut S. Bonaventura, S. Anselmus, S. Augustinus, Suarez et varii alii Theologi sentiunt). — Unde *S. Augustinus* commentans locum

Geneseos citatum ait: *Cum peccati originalis caput sit diabolus, tale caput Maria contrivit, quia nulla peccati subiectio ingressum habuit in animam Virginis, et ideo ab omni macula immunis fuit.* (In Gen.) *S. Bonaventura: Congruum erat ut S. Virgo, per quam aufertur nobis opprobrium, vinceret diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum.* Magis etiam apparet sensus S. Doctoris e sequentibus verbis: *Credendum est enim, quod novo sanctificationis genere in eius Conceptionis primordio Spiritus Sanctus eam a peccato originali (non quod infuit, sed quod infuisset) redemit, atque singulari gratia praeservavit.* (In 3 dist. q. 2. — Serm. 2. de Assumt.) Celeberrima illa verba (Cant. IV, 7.): *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te,* applicata per Ecclesiam, et specialissime per *S. Thomam* et *S. Ildephonsum* Virgini Sanctissimae, secundum expositionem *S. Bernardini Senensis,* et *S. Laurentii Iustiniani* intelligi debent de illius Immaculata Conceptione. Unde ait *Idiota: Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto; et macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te.* Et illa Proverbiorum (XXXI, 29.): *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas,* Mariae applicata non possunt recte intelligi, nisi in quantum illa dotata fuerit iustitia originali, ut Angeli et Adam in ipso momento creationis. (Alph. Liguori.) Possemus copiosos afferre textus Divinae Scripturae tam claros, ut sunt antecedentes, et eodem sensu a SS. Patribus interpretatos, utpote qui pariter applicati erant Conceptioni Immaculatae Mariae, nisi timendum nobis esset, ne nimis limites huius relationis excedamus, atque sic offendiculum apud Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Tuam forte incurramus. — Verum si brevitati, quae in hac magni momenti materia, quam tractamus, est possibilis, servientes dispensatos nos credimus ab aliis citationibus afferendis, liceat saltem traditionem consulere, ut in ea confirmationem huius doctrinae, quam defendimus, quaeramus. — Atque hic eam, quae possibilis est, attentionem necessariam esse ducimus, nihil enim magis clarum, nihil magis explicitum potest desiderari. — Omnes SS. Patres inde a remotissima antiquitate sunt in agnoscenda veritate hac indubitabili, exemptionis nempe Mariae a culpa

originali, unanimes. — Hic est eorum sensus uniformis, hic sermo invariabilis, prout in citationibus antecedentibus vidimus et visuri sumus in iis, quae deinde afferentur. Ponamus aliquos loco omnium. — Origenes: *Nec serpentis venenosis afflatibus* (Homil. 1.) *infecta est.* — S. Ephrem: *Immaculata et ab omni labe peccati integra.* (f. 5.! orat. ad Ded.) *Qui antiquam Virginem sine probro condidit, ipse et secundam sine nota et crimine fabricatus est.* — S. Ambrosius: *Nubes illa* (in Ps. 77.) *non fuit in tenebris, semper in luce.* S. Ildephonsus: *Constat eam ab originali peccato fuisse immunem.* — S. Laurentius Iustinianus: *Ab ipsa Conceptione fuit benedictionibus praeventa* (Serm. de Annunt.) — S. Bonaventura: *Domina nostra fuit plena gratia praeveniente in sua sanctificatione, gratia scilicet praeservativa, contra foeditatem originalis culpae.* (Serm. de Assumpt.) — S. Bernardinus Senensis: *Non enim credendum est quod ipse Filius Dei voluerit nasci ex Virgine, et sumere eius carnem, quae esset maculata aliquo originali peccato.* (Serm. 49. Tom. III.). — S. Ioannes Damascenus: *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit* (Or. 2. de Nat. Mar.). — S. Hieronymus: *Haec est hortus conclusus, fons signatus, ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec praevalere fraus inimici, sed permansit Sancta mente et corpore.* (Ep. X ad Emt. Ass.). — S. Bernardus: *Hortus conclusus tu es, ad quem ad deflorandum manus peccatorum nunquam introivit.* (In Cant. IV, 12.) — S. Petrus Damiani: *Caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adam non admisit.* (Serm. de Ass. Virg.). — Idiota super verba „Invenisti gratiam" ait: *Gratiam singularem, o dulcissima Virgo, invenisti, quia fuerunt in te: ab originali labe praeservatio....*

Transeamus a SS. Patribus ad Doctores, et videbimus eandem traditionem apud eos conservatam et defensam. *Cardinalis Galatinus, Cusanus, De Ponte, Salazar, Catharinus, de Lugo, Aegidius, Richelieu* et alii testantur; in Congregatione S. Sedis Romanae et Inquisitionis universalis praesente Sanctissimo Patre *Paulo V* fuisse decretum: *Ut in posterum nullus audeat publicis concionibus, conclusionibus, et aliis actibus publicis asserere, quod B. Virgo fuerit concepta in peccato originali.* Ad enumerandos omnes Theologos, qui hanc

doctrinam de Immaculata Conceptione Sanctissimae Virginis Mariae defenderunt, necesse esset texere catalogum omnium eorum, qui de hac materia sive ex professo, sive ex incidenti scripserunt. — Scholae S. Thomae et Scoti initio nequaquam dissentiebant, quamvis doctrinam eandem diversis modis explicuerint. Cardinalis de Luca affert quindecim celebres Theologos *Societatis Iesu,* qui hanc doctrinam tradiderunt et defenderunt. Celebris Schola *Sorbonica,* Universitates *Alcalensis, Salmanticensis, Conimbricensis, Coloniensis, Moguntina, Neapolitana, Toletana, Caesaraugustana, Tarraconensis, Barcinonensis, Hispalensis* et *Valentina* eandem docuerunt opinionem, atque in omnibus Universitatibus Hispaniae statutum erat dispositione speciali, ut nemo ad gradus Academicos promoveri possit, quin se prius solemni obstrinxerit iuramento hanc veritatem semper defendendi. — Eadem dispositio viget apud Universitatem maiorem *Cordubensem Tucuman,* quae iisdem privilegiis ac praerogativis gaudet cum Salmanticensi, et si in hac re forte fallimur habemus motiva gravia, quibus persuadeamus aequalem dispositionem viguisse in Universitatibus *Chuquisacensi, Chilensi, Limana, Mexicana* et aliis nostrae Americae. — Ipsa legislatio civilis testimonium perhibet fidei universali de Immaculata Conceptione Mariae. — *Ioannes I.* constabilivit in regno Valentiae et principatu Catalanniae dispositione speciali anni 1451. appellando in quadam lege festum Immaculatae Conceptionis Mariae „Festum Domus Regiae." — *Ioannes II* in Aragonia anno 1461. sub titulo „Thorus Conceptionis Mariae Virginis." — Imperator Germaniae *Carolus V,* in Hispania I, emisit edictum, quo omnia regna Hispaniae ad celebrandum festum Conceptionis exhortabatur, prout illud in sua Aula celebratum est, obtinuitque ab Hadriano VI iteratam approbationem Confraternitatis, cui titulus a Conceptione praeservatae Virginis, quam tempore antiquo instituerat dictus rex Ioannes I. — Reges catholici *Ferdinandus* et *Elisabeth* eam introduxerunt Granatam et „Confraternitatem nostrae Aulae" appellaverunt. — *Philippus IV* propagavit tardius notabiliter cultum praefati mysterii in omnibus regnis suis. Denique *Carolus III* per concessionem S. Patris Clementis XIII solemnitatem hanc universalem fecit

pro Clero et populo Hispaniae, committendo regnum suum Patrocinio Mariae, et fundando sub eius invocatione ordinem maxime illustrem Hispaniarum. Caeterum quid mirum reges Hispaniae hac sancta fide imbutos fuisse, quum Concilia in ipsa Hispania celebrata eam sanciant, et tota sint in ea propaganda? *Concilium Toletanum IV* anni 633 cum laude approbat Breviarium per S. Isidorum Archiepiscopum Hispalensem reformatum, in quo invenitur officium de Immaculata Conceptione Mariae, ubi haec dicitur praeservata a culpa originali. — *Concilium XI Toleti* anno 675 celebratum laudat doctrinam S. Ildephonsi, per quod significat se eam confirmare; huic Sancto attribuit Martène (de Auct. Eccles. tom. III) introductionem huius festi, citando pro hac re legem aliquam Visigothorum per *Concilium Toletanum XII* anni 681. confirmatam. — Tantis, tamque peculiaribus testimoniis aggregari possent *revelationes* privatae potissimum *S. Birgittae*, (S. Alph. Ligor. Glor. Mar.) approbatae a quatuor Summis Pontificibus, Cardinali a Turrecremata, praescindendo ab illis Ven. Sororis *Mariae a Iesu de Agreda* in sua „Mystica Civitate Dei" inserta actis eius Beatificationis et Canonisationis, quod opus approbavit et commendavit Universitas Lovaniensis „donec aliter a S. Sede iudicetur." Consensus hic, haec fides universalis omnium catholicorum, prout eam iam anno 1661 Alexander Papa VII in sua celebri Bulla „Sollicitudo omnium Ecclesiarum" vocavit, in qua et dicit: „Aucta rursus, et propagata fuit pietas haec et cultus erga Deiparam.... ita ut accedentibus Academiis ad hanc sententiam, iam fere omnes catholici eam complectantur...." indubitato modo manifestat traditionem, quae in sua origine ascendit ad primordia christianismi, et descendit ad nostros usque dies non solum sine interruptione verum ita ut decursu saeculorum sit magis roborata. — Propter talia fundamenta doctrina illa habita est pro certa imo proxime definibili de fide a Cardinali Everardo, Duvalio, Raynaldo et aliis multis, quibus adhaeret S. Alphonsus a Ligorio iam citatus. — Huic communi sensui fidelium innititur doctus *Petavius* ad eam doctrinam probandam, quod argumentum doctus Episcopus Iulius Torno vocat irrefragabile. — ***Statui*** itaque ***absque ulla formidine potest,***

doctrinam de Immaculata Conceptione Mariae esse fidem Ecclesiae: fidem privatam, si placet, sic enim debet appellari, donec per S. Sedem definiatur, quae tamen saltem indirecte approbata est a variis Summis Pontificibus et a Concilio. — *Sixtus IV* in sua prima Constitutione data anno 1476 concedit diversas gratias et privilegia fidelibus, qui: „De ipsius Immaculatae Virginis Conceptione gratias et laudes referant, et institutas propterea in Ecclesia Dei Missas, et alia officia dicant et illis intersint.“ In secunda Constitutione anni 1483 condemnat temerariamque audaciam vocat et perversas assertiones dicta eorum, qui cultum Immaculatae Conceptioni Mariae tributum censuris notabant, promulgavitque excommunicationem reservatam Summo Pontifici contra eos, qui huiusmodi doctrinas defenderent praedicarent aut legerent tamquam veros libros eos, in quibus illae continentur. Binas has Constitutiones renovavit *Pius V* in Extravaganti, quae incipit „Super,“ et Concilium Tridentinum sess. V (Decr. de pec. orig.) ubi facta declaratione, quam deinde exponemus, concludit.... „Sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.“ — *Paulus V* in Constitutione „Regis Pacifici“ data anno 1616 ait: „Quamobrem motu proprio.... et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris constitutionem Sixti et Pii praedecessorum huiusmodi verioris tenoris, praesentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes, easdem constitutiones Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus etiam quoad earum poenas quascunque, etiam absolutionis reservationem innovamus.“ Idem Paulus V in congregatione generali S. E. R. et Inquisitionis universalis habita anno 1617 decrevit: „Non audeant in publicis lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscunque actibus asserere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali....“ — *Gregorius XV* in congregatione generali anni 1622 extendit hoc decretum Pauli V ad ipsas conversationes privatas.... „Mandans et praecipiens omnibus ... neque etiam in sermonibus et scriptis privatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta.

cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare..."

Haec est diserta Sedis Apostolicae de Immaculata Conceptione Mariae doctrina. Eadem simul est doctrina Sacrosancti *Concilii Tridentini,* quod sess. et decr. citatis stabilito dogmate de peccato originali putabat necessariam sequentem declarationem: „Declarat tamen haec ipsa Sancta Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem: sed observandas esse constitutiones." Duas haec declaratio suppeditat observationes: prima est, Sacrum Concilium non solum non includere Sanctissimam Virginem in lege peccati originalis, verum etiam vocare Immaculatam ita ut videatur voluisse stabilire dogma; altera est, idem Concilium praescribere observantiam constitutionum Sixti, quas innovat, quaeque praeterquam quod illa prius memorata praescribant, simul continent clausulam „Cum nondum sit a Romana Ecclesia et Apostolica Sede decisum," quae clausula reperitur etiam in constitutione Pauli V hisce terminis: „Donec a Romana Apostolica Sede huiusmodi controversia fuerit definita." — Etiam decretum Pauli V eandem repetit: „Donec articulus huiusmodi a Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum." — Mens igitur Sancti Concilii non erat alia, quam Sedi Apostolicae relinquere iudicium de opportunitate dogma hoc expresse declarandi; Summi Pontifices Concilium sic intellexerunt et propterea etiam declarationem huiusmodi sibimetipsis reservaverunt.

Si aliquid deest ad evidentiam, qua Conceptio Immaculata Sanctissimae Virginis Mariae demonstratur, id solum esse potest quaestio, *num iam advenerit tempus, ut Sancta Sedes de hac materia suum iudicium proferat;* et si ad id divinandum novae exigerentur demonstrationes, eae in abundantia praesto essent in considerationibus, quas ultimo subiicimus. Quadringentis annis, a quo prima Sixti IV data est constitutio, quae iam tum referebatur ad celebrationem publicam et solemnem Conceptionis Immaculatae in Ecclesia a longo tempore institutam cum Missa et officiis divinis, quibus

concessae erant gratiae et indulgentiae: et ducentis, qui elapsi sunt, annis, a quo Alexander Papa VII in sua celebri Bulla „Sollicitudo omnium Ecclesiarum" dixit: doctrinam de Immaculata Conceptione Mariae esse tam universalem, ut iam fere omnes catholici eam complectantur: tantum abest, ut zelus catholicorum sit decursu annorum et seculorum in hac parte diminutus, ut potius in dies magis modoque explicitiori et magis determinato in lucem prodierit, volente sic Patre luminum ad dandum condignum honorem illi Dominae, quae Filio suo in terris vitam et nutrimentum ministravit: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* (Ioan. XII, 16.) Honorem tanto ampliorem, quanto maiori aemulatione eum populi simul et principes tribuunt illi, quam pro Matre gratiae agnoscunt, proque unica Filia vitae secundum illud oraculum: *Ponam te in superbiam saeculorum .... gaudium in generationem et generationem.* Ecclesia instituit festum speciale et solemnissimum in honorem huius mysterii: omni die illud ipsum ditat et auget novis gratiis et privilegiis; in illo applicat Conceptioni omnes Scripturae Sacrae textus, quos SS. Patres et Doctores eidem applicuerunt, ut inter caeteros: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam* (Eccl. XXIV, 25) et ex Canticis: *Dilecta nostra candida, immaculata quasi aurora consurgens* ... item: *Tota pulchra es Maria, et macula non est in te.* — Id sane demonstrat Ecclesiam hos textus eodem sensu intelligere, quo eos intellexerunt SS. Patres et interpretes, quemque facto illa ipsa sancit. Ecclesia insuper erexit semper et erigit ac in honorem huius mysterii consecrat templa, approbat congregationes, aperit in favorem earum thesauros suos, totum in honorem Immaculatae Conceptionis Mariae, nihil denique omittit, quod divinum hoc mysterium exaltet, quod fideles ad tribuendam Beatissimae Virgini augustam venerationem excitet. Iam vero nulli subest dubio Ecclesiam non posse celebrare nisi quod est Sanctum; nec adoptare ut verum id, quod non est tale, quod non est conforme revelationi divinae, quemadmodum nec potest unquam permittere, ut fideles inducantur in errorem, et consequenter multo minus potest ipsa eos in errorem inducere. — *S. Leo* Papa et *S. Eusebius* dixerunt, estque

articulus fidei „.. In Sede Apostolica extra maculam semper est conservata Religio." — *Subnixi itaque infrascripti iis, quae exposuerunt, non dubitant defendere, mysterium Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Virginis Mariae a Sancta Sede ut articulum fidei definiri posse;* doctrinam enim hanc reperimus in Libris Sacris, e quibus solum notabiliora excerpsimus, ne nimiis citationibus simus infiniti; eandem invenimus innixam traditioni, inde enim ab incunabulis Ecclesiae non erat saeculum, quo Immaculata Conceptio Mariae non fuisset obiectum venerationis ac cultus, celebrarunt quippe eam exemptam ab infelici reatu culpae iam saeculo I Sancti *Iacobus* et *Andreas;* saeculo II *Iustinus* et *Cyprianus;* saeculo III *Gregorius* et *Dionysius Alexandrinus;* saeculo IV *Ambrosius* et *Amphilochius;* V *Augustinus* et *Hieronymus;* VI *Fulgentius* et *Sabbas;* VII *Ildephonsus* et *Sophronius;* VIII Abbates *Corbias* et *Seles*; IX *Theophanes* et *Erigena;* X *Anselmus* et *Damianus;* XI *Ivo Carnutensis;* XII *Bonaventura* et *Scotus;* supersedemus enumerandis saeculis sequentibus, e quibus plures quingentis auctores pietate et doctrina celebres multa volumina pro defensione Conceptionis Immaculatae conscripserunt. — Hanc videmus defensam a Conciliis, ut sunt: Ephesinum, VI et VII generale, quorum prius celebratum est sub Agathone Pontifice et Constantino Pogonato Imperatore anno 680, et alterum sub Hadriano, Constantino et Irene imper. anno 787, atque Lateranense sub Martino I, denique Tridentinum. — Eadem auctoritate donata est ab oraculis Ecclesiae, qualia fuerunt Eugenius Papa, Sixtus IV, Paulus V, Alexander VII, Benedictus XIV, Clemens XIII, Urbanus VIII; eodemque modo senserunt Iulius II, Pius V, Hadrianus VI, Clemens VIII, Leo X, Gregorius XV aliique innumerabiles. — Est ea denique tradita demonstrata et victoriose inconcusseque defensa a SS. Patribus et Doctoribus, congregationibus religiosis et literariis, ab ipsa denique acclamatione sapientium universorum et fidelium. Tanta, tamque irrefragabilia testimonia nos ducunt ad conclusionem, quam etiam facimus, *doctrinam de Immaculata Conceptione Mariae Sanctissimae in divina Scriptura et traditione omnium saeculorum fundatam, decisioneque Sancti Concilii Tridentini et*

multorum Summorum Pontificum confirmatam, a SS. Patribus et Doctoribus Ecclesiae stabilitam, instructam esse omnibus characteribus dogmatis fidei, ad quam dignitatem ei nihil aliud deest, quam sanctio solemnis eius, qui exercet potestatem Petri, et cuius sublime officium est pascere gregem Iesu Christi et confirmare fratres suos. — Sanctio haec, obiectum expressissimorum ardentissimorumque votorum totius Ecclesiae catholicae satisfaciet plene vividissimis eius desideriis. Ea ex parte sua orabit, ut Divinus Spiritus inspiratione sua illuminet Supremum Pastorem concedendo illi simul donum fortitudinis, ut fides Iesu Christi triumphet nunc et semper super omni genere obstaculorum, exeatque de medio terribilissimarum pugnarum gloriosa. — Maria, Sponsa Divini Spiritus interponet suam potentem mediationem in favorem actu regnantis Pontificis excelsi, cui tanta est cura de gloriis illius. — Certe non erit aliter; dum Ecclesia post mortem Coelestini IV sangvinolenta persecutione Federici Barbarossae in statu maxime deplorabili oppressa iaceret, quis illam tunc liberavit ab inimico tam terribili, nisi ea, cuius protectionem imploravit Innocentius IV? Quis profligavit minantes tempestates, quae illam tempore Pauli II turbarunt? Quis illi dedit pacem post annos quinquaginta schismatis tempore Bonifacii IX? Qius exstirpavit altercationes tempore Hilarii I? Quis eripuit e manu monstruosi tigridis gladium, qui Romae excidium minabatur, et eam mortibus replere conabatur tempore Leonis IV? Quis eam animavit contra oppressionem abominabilis Federici tempore Gregorii IX? Quis elevavit murum inexpugnabilem contra tantam inundationem furoris Turcarum tempore Urbani II? Quis eripuit e faucibus ottomanicis christianos tempore Beatissimi Pii V? — Illa sola, cui potestas sine limite promissa est super potestates inferni, omnesque eius incolas proselytos et adeptos: *Cunctas haereses tu sola interemisti.* Persuasi igitur de hac veritate consolatione plena in fastis ecclesiasticis consignata, non possumus non praesagire idem eventurum hodie cum infortuniis, quae Ecclesia in suo venerabili Capite visibili, actuali Romano Pontifice Pio Divina Providentia Papa IX patitur. In vanum decurrunt saecula, unum post aliud, subruendo imperia, renovando eventus, et destruendo

rapido suo cursu etiam id, quod maxime firmum et immortale videbatur, potestas illorum nunquam efficiet, ut promissiones Domini in favorem Ecclesiae factae illusoriae evadant. Sustentata a Divino Spiritu videbit Ecclesia a throno aeterni Patris, sicut sol in medio coeli, vicissitudines revolutionum in circuitu suo, impotentiaque inimicorum eius non elevabitur unquam ad hanc altitudinem, Sedes enim Petri, et Episcopi, Proceres eius, illi uniti sunt rupes inaccessibiles, quae frangunt procellas perversorum seditiosorum. — *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ecclesia ergo Iesu Christi, firma in fide Petri, aliena a diminutione, aliena a destructione sui, crescet in dies et extendetur ut frondosa therebintus usque ad terminos universi. Quantumvis iterentur vices persecutionis et furoris contra Ecclesiam, et contra auctoritatem Petri, qui illi praeest, eamque gubernat: tam haec quam illa manebit semper intacta, semper sibi constans, semper triumphans, prout gloriose (testimoniis etiam eius adversariorum) comprobavit Dominus *Gregorius XVI* in suo opere doctissimo, cui titulus: „Triumphus S. Sedis et Ecclesiae.“ Tanta est vis et potestas brachii Omnipotentis, qui Ecclesiam suam protegit!! Perpetuitas Ecclesiae per omnia saecula est dogma expressum, definitum, et ab omnibus receptum: sed numquid non eodem censu habenda est veritas fundamenti, cui Ecclesia adhaeret et quo nititur? quemadmodum et veritas de potestate et auctoritate quae eam regere debet? Idcirco Summus Pontifex Romanus, Successor Petri in terra est verus Phoenix, unicus in suo ordine et hierarchia, quocum pari passu procedunt tanti Imperatores, Regesque, ut Episcopus quidam Misrae in Lycia saeculo VI magno dixit Iustiniano occasione, dum in suo Palatio hospitio excepit magnum Pontificem S. Silverium, sacrilege ab infelici Belisario in exilium missum: O Roma felix! Felix, quia est Cathedra Successoris Petri, cuius nomine praeest universo, super quo imperat, illudque regit in spiritualibus, dirimit controversias, et decidit in materia fidei ac morum eadem potestate suprema et summa auctoritate, quae erat propria Petri non solum super omnes fideles, verum etiam super omnes Apostolos et omnes Ecclesias particulares orbis, quibus Ecclesia Catholica componitur.

Nos, infrascripti, ut felices filii Ecclesiae, et subditi voci Supremi nostri Pastoris, Romani Pontificis, obedientes, toti auscultabimus eius de materia circa quam nos Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Tua interrogare dignata est, oraculum. Interim qua devoti erga personam venerabilem Suae Sanctitatis, admirantes virtutes eius ac heroismum, quo hisce diebus tolerat mala iniusta, non cessabimus elevare vota nostra ad thronum amabilissimae Mariae Matris et Dominae nostrae, ut abstergere dignetur lacrymas eius, eumque in afflictionibus suis confortare, atque illa fortitudine evangelica induere, cuius exemplum a principio sui Pontificatus dedit resistendo importunis sophismatibus, ut possit prodire triumphans ex omnibus insidiis, reduxque Romam proclametur ibi Rex dignissimus Romanorum, Pontifex venerabilis Christianorum, a quo nos infrascripti ad pedes eius (quos reverenter osculamur) prostrati speramus nos obtenturos dignissimam eius Apostolicam benedictionem, quam et ab Illustrissima ac Reverendissima Dominatione Tua supplices petimus. Montevideo, die 1 Augusti 1849.

1171. **Eppus Neo-Pampilonensis in Amer. Merid.** Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum, dum manibus meis Vestrae dilectissimae literae pervenerunt, quibus Vestra Beatitudo nobis exposuit et poscit desideria et postulationes universi populi catholici super declaratione augusti mysterii conc. immac. V. Mariae absque originali labe. Quod ad nos, Capitulum, Clerum et cives pertinet, Beatitudini V. testari possum, *semper et pro semper credidimus et credimus imm. conc. Mariae Dominae nostrae firma fide.* Mysterium hoc fecit esse Advocatam Americae Meridionalis. — *Neque prima vice mihi est honor petendi implorandique, nam iam B. P. Gregorio XVI et Vestrae Beatitudini supplex fui, ut adimpleantur desideria: declarandi, quod semper credidimus, Mariam conceptam sine originali peccato fuisse.* — Pampilonae, postr. Kal. Sept. 1849. (Subscripti praeter Praesulem, Iosephum Georgium, Decanus Capituli et Magister Scholae.)

1172. **Eppus Halifaxiensis in Nova Scotia.** (Ad Card. Secr. Status.) — Allata SS. D. N. Encyclica de imm. Conc. BMV. statim habui supplicationes publicas, quae Dom. 3. post Pascha, festo scilicet Patrocinii S. Ioseph, puritatis immaculatae Augustissimae Matris nostrae Custodis integerrimi, factae fuerunt iuxta mentem Sanct. Suae. Opiniones tam sacerdotum quam populi variis mihi literis fuerunt rescriptae. *Omnes unanimiter credunt, BVMariam etiam in ipsa conceptione ab omni prorsus labe peccati fuisse immunem. Pauci duntaxat propter diversas rationes hic non necessario repetendas definitionem dogmaticam hac super re edi non valde cupierunt. Si tamen aliter Sanct. Suae in sua sapientia placuerit, hoc tamquam dogma fidei cath. firmiter tenebunt. Sententia mea semper eadem ac constans fuit pro parte affirmativa;* ideoque cum Romae fueram a. 1844. Sanct. Suae Greg. XVI supplicavi, ut in hac dioecesi verba ‚Et te in imm. Conceptione' recitentur, et ‚Regina sine labe originali concepta' Litaniis Laur. adderentur, quod et Sanct. Sua benigne concessit. — Halifaxiae, 15 Sept. 1849.

1173. **Eppus Iucatanensis in Amer. Septemtr.** — Preces magna populi frequentia devotioneque aedificanti fuerunt peractae; nec aliud expectari poterat *ex communi sententia fideque pia istorum fidelium erga SS. mysterium, (immac.* conc.) quod libenter nos occupat. Non equidem pro arbitrio a me conficta praedico, quae turpi assentationi tribui; non incerta, quae in dubium revocari; non denique occulta, quae non ab omnibus videri possint. Vera sunt, explorata sunt, aperta sunt, atque omnium ore vulgata, adeo, ut haec mea vox non tam mea, quam communis vocis fidelium interpres habenda sit. His stabilitis, quid ingenium meum parvum cogitare, quid lingva mea balbutiens alloqui, quid calamus meus turpis scribere poterit, quod vel minimum augeat id, quod in se est magnum, quod ab omnibus creditur, et quod a multis viris praestantissimis sapientia, dignitate et conditione, propalam iureiurando promittitur doceri, defendi et sustineri?

(Citat *epistolam Eppi Vicensis ad Alexandrum VII PP.* de a. 1656, quam suo loco vulgavimus.) — Id (definitionem) avidissime expectant cunctae nationes catholicae. Hoc incredibile Angelis, hominibus, quin et ipsi Deo gaudium afferet. Hoc acatholicorum, virginitatem ceterasque Deiparae virtutes impudentissime impetentium, ora fortius obstruet. Hoc novo et gravissimo ictu impurissimi draconis caput obtundet. Postremo quo magis perpetuae immunitatis Mariae ab omni peccato fides stabilietur, eo magis Maiestatis Vestrae temporalis thronus, quem sub umbra alarum suarum collocatum cupimus, solidior constabit. Tiara, qua coronatur Vestra Beatitudo, novis pretiosioribusque gemmis ornata splendidius fulgebit; decessorum Pontificum praeclaram memoriam latius per totum orbem protendet; blanda et tranquilla pax, Maria patrocinante, inter Status Pontificios nullo deinceps armorum strepitu perturbata regnabit. — Emeritae, XVI Kal. Oct. 1849. *Iosephus Maria.* (Ad Eppum Iucatanensem 22 partim Corporationes partim singulares Viri e statu tam eccles. quam civili literas dederunt pro Immac. Conceptione, quas subnectimus.)

Literae plurium Corporationum eccles. ad Eppum Iucatanensem pro definitione immac. conceptionis BV. 1174. **Parochus de Nolo.** Implendo quantum Illustrissima Dominatio Tua per suam Epistolam Pastoralem diei 22-ae praeteriti mensis ordinavit et mandavit relate ad Breve Sanctissimi Patris Pii IX datum Caietae die secunda Februarii anni currentis declaratione solenni, Mariam Sanctissimam fuisse conceptam in gratia sine macula peccati originalis: dico, vota haec tam ardentia concordare cum fundata pietate trium communitatum fidelium ad meam Parochiam pertinentium, et quatenus veritatem continent catholicam, fateri debeo, prout revera fateor, *Conceptionem sine macula Virginis Immaculatae Sanctissimae Dominae nostrae conformem esse spiritui et fidei cultus et venerationis mearum Ecclesiarum et Filialium.* Deus et Libertas. Nolo, die 20-a Augusti 1849.

1175. **Capellani Monasterii Emeritensis a Conceptione:** Ave Maria ¡Purissima sine peccato concepta! Capellani Monasterii Purissimae Conceptionis Mariae Sanctissimae Dominae nostrae una cum Venerabili Congregatione Emeritae in urbe hac Iucatanensi existente, certiores facti de Brevi, quod sua Sanctitas Dominus Pius IX dignatus est expedire manifestando, Sanctam Sedem occupari determinatione sive definitione eius, quod ad gloriam et laudem Dei Domini nostri, suae Sanctissimae Matris et utilitatem Ecclesiae militantis quoad Conceptionem eiusdem Dominae in gratia convenerit, singulari perfusum cor suum senserunt gaudio maxima animi anxietate expectantes, ut quantocyus ea res declaretur spectato communi consensu Dominorum Episcoporum, quos una cum populo christiano considerant in illa sententia firmissimos. Ab illo tempore Capellani et dicta Congregatio incessanter benedicunt Deum misericordiarum, laudantque cum fervore Auctorem illius, quam in Matrem Unigeniti sui elegit, cui quum talem dignitatem concesserit, ea indispensabiliter debuit esse omnibus momentis vitae sane obiectum tenerrimum eius complacentiae ac deliciarum, quod non verificaretur si in illa vel momento permisisset malum, in quo existens fuisset filia irae, perditionis, tenebrarum, cooperta maledictione, opprobriis et ignominia: verum non fuit ita Deus, qui illam ab aeterno elegit im Matrem, cumulavit eam benedictionibus, appellando eam unicam, electam, dilectam, totam pulchram, sine macula, gloriam sui honoris et opus suae fortitudinis. De his hactenus. Caeterum non est nobis animus ad aliquid decidendum, quippe qui id facere haud possumus: sumus filii obedientes Ecclesiae Catholicae Apostolicae Romanae, in cuius sinu desideramus semper vivere et mori: huic competit res ad dogmata spectantes definire; unde nos eidem subiicimus audiendo humiliter supremum Pontificem et Dominos Episcopos qui eam regunt. Fervor ille, qui corda nostra ocçupat, effecit, ut nos ita exprimeremus. Haec sunt sensa, haec vehementissima desideria *in obsequium Mariae Sanctissimae Reginae coeli et terrae, pro qua, si oportet, sangvinem vivum e nostris cordibus fundere parati sumus, illoque sigillare veritatem, in qua lactati sumus, nimi-*

rum „Mariam Sanctissimam fuisse conceptam in gratia sine macula peccati originalis.“ Emeritae, die 24-a Augusti 1849. (Subscripti 2 Capellani et 26 Sorores Mon.)

1176. **Parochus de locaba.** Reservatum erat Pontificatui Sanctissimi Patris nostri Domini Pii IX solemni iudicio, quod sane semper est infallibile, praecipue dum etiam Domini Episcopi consuluntur, quibus omnis ad regendam et gubernandam Ecclesiam data est potestas, declarare veritatem, de qua intime persuasi sunt fideles omnium temporum et locorum, videlicet Mariam Sanctissimam fuisse conceptam sine macula peccati originalis: reservatum pariter occulto consilio Providentiae erat, ut Illustrissima Dominatio Tua, qua Caput Ecclesiae Iucatanensis, occasionem nancisceretur testificandi in sua Epistola Pastorali diei 22-ae Iulii elapsi affectum et pietatem tenerrimam, quam semper erga Virginem Sanctissimam fovebat, augereque ad gloriam et laudem Virginis Sanctissimae conabatur in se et in aliis per cultum publicum, qui illi debetur. Restat igitur, ut Illustrissima Dominatio Tua verbis unctione plenis, eaque, qua naturaliter pollet, in rebus sacris eloquentia, et firma fide, qua Mariam Sanctissimam prosequitur, et qua Ecclesiam, quam gloriose gubernat, imbuit, Suae Sanctitati sequentem faciat declarationem: *Devotio constans, qua populus est imbutus, eiusque actus repetiti, et fides, quam habet, obtinendi ab Omnipotente Deo et Domino totius consolationis, quidquid per Mariam Dominam nostram petitur; cultus denique, qui tanta profusione cordis eidem Dominae in hac Parochia eiusque Filialibus sub titulo Rosarii, item sub titulo Dominae in coelos Assumptae, et speciatim sub titulo Conceptionis eius immaculatae tribuitur, omnia haec clare manifestant desideria meorum parochianorum,* qui per me, qui qua parochus idem peto, rogant, ut Illustrissima Dominatio Tua preces nostras ad Sanctitatem Suam transmittat, et sacras manus versus coelum pro obtinendo tanto bono elevet. Epistola Pastoralis Illustrissimae Dominationis Tuae lecta erat per me inter Missarum solemnia, tenerrimamque in cordibus vere piis excitavit devo-

tionem; peragentur et reliqua ab Illustrissima Dominatione Tua praescripta, nempe ut ab 8-a Septembris coram sacra imagine Dominae nostrae, cuius illa die Ecclesia Sancta recolit Nativitatem, frequententur preces publicae per octo dies cum Missa solemni et Litaniis Lauretanis. Iocaba, die 26-a Augusti 1849.

1177. **Ecclesiasticus Iucatanensis anonymus.** Domine aestimatione mea tota, grandique cultu proseqnende: instar responsi ad tam sapientem, magni ponderis, religiosamque Illustrissimae Dominationis Tuae Epistolam Pastoralem, in qua insertum quoque est Breve Beatissimi Patris nostri Domini Pii IX, dico me formaliter declarare ac testificari, quod a mea tenera aetate in firmissima fide ac persuasione vixerim Mariam Sanctissimam conceptam fuisse in gratia sine macula peccati originalis, quam doctrinam feliciter hausi non solum ex ore meorum Dominorum Parentum et Magistrorum inde a prima mea educatione, verum etiam a plus decem millibus animabus devotis et in rebus religionis instructis, quibuscum convivere mihi curae erat; his accedit *reflexio valde opportuna, videlicet Ecclesiam catholicam totam et integram dare Mariae Sanctissimae titulum Reginae Angelorum, epitheton, quod Ecclesia Mariae nequaquam tribueret, nisi eam agnosceret esse melioris conditionis prae iis, in quibus nulla inventa est labes,* secus quid est in quo superioritas Mariae Sanctissimae consisteret, ut pro Regina agnoscatur? nihil enim est in quo prae illis excellat nisi magnitudo gratiae inde a primo instanti suae vitae naturalis. Si Ecclesia non esset certa de Conceptione Mariae in gratia, non eam appellaret in suis litaniis Reginam Angelorum; hi enim riderent audientes sibi Reginam dari, quae nec fuisset concepta in gratia, nec liberata a macula peccati originalis; atque adeo e solo hoc titulo in Litaniis conficitur Ecclesiam eam agnoscere conceptam in gratia et ab omni macula liberam. Quae quum ita sint, ego infimus eorum, qui Clerum saecularem huius Peninsulae Iucatanensis constituunt, Beatitudinem Suam, Dominum Pium IX humillime rogo ac supplico, ut

ad dignitatem articuli fidei elevare dignetur Mariam Sanctissimam fuisse conceptam in gratia sine macula peccati originalis. In Residentia Episcopali die 28-a Augusti 1849.

1178. **Ecclesiastici Oppidi de Carmine.** *Ecclesiastici universi in Oppido de Carmine residentes* die quinta Septembris anni 1849 praevia praemissa citatione congregati in domo Primi Vicarii Ioannis Nep. Perez, qui Breve Suae Sanctitatis promulgavit datum die secunda Februarii a. c. et directum ad omnes Venerabiles Dominos Archiepiscopos, Episcopos, reliquasque spectatas Dignitates totius orbis catholici, penitus commoti pio ac christiano suo timore, in principiis a Sancta Matre nostra Ecclesia adoptatis fundato, *communi consensu edixere: se vixisse, vivere et esse victuros in firma fide: Sanctissimam Virginem Mariam Matrem Dei fuisse sine macula peccati originalis conceptam a primo felici instanti suae purissimae Conceptionis;* et repletos fuisse prospera hac occasione gaudio indicibili, quippe qui persuasi sunt, nullum fore impedimentum, quominus doctrina illa solemni iudicio definiri queat ea certitudine, quam tremendum et augustum hoc mysterium exigit; definitionem hanc tanti momenti Divina Providentia, ut videtur, Sanctissimo Pio IX, digno Successori S. Petri reservavit; quapropter sequentes Illustrissimae Dominationis Tuae zelum ardentem ac fervidum, quem in Literis Pastoralibus datis die 22-a Iulii a. c. relate ad praecelsum obiectum rei supra significatae manifestat, impleverunt quantum iliis per easdem Literas impositum erat: lectum est videlicet intra Missarum solemnia indicatum Breve Suae Sanctitatis, et die 8-a currentis mensis Septembris, quo Ecclesia festum Nativitatis eiusdem Sanctissimae Virginis Mariae Consolatricis et Advocatae nostrae celebrat, procedetur ad precse publicas per Octavam dicti festi ante aliquam sacram eius Imaginem servandas atque ad Litanias cum cantu et oratione diei 8-ae Decembris.

1179. **Parochus de Ficul.** Antiquissima est ac ferventissima in cordibus fidelium vere christianorum pia fides in Conceptionem Mariae Sanctissimae Dominae et Patronae nostrae in gratia et sine macula peccati originalis: sic me idipsum docuerunt Domini mei Parentes, dum me in religione catholica instruebant, ac Magistri in primis elementis et dum statum ecclesiasticum amplexus sum induendo habitum Seraphici Patris mei S. Francisci: omnes etiam fratres mei tam antiqui quam contemporanei in eadem firma persuasione perseverant, eodemque modo doctrinam illam explicant, quin vel momento dubitent, quotquot coguovi, personae timoratae et in rebus religionis instructae, apud diversos populos, quibuscum agebam, inque hac Parochia de Ficul, quam per bonitatem Illustrissimae Dominationis Tuae administro. *Cultus, qui incessanter eidem defertur, est omni sub respectu inexplicabilis, nam in quovis etiam obscurissimo orbis christiani angulo non auditur, nec manifestatur aliud, quam vehementissimum desiderium eam, quae nostra est Mediatrix, exaltandi sequenti versiculo: „Per immaculatam Conceptionem Tuam Dei Genitrix Virgo Sanctissima."* Decretum erat, Illustrissime Domine, incomprehensibili et immensa sapientia Dei, ut sub Pontificatu Sanctissimi Patris nostri Domini Pii IX actu Ecclesiam regentis declararetur tamquam mysterium fidei Conceptio sine macula peccati originalis Matris adorandi nostri Redemptoris Iesu Christi, et reservatum pariter, ut Illustrissima Dominatio Tua esset e numero eorum, qui sapientia et eximia sua doctrina conferrent ad praefatam declarationem, quam tum ego, tum tota haec Parochia vehementer exoptamus. Restat solum ut significem me Pastoralem tenerrimam, quam Illustrissima Dominatio Tua dignata est ad me dirigere, inter Missarum solemnia legisse, et quoad reliqua, quae in ea continentur, effectui mancipaturum. Speramus Amantissimam Matrem totius nostrae felicitatis nos, qui in pretiosissimo eius Filio confidimus, quo ocyus a perturbationibus liberaturam, quae nos in actualibus tristissimis circumstantiis insurrectionis, in cuius medio vivimus, affligunt. — Die 6. Sept. 1849.

1180. **Parochus de Funkas.** Sicut mihi per Epistolam Pastoralem, quam Illustrissima Dominatio Tua cum piis dispositionibus, quas expedire visum est, ultimo instar Circularis mittere dignata est, impositum erat, promulgavi eam inter Missarum solemnia in hac Ecclesia Parochiali, complendoque vota Suae Sanctitatis et Illustrissimae Tuae Dominationis, *cum iucundissimo gaudio dico, opinionem, et sensa tam mea, quam fidelium meae curae commissorum fuisse, esse, et fore: Mariam Matrem Dei in sua Conceptione fuisse in gratia sine macula peccati originalis. Tanta est fides et persuasio nostra de hocce augusto mysterio, ut nullum sit argumentum, quod eam vel minimum debilitare possit.* Parochia haec, persuasa de magnitudine ac praeeminentiis Mariae Sanctissimae Dominae nostrae, illi cultum defert particularem honoremque ac venerationem, quae illi debentur, utpote quae columna est eius in omnibus afflictionibus suis; et praecipue praesenti hac calamitate, quae omni genere infortuniorum eam replet, incessanter implorat eius intercessionem apud Filium suum Sanctissimum. Quapropter meo, meorumque parochianorum nomine Suam Sanctitatem mediante Illustrissima Dominatione Tua humillime rogo, ut piis et ferventissimis postulationibus virorum venerabilium, in scientia et cognitione Sacrarum Literarum eminentium obsecundans solemni iudicio declarare dignetur Mariam Sanctissimam in sua purissima Conceptione fuisse in gratia et sine macula peccati originalis. Haec sunt vota et ardentia desideria, quae cum debito honore in manus Illustrissimae Dominationis Tuae depono profitendo constantem aestimationis et venerationis cultum. Funkas die 8-a Septembris 1849.

1181. **Parochus et Vicarius de Calkini.** Epistola Pastoralis, quam Illustrissima Dominatio Tua die 22-a Iulii praeterlapsi ad me, et venerabilem Clerum, fidelesque huius Parochiae dirigere dignata est incluso Brevi, quod paterna bonitas Sanctissimi Patris nostri Domini Pii IX (quem Deus conservet) ad Dominationem Tuam de pio et sancto obiecto misit, de inquirenda videlicet religiosa nostra fide in stupendum

mysterium Conceptionis Sanctissimae Virginis Mariae Matris et Dominae nostrae in gratia, desiderioque, quo flagramus, ut Sancta Mater nostra Ecclesia illud tamquam unum ex ineffabilibus mysteriis, quae colimus, declaret, me sicut et omnes generatim ac singulos speciatim iubilo sancto implevit, qui describi nullatenus potest, videturque mihi quemque a se, et iure quidem, quaerere: unde tanta beatitudo tristi hac nostra et vacillante epocha? Respiciendo interim oculis, lachrymis, quas teneritudo expressit, plenis fulgentem hanc stellam matutinam, videmus eam ipsam benigno et venerabili influxu suo pusillanimitatem derelicti spiritus nostri sublevare ad tollendas voces, eamque gratia plenam acclamandam, venerandam et velut dulce decus Augustissimae et Divinissimae, quae eam a tota aeternitate respexit, Trinitatis confitendam. Et re sane vera, *deficiunt me verba, quibus debite exprimam, quale sit desiderium, qualis devotio huius gregis Dominici partis,* quam paterna Bonitas Illustrissimae Dominationis Tuae meae curae et regimini spirituali commisit; *quocunque enim me convertam, undique resonat dulce echo Conceptionis Mariae Sanctissimae Dominae nostrae in gratia:* ubique anxietas, ubique desiderium, quod hi fideles manifestant, votaque continua ut quo ocyus videant advenisse exoptatum diem declarationis tantopere debitae ei, quam Divinus Spiritus declaravit totam pulchram et sine ulla vel levissima macula, ut est ipse, qui solus assequitur et penetrat sua arcana divina. In hac fide cum Venerabili Clero et populo fideli huius Parochiae humillime prostrati Illustrissimam Dominationem Tuam rogamus, ut religiosa haec atque humilia nostra vota benigne suscipiat transmittendo ea ad Suam Sanctitatem eo scopo, quem appetimus et quem nos adepturos speramus. Calkini die 9-a Septembris 1849.

1182. **Parochus Felchacensis.** Natus et educatus in sinu sanctae Patrum nostrorum Religionis, filius, ut sum, humillimus Ecclesiae Catholicae Apostolicae Romanae, mysteria per Deum verum revelata, et per eandem Sanctam Ecclesiam

filiis suis fidelibus proposita semper credidi; consequenter e *totis visceribus cordis mei assentior sensis illis Sanctissimi Patris nostri Pii IX, supremi Capitis Ecclesiae, quae ipse in sua Epistola Pastorali, data die secunda Februarii praeterlapsi, relate ad Conceptionem immaculatam Sanctissimae Dominae et Matris nostrae Mariae manifestat.* Illustrissime Domine, *tam ego, quam Socius meus in ministerio huius Parochiae, omnesque mei fideles, ne ignorantissimo quidem aut minus religioso excepto eundem Sanctissimum Patrem nostrum per Illustrissimam Dominationem Tuam rogamus, ut si ita visum fuerit, „maximum hoc mysterium immaculatae Conceptionis Mariae in primo instanti vitae suae, quod hucusque servabatur illaesum ac custoditum instar piae fidei, publice et cum omni solennitate in Ecclesia universali usitata declaretur tamquam veritas fidei catholicae.“* Non dubitamus, Illustrissime Domine, quin humiles istae preces et ferventes supplicationes nostrae exaudiantur, atque paterno a Te affectu suscipiantur, quippe qui eadem foves, Illustrissime Domine, sensa, et idcirco humillimam hanc manifestationem in manus depones supremas Sanctissimi Patris nostri, ad finem, quem obiectum hoc gravissimi ponderis exposcit. Felchae die 17-a Septembris 1849.

1183. **Parochus Coadiutor de Hoctun.** Cum ineffabili gaudio et consolatione animae meae promulgavi personaliter inter Missarum solemnia Breve Sanctissimi Patris nostri Domini Pii IX, editum die secunda Februarii anni currentis relate ad intentionem tamquam dogma catholicum declarandi, Mariam Sanctissimam Filiam aeterni Patris, Matrem dilecti illius Filii, et Sponsam Spiritus Sancti fuisse exemptam ab infausta macula peccati originalis inde a primo instanti suae Conceptionis, quod Illustrissima Dominatio Tua in sua venerabili Epistola circulari diei 22-ae Iulii elapsi mihi transmisit publicandum. Post brevem explicationem sollicitudinis Suae Sanctitatis piorumque Illustrissimae Dominationis Tuae circa res, de quibus agitur, sensuum, populus congre-

gatus ineffabili manifestavit mentem suam satisfactione, gaudio ac laetitia, qua me tam Bullam Suae Sanctitatis, quam pia sensa in Epistola Pastorali Illustrissimae Dominationis Tuae contenta legentem auscultavit. *Ego certe existimo non dari catholicum suae religionis amantem et suae gloriae zelatorem, qui credat Matrem Auctoris vitae in mundum intrasse per mortem, qualis omnino erat peccatum originale, privilegiumque concessum Evae, quae erat causa nostrae perditionis, negatum esse Mariae Liberatrici nostrae, et Sanctum Sanctorum, Filium aeterni Patris, Deum et Hominem, immaculatum, purum et sine macula, qui venit ut peccatum destrueret, voluisse esse conceptum in ventre infecto peccato originali:* certe, impossibile est negare cultum et venerationem, quae Matri Creatoris in mysterio suae immaculatae Conceptionis est tribuenda, quin per hoc ipsum indifferentismus erga sanctitatem religionis manifestetur, nullius enim religionis cultus magis est admirandus, quam cultus Mariae. Mysterium hoc grande omnibus colebatur temporibus ab omnibus veri nominis christianis, speciatim vero ab illis Hispaniae, Galliae aliarumque nationum cultarum piis regibus, qui indicibili sollicitudine a Sede Apostolica petebant, ut tamquam fidei articulus declaretur Mariam fuisse conceptam in gratia et ab omni macula peccati immunem. Praecipue rex Carolus III felicis memoriae, mox ab initio sui super monarchia hispanica regiminis manifestavit piissimam suam curam et indefessam sollicitudinem in promovendo cultum et venerationem huius Dominae in mysterio Conceptionis eius immaculatae, ad quem finem instituit Facultatem regalem Theologorum, qui sententiam suam in innumerabilibus textibus sacris, solidisque ac piissimis rationibus fundatam de re nulli controversiae subiecta enuntiarent. Quapropter quis catholicorum audebit disputare, num Maria fuerit concepta in gratia, si credit Aeternum Patrem eam praedestinasse in Filiam suam, Matrem dilecti Filii sui unigeniti et Sponsam Spiritus Sancti? Possetne Deus permittere, ut in sinu mulieris impurae homo fieret dilectus Filius suus, qui est ipsa puritas per essentiam, ut in maledictione contra peccatum Adami pronuntiata comprehendatur ea, quae futura erat Mater Dei illius, qui venit

ut nos ab illa maledictione liberaret? Minime gentium. Maledictio pronuntiata est contra Adamum et eius posteritatem excepta ea, quae futura erat Mater Dei. *Nos itaque persuasi sumus et absque minimo dubio confitemur, Mariam Sanctissimam fuisse exemtam a macula originali et exceptam ab aeterno a communi debito, ut in ea Spiritus Sanctus formaret corpus nostri Redemptoris.* Pauca haec verba, quamvis nullius sint meriti, subiicimus eminenti sapientiae Illustrissimae Dominationis Tuae, non acsi essent testimonium authenticum, quippe nullum habent valorem, sed solum ut ardentia et positiva desideria, quae fovemus, manifestemus petendo, ut mysterium Immaculatae Conceptionis, quod in tota Ecclesia resonat et vivit, tamquam doctrina catholica declaretur; prostratique ad pedes Reginae confitemur absque timore Mariam Sanctissimam fuisse conceptam sine omni vel levissima macula. *Qua Parochus Coadiutor huius Parochiae nomine meorum fidelium Illustrissimam Dominationem Tuam, qua Caput Ecclesiae Iucatanensis rogo, ut a Sanctitate Sua efflagitet declarationem mysterii immaculatae Conceptionis Mariae pro fidei articulo,* ad quem scopum preces publicae peractae sunt die octava et sequentibus, prout Illustrissima Dominatio Tua in praefata sua Epistola Pastorali praescripsit. Hoctun die 19-a Septembris 1849.

1184. **Parochus de Senotillo.** Obsequens dispositioni supremae per decretum diei 22-ae Iulii praeteriti ab Illustrissima Dominatione Tua factae, qua occasione Epistolam quoque Pastoralem Sanctissimi Domini nostri Patris Pii IX datam mense Februario a. c. percepi: debito cum honore et plena reverentia Illustrissimae Dominationi Tuae significo Pastoralem hanc prima post eius adventum die festiva lectam esse inter Missarum solemnia coram populo fideli, et conclusas rogationes, quae per octo dies ea, quae possibilis erat, solemnitate celebratae sunt in hac sancta Ecclesia Parochiali ad S. Claram de Senotillo; servabatur videlicet quotidie Missa cantata cum Litaniis terminatis respectivo Versiculo Antipho-

naque ad Benedictus et oratione diei 8-ae Decembris, prout inter officia Hispaniae in festo Conceptionis B. M. V. reperitur; unde et opinionem meam plenamque persuasionem in hac materia Illustrissimae Dominationi Tuae manifesto; *meum, pauperis debilisque ingenii hominis, iudicium fuit, est et erit: Mariam Sanctissimam, utpote quae ab aeterno electa est Mater Dei, indubie firmaque fide credi posse fuisse, quemadmodum est, praeservatam vel exemtam a lege generali „In quo omnes peccaverunt,"* asserique posse ipsum Iesum Christum Filium eius, antequam in sinum eius benedictum veniret, descendendo de throno suo eam sustentasse amplexumque esse atque ad eam dixisse: Noli timere! O Regina coeli et terrae, lex peccati, quae transibit in omnes descendentes Adami, te non comprehendit, idque quod mortem afferet reliquis universis, tuae innocentiae non nocebit! Hoc est, Illustrissime Domine, fundamentum, cui opinio mea innititur, alterumque fundamentum sunt ea *Angelici Doctoris S. Thomae* verba, quibus ait: *In B. Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit. Non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando.* Ita est, Maria Sanctissima debuit habere omne id, quod perfectionis est supra omnes reliquas creaturas, et debuit esse exemta ab omni laesione peccati, secus non fuisset digna Mater Dei Omnipotentis; solo hoc titulo debuit esse et est praeservata a peccato originali, quod est effectus imperfectionis, quapropter munda est et immaculata sine dubio Conceptio Sanctissimae Virginis Mariae, nec poterit unquam afferri argumentum, quod tantam tamque firmam fidem ac persuasionem de hoc tam alto mysterio in dubium pertrahat. Similiter etiam fideles huius meae Parochiae, quamvis non potuerint verbis exprimere suam opinionem, tamen prout ex admirabili eorum laetitia, dum ad actus religiosos conveniunt, colligo, certe interne opinantur, quia Maria Sanctissima est auxilium et refrigerium nostrum in omnibus necessitatibus non secus ac est obiectum cultus, honoris, et venerationis, quae ipsi debentur. *Quapropter per venerabile organon Illustrissimae Dominationis Tuae Suam Sanctitatem pro me et meis parochianis humillime rogo, ut solemni iudicio declarare dignetur id, quod pia et valde fundata vota venerabilium Virorum in cognitione*

Sacrarum Literarum eminentium postulant, scilicet: Mariam Sanctissimam fuisse in sua Conceptione purissimam, in gratia, et absque omni vel levissima macula peccati originalis; ut per hoc medium tamquam fulchrum nostrum obtineamus reditum pacis saeculo nostro adeo turbatae. Haec sunt, Illustrissime Domine, maxime vivida et ardentia vota, quae in manus Illustrissimae Dominationis Tuae depono Pastorales cum professione totius humillimae subiectionis, aestimationis et cultus. Senotillo die 21-a Septembris 1849.

1185. **Parochus Coadiutor de Espita, et alter Vir Ecclesiasticus.** Parochus Coadiutor huius Parochiae, eiusque in ministerio socius grata perfunduntur animi laetitia ad Illustrissimam Dominationem Tuam responsum hoc dirigentes relate ad Breve Sanctissimi Patris nostri Domini Pii IX, datum Caietae die secunda Februarii elapsi, et per Illustrissimam Dominationem Tuam promulgatum in Epistola Pastorali diei 22-ae Iulii praeteriti. *Persuasio haec, Sanctissimam Virginem Mariam, Matrem dignissimam Salvatoris, fuisse absque omni macula peccati conceptam a primo instanti suae existentiae et creationis purissimae, tam altas agit in corde cuiusvis veri catholici radices, ut nihil possit maiori efficacia teneritudinem nostram et huius Parochiae, atque devotos affectus commovere, quam obiectum Brevis,* ardensque sollicitudo, qua Dominatio Tua Illustrissima nobis imponit, ut sensa nostra manifestemus circa obiectum, quod intime, modoque inexplicabili afficit amorem filialem tenerrimum, quo catholici erga Matrem Iesu et nostram pariter, titulo, qui nobis concessus est diebus consummationis nostrae Redemptionis, feruntur. Hinc est, quod, convenienter institutioni ab Illustrissima Dominatione Tua acceptae, in hac Parochia inchoatae sint festo Nativitatis Virginis Sanctissimae preces publicae, quae per Octavam ea, quae possibilis erat, solemnitate peragebantur eo scopo, ut Sanctissimus Pater noster auxiliis Altissimi, atque sub protectione purissimae Reginae Angelorum ad exitum deducat religiosum illud propositum elevandi in fidei

articulum, ponendique in numero sublimium veritatum, quas confitemur, admirabile privilegium, quod Deus, fons inexhauribilis gratiarum primogenitae omnis creaturae concessit, formando eam in plenitudine suae caritatis et complacentiae immunem ac mundam ab omni umbra peccati a primo instanti vitae suae et existentiae. Haec sunt humilia sensa nostra circa hoc obiectum, et eadem pariter sunt fidelium ad hanc Parochiam pertinentium, qui simul ac Breve Suae Sanctitatis promulgatum est, omnibus modis religiosae manifestationis demonstrarunt intimum suum amorem ac cultum erga Virginem Sanctissimam, ostendendo evidenter indubium gaudium ac consolationem, quae illos afficeret, si Supremum Caput Ecclesiae sequens pios religiosi desiderii, quod fovet, stimulos ad maiorem honorem dignissimae Matris nostrae Conceptionem huius puram et a communi macula peccati originalis absolute liberam solemni iudicio declararet, ad glorificandam eius praecellentiam inter omnes creaturas, et ad eam, ut convenit, exaltandam super illas, quas Deus eminere fecit creando eas sine peccato, quae tamen non fuerunt ab Angelo Domini ut plenae gratiae salutatae sicut Maria Sanctissima Mater nostra. Nec potuit esse aliter in consiliis eius, qui eam praeparavit templum dignum Spiritus Sancti, habitaculum Sanctissimum Verbi Incarnati! Quomodo posset vel unico momento pro vero haberi, illam, per quam peccatum in mundum intravit, fuisse magis privilegiatam ea, per quam caput astutae ac malevolae bestiae, quae primam, pro damno generis humani, suggessit ideam peccati, erat conterendum? *Inde ab incunabulis Ecclesiae, inde a temporibus apostolicis usque in praesens saeculum erat in pectoribus nostris reclusa fides ac persuasio de singulari privilegio concesso Mariae Sanctissimae Virgini et Matri Dei creatae et praeservatae a communi naufragio, quo filii hominum ipsius Dei manibus formati perierunt.* Fides haec innititur dignitati, excellentiae, summaeque Sanctitati Dei et Domini nostri; persuasio haec orta est ex iis motivis ac rationibus, quae tantos viros sanctos ac doctos per decursum decem et novem saeculorum permoverunt ad praedicandum cum fervore insigne hoc et admirabile privilegium. Persuasi, quam fovebant et augebant summi Pontifices, cui

applaudebant Concilia, eamque venerabantur; quam defendebant et sustinebant Collegia piorum Doctorum in Universitatibus, quam zelo et fervore praeconabant filiae religiosae sapientia ac sanctitate illustres:. Congregationes denique nobilium, populique catholici ita dicendo unanimes adoptarunt devotissimas solemnitates et festa ad colendum illum mirandum favorem, quo Altissimus Mariam Sanctissimam Matrem et Protectricem nostram distinxit cumulando eam omnibus gratiis, praeveniendoque salutaribus effectibus redemptionis in consiliis divinis praevisae. Non dubitamus Illustrissimam Dominationem Tuam, cognoscendo pia ovium suarum erga Virginem Sanctissimam sensa, potuisse vota earum ferventia ad Suam Sanctitatem deferre; nihilominus, quum nobis dignanter permissum sit manifestare speciatim id, quod in corde gerimus, quodque amor purissimus huic Paroeciae inspiravit: *debita cum reverentia ad Pedes Sanctitatis Suae per Illustrissimam Dominationem Tuam depono nomine meo et alterius Ecclesiastici mecum subscribentis, omniumque fidelium utriusque sexus huius Parochiae humillimas preces:* quatenus Illustrissima Dominatio Tua eas commendatione sua dignas reddat, quibus in medio amaritudinum et tribulationum, quae nos affligunt, consolatio tribuatur nos aliquo, licet valde limitato modo cooperatos esse ad assequenda sincera nostra vota in eo contenta, *ut Sua Sanctitas, qua Supremum Caput Ecclesiae, eiusque oraculum declaret: „Veritatem esse fidei catholicae, Sanctissimam Virginem Mariam fuisse conceptam sine macula peccati originalis a primo instanti suae animationis.“* Espita die 7-a Octobris 1849.

1186. **Parochus de Homur.** Iis ipsis diebus, quibus populus devotioni quadraginta horarum ferventer vacabat, reparans iniurias Iesu Christo in SS. Sacramento illatas, publicavi cum gaudio inter Missarum solemnia Pastoralem Epistolam Illustrissimae Dominationis Tuae, datam die 22-a Iulii, cui adiunctum erat Breve Suae Sanctitatis, Domini Pii IX, quo hic certior fieri voluit de populi catholici sensis erga Con-

ceptionem immaculatam Mariae Sanctissimae Dominae nostrae, ut posthac de ea possit solemne, exoptatum et ineffabile iudicium proferre. Romanus Pontifex, qui centrum est unitatis et visibile Caput Ecclesiae per Iesum Christum Dominum nostrum fundatae, et per Spiritum Sanctum edoctae ac rectae, nunquam potest errare, dum in suis decisionibus consulit sanctas et divinas Scripturas, testimonium unanime Patrum et traditionem non interruptam, auditque Dominos Episcopos, quibus data est potestas regendi ac gubernandi Ecclesiam Dei. Itaque si divinae Scripturae, testimonium Patrum, traditio et sententia Episcoporum pro immaculata Conceptione militant, quid est, quod amplius desiderari possit ad infallibilitatem iudicii? *Parochus de Homur, qui fide credidit, et audivit ac consuluit suos devotos parochianos, audet suo et suorum fidelium nomine humiliter petere, quatenus Illustrissima Dominatio Tua sacras suas manus ad Mariam Sanctissimam elevare, precesque nostras Romano Pontifici manifestare dignetur, ut Immaculata Conceptio nostra hac aetate declaretur ut veritas catholica.* Si devotionem populi erga Matrem Dei in tota sua extensione ostendere vellem, non haberet humilis haec expositio finem, sufficiat itaque dixisse, populum post absolutas quadraginta horas se obstrinxisse voto trinae recitationis Rosarii solemnis nec non auditionis trium Missarum solemnium coram Imagine Mariae titulo Rosarii. Persolutae sunt, Illustrissime Domine, preces octo diebus, quibus Ecclesia Mater nostra celebrat Nativitatem Mariae cum Missis solemnibus et Litaniis Lauretanis secundum devota Illustrissimae Dominationis Tuae desideria in Epistola Pastorali expressa, id quod immediate post factum retulissem, nisi certa indispositio physica me impedivisset, a qua liberatus non dubito quin Maria Sanctissima Domina nostra oculos in me convertat secundum opinionem et fidem meam, sanctamque et Pastoralem Illustrissimae Dominationis Tuae benedictionem. Homur die 10-a Octobris 1849.

1187. **Parochus de Muna.** Complendo conscientiose officium, quod ad me pertinet qua Sacerdotem catholicum et indignum ministrum Altissimi, destinatum et positum ad distribuendum fidelibus catholicis panem verbi divini explicandamque sanam doctrinam et proponenda sancta mysteria, quae fundamentum praebent festivitatibus Domini nostri Iesu Christi, eius Sanctissimae Matris, et reliquorum Sanctorum, quas Sancta Mater nostra Ecclesia quotannis celebrat principaliter quidem in honorem Dei et Domini nostri, deinde vero in honorem eorumdem Sanctorum, ut pro nobis qua amici et domestici Dei intercedant, dando eis debitam reverentiam et cultum secundum dignitatem, quae eis respondet: video me relate ad dignissimam Pastoralem, datam die 22-a Iulii a. c. occasione Brevis Suae Sanctitatis, dati Caietae die secunda Februarii eiusdem anni, obligatum ad dicendum et testificandum publice, quin vel momento haesitem, quod meum exile ingenium mihi in materia, de qua agitur, et de qua tractat Breve Pontificium, i. e. de immaculata Conceptione Dominae nostrae Sanctissimae Virginis Matris Dei dictat, adhaerendo doctrinae et sensui Sanctorum Patrum et Doctorum Ecclesiae, opinionique ac dictamini Illustrissimae Dominationis Tuae prudenter et docte suam sententiam in praefata dignissima Epistola Pastorali exponentis dicendo traditionem non interruptam demonstrare non fuisse a primordiis Ecclesiae saeculum, quo immaculata Conceptio Matris Dei non fuisset obiectum illius venerationis et cultus. Et re sane vera, si quemadmodum mihi sacrum meum ministerium imponit praedicare laudes et praerogativas Sanctissimae Virginis in gratia conceptae, et a peccato originali inde a primo instanti suae vitae naturalis unico et speciali privilegio Dei et Domini nostri praeservatae, utpote quae futura erat Mater Verbi Incarnati ab ipso Deo ab aeterno, prout e verbis divinarum Scripturarum, quae Ecclesia Mater nostra ei sensu mystico et allegorico in omnibus eius festivitatibus applicat, demonstrari clare potest, electa: mihi etiam qua Oratori profano incumberet onus faciendi sermonis panegyrici super conceptione vel nativitate magni alicuius principis terrae: haererem incertus et anxius, quibus fundamentis gloriam infantis recens nati super-

35*

struam, quaerendaque mihi in eventu tam communi et aequivoco foret materia certa elogii felicitationis, et quae ad hanc pertinent. Qua ego tunc sollicitudine perlustrarem obscura archiva temporum praeteritorum? Quo conatu vellem penetrare, si possibile esset, densissimas tenebras temporis futuri? Quantae molis esset super fundamentis tam debilibus aedificium etiam minus solidum erigere? Et quis solet esse fructus huiusmodi curarum non minus vanarum, quam ingratarum, nisi ut postea videam annihilatas favorabiles coniecturas meas, temerariasque promissiones evanuisse, atque pro falsis a toto mundo haberi infundatas meas praedictiones? Verum nunquam id eveniet, prout Illustrissima Dominatio Tua non ignorat, oratoribus sacris, quibus nomine Ecclesiae celebranda est immaculata Conceptio et Nativitas Sanctissimae Virginis Mariae Dominae nostrae; consideramus quidem celsissimam hanc Dominam in primo instanti purae suae et illibatae Conceptionis, atque in ipso primo die Nativitatis eius ut puellulam recens natam: attamen iam scimus ex fide, i. e. scimus certitudine infallibili eam esse mysticam illam Auroram clare in Lege Veteri praedictam, quae mundo debuit gignere verum Solem iustitiae, scimus eam esse Virginem illam foecundam tot vicibus per Prophetas promissam, quae mundo dare debuit Hominem Deum Salvatorem totius generis humani et Reparatorem universi, scimus eam esse arcanum eum rubum, qui in extremitatibus suis videbatur ardere quin combureretur, quique vividis repraesentat coloribus mysterium purae et illibatae Conceptionis sine minima labe peccati originalis, quod contraxerunt protoparentes nostri, contrahit, et contrahet usque ad finem saeculorum sine ulla exceptione genus humanum; sola Virgo Sanctissima inventa est privilegiata et exempta in medio communis contagionis ab hac infami macula, et ab omnibus eius funestis consequentiis, quae mundum integrum infecerunt. O Filia Altissimi, quam pulchri sunt gressus tui, et qualis dies splendoris pro te dies, qua primo visa es in mundo! (Cant. VII, 1.) Quae tibi gloria, quae coram Auctore vitae tuae comparere potes non ut inimica eius, pressa pondere maledictionis, verum ut amata Sponsa, dignior omni creatura favoris eius! Qualis tibi trium-

phus, dum ingrederis mundum, non ut reliqui filii Adam, infami calculo mancipiorum inferni notata, sed victrix a primo instanti vitae tuae, quo daemonem et peccatum superasti! Sed proh! non ita se res habet dum reliqui filii et descendentes primorum parentum nascuntur. Quod enim obiectum lugendum magis inveniri potest, quam ingressus eorumdem in mundum? Si vel modicum consulamus rationem nostram, paululumque consideremus fidem, et reflectamus pusillum ad statum nostrum: quae tristia motiva afflictionis et timoris reperiemus? Infamia et ignominia sunt inseparabiles sociae huius infaustae nativitatis; isti infelices filii inobedientis et rebellis patris in mundum procedunt subiecti daemoni et servi peccati; infaustam eorum nativitatem consequuntur infallibiliter inquietudines et amaritudines tamquam haereditas infortunii aeque ac peccati patris praevaricatoris et culpabilis; transigunt dies super terram in medio perturbationum et conflictuum, quia tota eorum vita est continua pugna. Ignorant denique exitum nativitatis suae, ob tristem enim propagationem culpae primi peccatoris aeque ac hic merentur esse reprobati, et quamquam verum est eos per gratiam Sancti Baptismatis, quae tamen non omnibus conceditur, ad amicitiam Dei redire, posseque hanc pretiosam amicitiam retinere, atque sic finem assequi felicem, nihilominus ignoramus absolute, num id revera eventurum sit. At quis erit de simili periculo sollicitus quoad benedictam illam creaturam, cuius Conceptionem immaculatam sine peccato originali, et cuius Nativitatem Sancta Ecclesia celebrat gaudiis publicis et iubilationibus, quamque Deus ab aeterno destinavit pro Matre novi Adam? Haec enim a primo instanti Conceptionis suae gloriosae confirmata est in gratia: omnes eius inimici prostrati iacent ad pedes eius, ipsaque calcabit caput draconis infernalis, qui Evam matrem nostram in ruinam generis humani seduxit. Idcirco Ecclesia contemplando eam in primo illo instanti illi cum Spiritu Sancto applicat verba Canticorum: *Tota pulchra es amica mea et macula non est in te:* tota sancta es, tota perfecta, tota pulchra o Sponsa amata Regis regum; oculi Monarchae illius Supremi, tam sancti, tam puri tamque penetrantes in te reperire non possunt umbram vel

levissimam peccati. Et profecto quomodo erit, Illustrissime Domine, aut est possibile vel credibile Deum Dominum nostrum creaturam macula peccati originalis infectam fecisse Filiam suam, et Matrem Verbi Incarnati Sponsamque Spiritus Sancti, quin eam prius ab omni macula liberarit? Quomodo est possibile, ut Deus Dominus noster e purissimo Sangvine eius formarit corpus Sanctissimi Filii sui, si ille fuisset contaminatus macula communis contagionis? Quomodo permisisset, ut Sanctissimus eius Filius incarnaretur in utero virginali Sanctissimae Matris suae, si haec non fuisset libera et privilegiata? Si Deus, prout est de fide, purissimus est Spiritus et Sanctitas ipsa per essentiam, quomodo permisisset, ut Filius eius sumeret carnem, et fieret una caro cum carne Sanctissimae Matris suae formando illi de purissimo sangvine eius Sanctissimum Corpus Filii Dei ipsius Sancti Sanctorum? Non sane, Illustrissime Domine, non est id credibile, quemadmodum nec permisit Deus ut corpus Sanctissimae Virginis in sepulchro corrumperetur, quin eam prius praeservaret a corruptione generali, et altero privilegio anticiparet eius gloriosam resurrectionem ante resurrectionem generalem carnis, quae locum habebit in fine saeculorum, tribuendo ei sortem eandem cum Filio eius Sanctissimo ita ut resurrexerit tertia die, ascenderit ad coelos, fueritque coronata Regina Angelorum et hominum, prout e traditione non interrupta atque ab Apostolis derivata novimus. *Mirabiles sunt,* Illustrissime Domine, *magnitudo et praerogativae Sanctissimae Virginis, Deus potest facere mundum maiorem,* dicit S. Bonaventura, *sed maiorem matrem quam Matrem Dei, facere nequit.* Et idcirco, dum evangelium vult eam elogiis ornare, sufficit ei dicere, Mariam esse Matrem Iesu Christi. Quid possum de te dicere, Beatissima Virgo, quid possum dicere de tua persona tuisque excellentiis, exclamat S. Augustinus, quum videam omne, quod dicere possem, esse minus iis laudibus, quas tua dignitas meretur? Vis scire quae sit excellentia, quod meritum, quae sublimis dignitas Matris, inquit *S. Eugenius?* Cogita, si potes, meritum et dignitatem Filii. Cogita quid est Filius Dei, ait *S. Gregorius,* et videbis quid sit Mater Dei. Denique non est nisi Artifex supra opus suum, dicit *B. Petrus*

Damiani. Videor mihi, Illustrissime Domine, dixisse quantum dicere potui de Sanctissima Virgine quoad immaculatam eius Conceptionem sine peccato originali, sequendo cum reverentia honore et submissione vestigia fidei ab Apostolis derisatae simili modo ac est fides in gloriosam eius Assumptionem in coelum tertia post felicem transitum die, eo quod meruerit a Deo Domino nostro privilegium anticipatae resurrectionis, et fides, sanctum eius corpus mortale fuisse exemptum a corruptione; sic ego omni, qua data est, occasione praedicavi. salvo errore, quem totum correctioni Illustrissimae Dominationis Tuae subiicio; *e toto* vero *corde desidero, ut vota Suae Sanctitatis, publico iudicio doctrinam hanc ut articulum fidei definire intendentis, compleantur; haec est etiam fides et opinio vicinorum huius Parochiae una cum eorum praepositis,* qui expositionem eorum sentimentis respondentem ad Illustrissimam Dominationem Tuam dare pergunt. Muna die 14-a Octobris 1849.

1188. **Parochus Coadiutor de Izamal.** Omnipotens manus Altissimi, quae omnibus habitantibus orbis catholici voluit manifestare felicem eventum, illuminavit intellectum Sanctissimi Patris nostri Domini Pii IX ad declarandum ut dogma fidei, Mariam Sanctissimam Dominam nostram conceptam esse in gratia, sine macula peccati originalis. Idem Divinus Spiritus, qui unice brachio suo conservat Cathedram S. Petri, et sine violentia dirigit centrum orbis christiani, voluit ostendere potentiam suam salvando Status Pontificios, et Sanctissimum Patrem nostrum Sedi suae Apostolicae restituendo, ac reddendo ei pacem tam necessariam, simul ac Caietae Breve suum evulgavit relate ad obiectum declarationis per iudicium solemne, quod est prolaturus; quapropter honori et maximo gaudio mihi est posse me, non obstante vilitate ingenii mei, Illustrissimae Dominationi Tuae opinionem meam in hac materia manifestare, Mariam Sanctissimam ab initio esse conceptam in gratia absque vel levissima macula peccati originalis, fuit enim ipsa pulcherrima in omnibus viis suis, quae

omnes fuerunt pulchrae a primo, quem in hunc mundum fecit, gressu. Quando dein omnes mortales erant infecti pelago immundo, manseruntque maculati, Maria Sanctissima et Immaculata sola ambulabat gressibus illustribus, pulchris, gratiosis; a quo enim apparuit in mundo, Altissimus eam inde a throno divinitatis suae respexit ut opus specialissimum manuum suarum; et si ultimo die creationis Dominus omnia invenit esse bona et valde bona omnia quae fecit, quid dicere debuit de hoc opere delicato, primo nostrae reparationis? Quid, dum in ea vidit particulari modo lucere splendorem divinae gratiae? Iam tum verificata sunt de ea verba illa Canticorum: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*, ita ut clarus et manifestus sit decor Puritatis Dominae nostrae in sua Conceptione, quia non solum est pura, sed pulchra et ornata gratia lucidissima: et non solum est pulchra, sed tota pulchra i. e. pulchra a primo momento vitae suae in sua Conceptione immaculata, et pulchra usque ad ultimum diem pretiosae mortis suae, atque sic fuit Domina haec adornata a primo suo instanti a Divina Providentia omnibus gemmis gratiae divinae. Parochus Coadiutor huius Parochiae hisce testatur, Breve Apostolicum, secundum praescriptum supremae Illustrissimae Dominationis Tuae dispositionis per Decretum diei 22-ae praeteriti mensis Iulii, quocum simul Epistolam Pastoralem Sanctissimi Patris nostri Pii IX accepimus, datam die secunda Februarii a. c. esse prima post eius perceptionem die festiva lectum inter Missarum solemnia, servatasque per Octavam ad Mariam Sanctissimam Dominam nostram preces aliaque in praefata Pastorali imposita ea solemnitate, quae erat possibilis, qua occasione ferventiores fideles se protectioni committebant Matris et Dominae nostrae, quam Deus-Homo cumulavit gratiis, quales iusti non meruerunt; quam ob rem *Illustrissimam Dominationem Tuam nomine tam meo quam fidelium huius Parochiae humillime rogo, ut sacras manus suas attollat ad thronum Sanctissimi Patris nostri Pii IX, ut veritatem hanc adeo exoptatam per intercessionem ipsius Virginis Immaculatae, constantesque preces Dominorum Episcoporum, nec non per firmam suimetipsius fidem declaret;* haec sunt viva et ardentia desideria, quae Illustris-

simae Dominationi Tuae cum expressione humili totius meae aestimationis ac venerationis et cultus manifesto. Izamal die 25-a Octobris 1849.

1189. **Ad Episcopum Iucatanensem in Amer. Merid.** *) Cum aestimatissimis Illustrissimae Dominationis Tuae Literis diei decimae quartae currentis Augusti percepi etiam Epistolam Pastoralem, quam Illustrissima Dominatio Tua dignata est edere die 22-a praeteriti Iulii relate ad Breve Suae Sanctitatis de Conceptione Mariae Sanctissimae Dominae nostrae. Inexplicabile est, Illustrissime Domine, meum gaudium, dum video, qua lenitate et exactitudine Sanctissimus Pater noster in lucem collocat ineffabilia sacrae nostrae religionis mysteria, qui peculiari modo notas facit virtutes, quae illum in supremo fastigio Sanctae Matris nostrae Ecclesiae collocarunt. *Gaudeo,* Illustrissime Domine, *de magnis illis emolumentis, quae eventibus praegnans declaratio est allatura cordibus christianorum, totique mundo,* deque multis illis bonis, quae Ecclesiae catholicae a tam eminente suo Vicario sperare licet. Deus et libertas. Ad S. Ioannem Bapt. die 24 Augusti 1849. Iustus Sante-Arme.

1190. **Consiliarii de Motul.** Communitas haec maximo cum gaudio percepit bina exemplaria Epistolae Pastoralis, quae Illustrissima Dominatio Tua dignata est Literis ex officio datis die 15-a currentis mensis adiungere, gratiasque agit pro pretioso honore sibi tributo. Eadem Communitas, permota tenore dictae Epistolae Pastoralis, non dubitavit, imo indispensabilis sui officii esse ducit Committentes suos certiores reddere de sapientibus, sublimibus ac piis intentionibus San-

*) Non potest e textu erui, cuius dignitatis aut officii sit, qui has Literas scripsit. Eae tamen in fronte gerunt sequentia verba: Gubernium Supremum Status liberi et independentis Tabasco." Eas denique esse directas ad Episcopum Iucatanensem Illustrissimum Dominum Guerra apparet e repetitone tituli ad calcem Epistolae.

ctissimi Patris nostri Domini Pii IX, cui Altissimus concedat consequi optatum fructum suorum bonorum desideriorum. Deus et libertas. Motul die 25 Augusti 1849.

1191. **Ap. Episcopum Iucatanensem.***) *Preces ad Pontificatum Domini Gregorii XVI sine intermissione directae,* vocesque fidelium cum magno clamore manifestantium piissimum, quod illos animat, desiderium, *ut Sedes Apostolica solemni iudicio declaret, Sanctissimam Matrem Dei et immaculatam Virginem Mariam fuisse conceptam sine macula peccati originalis, tandem iam permoverunt Sanctissimum Patrem nostrum Pium IX ad declarandam hanc veritatem, confirmatam consensu tacito totius orbis christiani,* cuius doctrina apud catholicos revixit tempore sui Praedecessoris iam citati, venerabilis memoriae. Provocatus a meo Praelato ut manifestarem quid sentiam circa hanc materiam tam difficilem, tamque controversam in Scholis, et convictus aliunde iam a multis annis de emolumentis, quae e decisione materiae tanti momenti in Ecclesiam redundant, animatusque iisdem desideriis, quae omnes fideles a multis saeculis manifestarunt, opinor Sanctissimam Virginem Mariam declarandam esse liberam et immunem ab omni macula originali, prout communis pietas fidelium anxie desiderat. Calami doctissimi, personae excellentis ingenii, virtus et pietas materiam hanc in eruditis suis scriptis saepe saepius inculcabant, perque hoc vehiculum promovebant cultum Sanctissimae et Immaculatae Virginis Mariae. Est inter omnes Theologos et Canonistas indubitatum, dicta Sanctorum Patrum, i. e. eorum Scriptorum Ecclesiasticorum, qui antiquitus in scientia et pietate morum excelluerunt, efficere partem Iuris Canonici scripti, si illa unanimi consensu totius Ecclesiae approbentur et admittantur. Ecclesia enim habendo potestatem et auctoritatem ad id necessariam, in id incumbere debet, ut illa auctoritate sua confirmet. Iam vero in homiliis et dictis horum Scriptorum Ecclesiasticorum, in

*) Literae praesentes, quae videntur esse directae ad dictum Episcopum, nullam offerunt notitiam Auctoris, eiusque conditionis.

tractatibus *S. Basilii, S. Augustini, S. Ioannis Chrysostomi, S. Antonii* et aliorum nihil aliud continetur, quam praedicatio Verbi Dei ad populum; hi igitur fontes ab omni errore liberi debent, ut existimo, prae oculis haberi et considerari, ut cum aliquo successu de materia, quae actu occupat attentionem totius Ecclesiae, decernatur. Ab hac praedicatione, ab his scriptis Sanctorum Patrum dimanavit sine dubio consuetudo illa laudabilissima maximeque pia, ut crederetur tamquam doctrina catholica: Sanctissimam et Immaculatam Virginem Mariam esse absolute liberam et immunem ab omni macula originali, quippe quae ab aeterno destinata est pro Matre Dei, secundae personae SS. Trinitatis, Filii aeterni Patris, nec deberet supremus hic Dominus reperire quidquam impurum in creatura, quam elegit e filiabus Adam, ut in ea portentum mirabile suae Incarnationis operaretur. Hoc modo loquuntur Sancti Patres in suis eximiis scriptis, et possem aliqua ad hanc materiam spectantia fragmenta citare, sed huic negotio supersedeo, ne putetur me velle ostentare eruditionem. Est mihi hic aliud argumentum ad veritatem hanc catholicam confirmandam. Omnis vel mediocriter in laudabilissimo, nunquamque satis commendando studio Sacrae Theologiae versatus novit, quantam vim in demonstrationibus theologicis habeat traditio; iam vero traditio non interrupta manifestat, inde a primis saeculis Ecclesiae a fidelibus agnitam esse Immaculatam Conceptionem Augustae Matris Dei, quae constanter fuit obiectum illorum venerationis et cultus ita, ut, quemadmodum optime asserit Sanctissimus Pater noster, admirationem causet, honorem hunc Sanctissimae Virginis Reginae et Patronae nostrae ab Ecclesia et Sede Apostolica nondum esse definitum. Immaculata haec Domina semper fuit praesidium infortunatorum, ad eam fideles preces suas constanter direxerunt ad quaerendum lenimen in suis doloribus; ipsa iustos, qui in interno Spiritu Ecclesiae vivunt, roborat ad debellandas insidias communis mortalium inimici, et quemadmodum stellae, quae secundum leges Astronomicas lumine sibi proprio lucent, nocte obscura viatori semitam indicant, quam sequi debeat, ita Sanctissima Virgo in medio scopulorum, in medio periculorum magnorum mundi, quae

christianos undique circumdant, iis indicat viam, quam sequi debeant, donec ad possessionem summi illius boni, summae illius felicitatis perveniant, cuius assecutione cessant omnes dolores, omnes necessitates, omnes miseriae, quae humanitatem affligunt, tristes sequelae fatalis casus primi nostri parentis. Ipso illo momento, quo religio Dei pacis, iustitiae, bonitatis in mundo apparuit, quando Divinus eius Fundator atrocem permisit persecutionem contra christianos, ut paleam grano mixtam separet, eadem, spectatis corruptis moribus fidelium, iterum disparuisset sine dubio, saeculo III, ni vigilans sapiensque Providentia ad defensionem eius accurrisset succursu omnibus cogitationibus hominum multo superiori; carceres erant repleti, adhibita martyria, scorpiones, rogi, plumbum liquatum, corpora martyrum mutilata facum instar adhibebantur ad plateas publicas illuminandas, ungues leonum sanguini erant immersi in amphitheatro, et quaquaversus audiebantur gemitus christianorum. Visa sunt tunc illustria exempla christianae constantiae, potensque auxilium Sanctissimae et Immaculatae Virginis Mariae roboravit momento illo debilitatem multorum; et non relinquens in Ecclesia nisi fideles discipulos Virgo haec Immaculata religioni christianae restituit fervorem, et virtutem primitivam. Eadem Virgo immaculata ostendit nobis suam potentem intercessionem pro Ecclesia Iucatanensi. Quando Deus exercituum Peninsulam hanc anathemate mortis feriit implacabiliter, quando dux Hyacinthus Pat, alter hic Attila, venit complens decreta aeterna, vastando campos, incendendo oppida, spoliando templa, iamque Peninsula, videns existentiam suam esse precariam et intollerabilem, fere succumbebat sub immenso pondere malorum, quae adhucdum illam premunt: Sanctissima et Immaculata Virgo Maria benigne exaudiens preces Ecclesiae Iucatanensis, repulit a muris urbis Emeritae et Campechae terribiles phalanges barbarorum, plagam illam consummatricem, quae tam brevi tempore ditissimas et opulentissimas urbes territorii Iucatanensis devastavit. Spectatis itaque tantis beneficiis et gratiis per intercessionem Sanctissimae Virginis concessis, numquid vel momento dubitari potest, quin Sedes Apostolica tam Augustae Dominae honorem hunc

tribuere debeat? Fortassis, imo certe declaratio haec principium erit temporis venturi, temporis pacis et tranquillitatis, quam Divina Providentia a suo populo abstulit in poenam enormium eius delictorum. Sacali die 1 Septembris 1849. Marianus Vales.

1192. **Consiliarii de Carmine.** Persuasi de sensis Illustrissimae Dominationis Tuae non potuimus non acceptare velut pignus religiosae, quam erga nos manifestas, affectionis, bina Epistolae Pastoralis exemplaria adiuncta Literis ex officio ad nos datis mense praeterito. Gaudium experti sumus ineffabile intelligentes in illa tractari de declaratione per solemne iudicium Sanctae Matris nostrae Ecclesiae facienda, Sanctissimam Matrem Dei et amantissimam Matrem omnium nostrum, Immaculatam Virginem Mariam fuisse conceptam sine macula peccati originalis. *Vellemus circa hoc mysterium amplam dare Illustrissimae Dominationi Tuae de sensis nostris relationem, a qua tamen re abstinemus, eo quod Illustrissima Dominatio Tua sit de illis persuasa, ac ea iam sufficienter a nobis manifestentur, si dixerimus, declarationem huiuscemodi tot iam vicibus expetitam nihil aliud fore, quam confirmationem fidei, quae in toto orbe christiano semper praevaluit inde a primis saeculis Ecclesiae.* Deus et Libertas. Carmine, die 7 Septembris 1849.

1193. **Civis Emeritensis ad Episcopum Iucatan.***) Epistola Pastoralis ab Illustrissima Dominatione Tua ad Venerabilem Clerum saecularem ac regularem, omnesque fideles Dioecesis Tuae die 22-a praeteriti mensis Iulii directa relate ad Breve acceptum a Beatissimo Patre nostro Domino Pio IX super magnifico obiecto, quaenam sit devotio, qua ardet, et desiderium, quo flagrat venerabilis Clerus et populus fidelis in his terris catholicis erga sacram Conceptionem Immaculatae et semper Virginis Mariae Dominae nostrae, ut Sedes

*) Non potest ex his Literis erui conditio personae scribentis.

Apostolica hac de re decidat, atque admirabilem Conceptionem Benedictae Matris Iesu Christi Dei et Domini nostri pro mysterio fidei declaret: puro et sancto iubilo replevit miseram animam meam; licet enim me pro ultimo fidelium, maximoque omnium peccatore habeam, tamen inde ab infantia possideo optimam, quam mihi parentes mei relinquere potuerunt, haereditatem in ferventi devotione erga Reginam Coelorum immaculate conceptam, credendo, prout firmiter credo, illam fuisse liberam et exemtam a peccato originali, fides, quam inculcari curavi numerosis meis filiis omnibusque fidelibus, publicando varios libros devotionis ad celebrandam Immaculatam Conceptionem die illa praecellenti, qua Sancta Ecclesia solennem de ea facit commemorationem, octo item aliis diebus quovis mense, et omnibus Sabbathis, quibus devotionis actibus Illustrissima Dominatio Tua varias dignata est concedere Indulgentias. *Optarem,* Illustrissime Dominae, *pollere scientia S. Ioannis Chrysostomi, suavitate S. Bernardi et eloquentia S. Ambrosii ad tractandum de hoc sacro obiecto puritatis Sanctissimae Virginis in praeclara eius Conceptione:* verum supplebit tarditatem labiorum ignis miserum cor meum incessanter adurens, dum cogito aut loquor de mysterio, quod me tantopere afficit. *Ecclesia primitiva consideravit Beatissimam Virginem Mariam semper liberam et exemtam a peccato originali; nec potuit non gaudere hoc privilegio ea, quae ab Auctore omnium Supremo praevisa erat ante saecula Mater sui Unigeniti.* Seraphica Mater *Maria a Iesu de Agreda* in sua Mystica Civitate Dei Lib. I. parte I. cap. 15. n. 217 refert: unum e principalibus privilegiis Conceptioni Mariae concessis esse, quod ea fomite peccati totaliter caruerit, et nec in principio gratiae habuerit peccatum „imo etiam in eius parentibus erat fomes ille refrenatus ac ligatus, ne in naturam transiret aut eam perturbaret, quae in eo opere cognoscitur esse inferior gratia et solum ut instrumentum serviebat Artifici supremo, qui est supra omnes leges naturae et gratiae“. Si ergo, secundum doctrinam insignis huius Mysticistae, Conceptio Mariae fuit liberata a fomite peccati, quomodo potuisset Auctor naturae et gratiae permittere illam Conceptionem infici peccato originali? Propter hanc, sine

dubio, rationem dixit devotus *Idiota* cap. II Libri sui Contemplationum de Virgine Maria: „Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto; et macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te: nec unquam fuit neque erit: sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, et coelestium donorum". Et cap. VI. „Invenisti Virgo Maria gratiam coelestem, quia fuerunt in te, ab originis labe praeservatio, angelica salutatio, Spiritus Sancti superventio, et Filii Dei conceptio: sed qualiter, o felicissima Virgo Maria, istas gratias invenisti, quas nunquam amisisti". Sic est, Illustrissime Domine, *Beata Virgo Maria nec fuit, nec potuit, nec debuit esse tacta sorte miserabili haereditatis, quam Adam, a quo peccavit, suis posteris reliquit.* Fuit electa ab Aeterno Patre in Matrem Sanctissimi Filii sui Redemptoris ac Salvatoris nostri secundum carnem; iam vero iniuriosum esset, ut vas, quale ipsa fuit, aeternae electionis, quod sangvinem ministraret, unde sacratum Corpus Divinitati uniendum formari debuit, haberet vel minimam culpam, aut plane originalem. Huius sentimenti fuerunt *Sophronius, S. Ambrosius, S. Hieronymus,* dum scripserunt: „Ideo immaculata, quia in nullo corrupta". Fatigarem attentionem Illustrissimae Dominationis Tuae, si omnes vellem citare Patres Sanctos Ecclesiae, qui Conceptionem Beatissimae Virginis Mariae praedicarunt liberam a peccato originali; certe enim legisti, quae de ea scripserunt *Bernardi, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Bedae, Ruperti, Petri Damiani et Chrysologi, Isidori, Ildephonsi* aliique multi Sancti Patres ab initio aerae christianae ad nostra usque tempora. Ecclesia militans firmissime credidit et credit Mariam Matrem Dei fuisse exemtam a macula peccati originalis: Sanctum *Concilium Tridentinum* sess. VI. can II. innuit privilegium hoc concessum Dominae: omnesque *Summi Pontifices* specimen dederunt piae huius fidei, concedendo, ut tam sacrum mysterium esset obiectum cultus, prout apparet e Missis, quae pro eius festivitate in Missalibus Romanis repeHriuntur, et ex officio Breviarii. *Reges catholici,* potissimum *Hispaniae,* aemulantes volebant habere pro Protectrice Mariam Sanctissimam immaculate conceptam, et apud omnes nostras

Universitates exigitur in collatione graduum iuramentum defendendi hocce mysterium. In omnibus regnis christianis sunt dedicata innumerabilia templa, eaque praecipua titulo huius gloriosae Conceptionis. In hac Peninsula existit corona quaedam virginum huius sacrati tituli, affirmarique potest non dari templum in Iucatan, in quo non reperiatur Altare immaculatae Conceptioni Mariae consecratum, vel saltem non colatur aliqua Imago huius mysterii, quemadmodum non deest imago sculpta aut picta vel impressa in ulla domo habitantium huius loci. Sed quid opus pluribus argumentis et testimoniis devotionis, qua omnes catholici feruntur erga Conceptionem Mariae Sanctissimae sine peccato originali? Eritne aliquis inter nos tam infelix, qui dubitet, num Diva haec Domina fuerit per Altissimum a misera haereditate Adam liberata? Non puto esse aliquem, imo vero potest Illustrissima Dominatio Tua perhibere Sanctae Sedi testimonium: fideles Iucatanenses anhelare exoptatum diem, quo dignus Successor S. Petri declarationem emittat formalem, illustrem Filiam Abraham, David, Isaac et Iacob, Matrem nostri adorabilis Redemtoris fuisse sine peccato originali conceptam, haecque fides elevetur ad articulum fidei. Ego infimus fidelium Iucatanensium in hac firmissima persuasione vivo, infaustis his temporibus, quibus Sancta religio Dei Crucifixi persecutionem terribilem sustinet ab innovatoribus, qui illam sub specioso praetextu illuminationis saeculi atque progressus ferociter aggrediuntur in persona eius ministrorum, in sancto et necessario cultu templorum, et in impietate sua caeremonias sacratissimas cultus Deo debiti contemnunt, misericordiam Dei et Domini nostri velle, ut hoc obiectum gravissimum promoveatur, nec est dubium, quin finalis eius resolutio accepta sit coram oculis Altissimi, cedatque ad honorem et gloriam Immaculatae eius Filiae, Matris et Sponsae, utilitatemque et profectum christianismi; sic certe benedicta haec Domina naviculam S. Petri e tempestate, qua opprimitur, eripiet, intercedendo apud pretiosum suum Fillium, ut populo, qui mysterium praeclarae suae Conceptionis sine peccato originali credit, redeat gaudium et pax, quae hodie cernitur turbata, utque omnes pretioso sanguine Agni immaculati redemti

relinquant viam perditionis redeantque abiectis erroribus ad virtutem, atque renascatur in illis firmitas christiana, quin unquam amplius perturbetur. Sic spero per benignitatem et amorem misericordiae, quo Regina coeli et terrae suos devotos fideles prosequitur; et pro conclusione Illustrissimam Tuam Dominationem suppliciter rogo, velis benigne acceptare humilia haec sentimenta in hoc incondito scripto manifestata relate ad purissimam Conceptionem Mariae Sanctissimae sine peccato originali in primo instanti vitae suae, et cooperari per speciale votum Tuum desiderio tam explicite enuntiato a Sanctissimo Patre nostro Domino Pio IX (quem Deus conservet), ut adveniat felix atque exoptata dies, qua declaratio in Brevi indicata quoad dictum mysterium emanet, possitque pauper hic senex canticum aliud intonare simile illi, quod Propheta et Sanctus Simeon cecinit: „Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace". Emeritae die 13 Septembris 1849. Franciscus Mr. Arredondo.

1194. **Universitas Literaria Iucatanensis ad Episcopum eiusdem Dioecesis.** *Universitas Literaria Status Iucatanensis* ad Nationem Mexicanam spectantis cum omni cultu et veneratione percepit Literas Illustrissimae Dominationis Tuae Pastorales de die 22 Iulii praeteriti, quibus insertum erat Breve Sanctissimi Patris nostri Pii IX, datum die secunda Februarii a. c. relate ad Conceptionem immaculatam Mariae Sanctissimae Dominae nostrae, desiderandoque in hoc cordi suo gratissimo ac antiquae et actuali devotioni suae proprio obiecto unire humiles preces suas votis Illustrissimae Dominationis Tuae, *audita sententia Facultatis Theologicae de hoc puncto interrogatae, suo quoque testimonio confirmat et edicit, sibi, quoniam* iam tanti Summi Pontifices, tanti Patres et Doctores Ecclesiae, reges catholici, venerabiles congregationes, insignes Universitates virique sapientia et sanctitate spectatissimi, quorum manifestationes publicas superfluum esset in medium afferre, opinionem suam hac de re saeculis anteactis atque praesente expresserunt ac publicam fecerunt,

*Universitas*que *haec cum reliquis Americae Mexicanae iuramento solemni ac singulari se obstrinxit defendendi Conceptionem immaculatam Mariae Sanctissimae,* quam tantopere honoravit laudeque extulit Sacrum Concilium Tridentinum Sess. V. de peccato originali: *nihil aliud restare, quam ut se conformet sentimentis omnium insignium Episcoporum, Praelatorum, excellentissimorumque Virorum, quos nostra usque tempora novimus Patronos fuisse Immaculatae Conceptionis,* et a Sancta Sede petiisse ac supplicasse, prout et Universitas haec per Illustrissimam Dominationem Tuam nunc petit ac supplicat, ut Sanctissimus Pater, innixus iudicio Sanctorum Episcoporum, Doctorum, ac Patrum, concludat, definiat, sigilloque auctoritatis Ecclesiae catholicae muniat quaestionem anteactis saeculis motam et agitatam de Conceptione Beatissimae Virginis Mariae, declarando eam conceptam esse in gratia, praeservatamque ab omni peccato atque ab omni macula immunem et ut inposterum nemini liceat de hac re dubitare aut in contrarium disputare, sive id fiat publice sive privatim, stabilitis in transgressores poenis convenientibus. Deus et Libertas. Emeritae die 7 Septembris 1849.

1195. 1196. **Commissio Specialis, cui proferendum erat iudicium de immaculata Conceptione Mariae, ad Facultatem Iucatanensem.** Commissio per Vener. Senatum delecta ad exponendum iudicium de sentimentis Cleri et populi fidelis relate ad mysterium immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae Matris Dei, cuius festum Sancta Mater nostra Ecclesia celebrat solemniter ritu proprio, congregata stimulo invitationis venerabili Senatui Universitatis Literariae huius Metropoleos ab Illustrissimo et Doctissimo Domino Episcopo Dioecesano factae, existimat, se suo officio sequentibus terminis satisfacturam. — Venerabilis Senatus! — „*Sacra Facultas Theologica regiae huius Universitatis Literariae noscens scientia certa, tam Clerum quam populum fidelem huius Episcopatus Iucatanensis tam solida et illustri devotione ferri erga mysterium Immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae*

Matris Dei, ut actibus tum publicis tum privatis venerationis ac cultus manifestet intimam suam et gratissimam persuasionem de veritate hac et privilegio speciali ac singulari, potenti huic Dominae concesso: eosque solos sufficere ad procurandam ferventibus suis desideriis fidem, ut Ecclesia Mater nostra infallibili suo iudicio decidat tamquam dogma fidei veritatem hanc, quam illi pia fide credendo, honorem et cultum, quem proprio ritu Dominae Nostrae actualiter persolvimus, promoverunt: non potest non approbare rationes istas, pondusque addere precibus in favorem declarationis huius articuli tam magni momenti". — „Facultas haec credit, atque pro fundamentis devotionis, quam Clerus et populus fidelis erga immaculatam Conceptionem Mariae semper Virginis prae se fert, agnoscit, primo: ea, quae consignata habentur in S. Scriptura, quae veritati huic tantopere favet, praecipue in prophetia illa Messiana Gen. III. 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Verba, quae ad serpentem infernalem directa sunt, clareque manifestant Matrem Messiae nunquam illi subiectam fuisse, ne primo quidem instanti vitae suae. Secundo: Sanctos Patres omnium saeculorum, qui cum divinis oraculis concordantes neque id volunt, ut quaestio fiat de praerogativa hac, quae non minus honorifica est creaturae coelesti, quae Sanctitati infinitae vitam dedit, quam ipsi divino Fructui, qui natus est de illius substantia. Tertio: Venerabilia Concilia, quae fidem suam explicant verbis propriis, et quorum ultimum generale sess. V. cap. 5. ait: „*Declarat tamen haec ipsa Sancta Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.* Denique Congregationes religiosas, venerabiles Universitates, illustresque in scientia et virtute Viros, qui omnes profitentur ac iurant se veritatem hanc defensuros, atque per id manifestant, quam bene suffulta solideque stabilita inveniatur devotio Cleri ac fidelium erga mysterium immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae Matris Dei." — „Haec est fides, hi sensus religiosi, quibus imbuta est haec Facultas relate ad materiam gravissimam, quam tractamus. Venerabilis Senatus

dignabitur sensa haec valore necessario donare, ut, si placuerit, eadem ad Illustrissimum et Doctissimum Dominum Episcopum Dioecesanum deferantur, rogando, ut illa pro tessera devotionis habeat, quam ipse quoque hac in re profitetur, atque pro testimonio ardentium desideriorum ut S. Sedes felicem huic negotio tribuat exitum." — Non obstante caeteroquin hac expositione Venerabilis Senatus id statuet, quod maiori suae perspicaciae certiorique iudicio magis conveniens videbitur. — Commissio a Vobis delecta particulari sibi honori ducit exhibitionem suorum laborum ad finem perductorum, non tamen sine timore de non impleta ad amussim fiducia in nobis collocata. Emeritae die 31 Augusti 1849.

1197. **AEppus S. Dominici in Amer. Centrali.** — Publicis precibus iam indictis et peractis, ut clementissimus luminum Pater et vos, B. Pater, et nos omnes pariter superna Divini sui Spiritus luce perfundat, tantum conquerimur tempus elapsum, quia vestras non recepimus literas nisi ultimis hisce diebus, et fortasse ad pedes Vestros et nostra vota et opinio nonnisi opere consummato pervenient. Quidquid autem sit, *nihil est nobis iucundius, quam Deiparae V. privilegia et magnitudines percontari et proclamare*: *et dioeceseos nostrae Clerus et populus de doctrina, quae eam semper Virginem et Immaculatam ab ipso suae conceptionis momento defendit, taliter sensit et sentit, ut nullo unquam tempore contraria sententia in corde alicuius pullulaverit.* Prima huius insulae Ecclesia, in qua etiam Sanctitas Iulii II sedem Eppalem 1511 fundavit, homagium fuit a primis huius regionis expugnatoribus immaculatae V. M. conceptioni dicatum. In ceteris omnibus Ecclesiis nostrae ditioni subiectis altaria non desunt cultui huius praerogativae B. Matris consecrata, quae fideles et erigunt et colunt et ornant singulari quadam pietate et studio: attamen nihil vehementius huius devotionis fervorem et efficaciam patefacit, quam sollicitudo et desiderium nominandi et suos cognatos et amicos titulo et nomine Conceptionis, quod in femineo sexu maxime enitescit. Sed

cultus imm. conc. inter nos ab incunabulis fovetur et fortificatur inveterata et generali consvetudine, nunquam ad domos et amicos accedendi, nisi prius salutatio nationalis ‚Ave Maria purissima' *et responsio* ‚absque labe originali concepta' *repetatur*; porro neque orationi neque aliis piis operibus principium aut finem ponimus, quin prius benedicamus et laudemus divinissimum altaris Sacramentum, et purissimam ac immaculatam Mariae conceptionem formula quadam speciali ab antiquioribus Ecclesiae Hispanicae doctoribus introducta, quae generaliter et in omnibus enumeratis casibus invocatur et recitatur. *Hae consvetudines — sunt vere patrimonium quoddam, patribus nostris ab ipsis Principis Apostolorum discipulis* Secundo, Torquato, Ctesiphonte, Indaletio, Caecilio, Hesichio, et Euphrasio *transmissum, et inde inter omnes Americae incolas distributum.* Accedit, quod *pietas Catholicorum Regum,* sollicita semper ad res fidem, mores et disciplinam concernentes tuendas, augendas, propagandas, negligere non potuerit quae ad Deiparae semper Virginis cultum pertinent; sicque citissime a Romanis Pontificibus Officium et Missam propriam suorum regnorum subditis impetrarunt de imm. conc. Et lapsu temporis piissima haec fides omnino similis grano sinapis Evangelii hucusque taliter crevit, ut iam quasi Cedrus Libani magna palmitibus et frondibus suis a rigoribus aestus nos protegat atque defendat. Iam ad rationes perveniamus, quibus animus vincitur et iucundatur radio huius gratissimae claritatis. Maria ab aeterno praedestinata fuit ad Dei Omnip. Filii maternitatem, ad cooperationem in stupendo destructionis peccati opere, ad Reginae et Angelorum et hominum dignitatem; oportuit ergo illam esse puritate superiorem et Angelis et hominibus universis: et certe cum Angeli et primus hominum in gratia creati essent, eorum Regina nullatenus potuit in minore conditione gigni: sed sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Dedecet Deiparam vel momento daemonio subiacuisse; aegra nobis est idea sanctuarii vivi SS. Trinitatis profanationis, et Spiritus S. Sponsae violationis: opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitaculum sed Deo. Certissime equidem praedestinata et vocata fuit ad

conterendum caput venenosi infernorum serpentis, et quomodo Verbi incarnati et omnipotentia, et bonitas, et sanctitas infinita permittere potuit, ut morsu illius et offenderetur et foedaretur? Prorumpere liceat: Tota pulchra es amica mea et macula non est in te. Liceat denique nobis cum ipsa advocata et matre nostra dulcissima repetere: Dominus possedit me initio viarum suarum. — S. Dominici, 4 *Oct.* 1849. *Thomas.*

1198. **AEppus Bahiensis in Brasilia.** Animis nostris gravissime permotis et maximo dolore affectis ob luctuosas et sacrileges adgressiones adversus Romanae Ecclesiae iura ac temporalem principatum commissas: non parum solatii attulerunt Sanct. tuae Encyclicae literae datae sub 2 Febr. anni vertentis, quibus eius, quae inter egregias Sanct. tuae virtutes, nunc in adversa fortuna magnanima constantia adhuc illustriores, potissimum emicat, eximiae erga SS. Virginem Deigenitricem pietatis impulsu, Sanct. tua non solum declarat piissimam intentionem definiendi veluti catholicae fidei articulum eiusdem BV. conceptum immaculatum, sed etiam vener. decessorum suorum exemplis inhaerens omnes orbis cath. Antistites invitat, ut significare velint, qua devotione illorum Clerus populusque fidelis erga imm. V. conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Ap. Sede decernatur, atque inprimis quid ipsi Antistites de re sentiant quidque exoptent. Haec sane mens et ardentissimum studium Sanct. tuae ad maiorem Deiparae V. cultum promovendum, novum erit ac indelebile monumentum tui iam multis aliis praeclaris gestis gloriosi Pontificatus: non quod nova sit vel nostrae aetati peculiaris haec sententia, quod certe illi maius pondus addit et robur, sed quia nunc omnium iudicio et conscientia probata ad maturitatem, ut ita dicam, devenit eiusque executionem Auctor ipse et consummator fidei hisce periculosis temporibus tanti Pontificis sollicitudini reservavit. *Quaenam* profecto *doctrina apertius unquam exhibuit istius notissimae regulae fidei characteres* ,Quod semper quod ubique quod ab omnibus creditum est, hoc est vere proprie-

que catholicum'? *Iam inde a primis Ecclesiae seculis constans Traditio ostendit, hanc persvasionem perpetuo viguisse.* Eminentiores Ecclesiae Patres, huiusmodi non interruptae traditionis testes, concorditer profitentur, singularem praerogativam exemtionis ab omni culpa originali fuisse Deigenitrici collatam, eorumque plus minusve clara ac indubitata testimonia in hoc Augustini affatum, principii loco ab omnibus receptum, coalescunt: ,Excepta V. Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quaestionem.' Hunc vero Patrum consensum in rebus ad religionem pertinentibus ita validum argumentum ac infallibilem regulam idem B. Augustinus censuit, ut dicere non dubitaverit, illam qui reiicit, Ecclesiam ipsam universalem reiicere. Tandem *postremis his temporibus, quae in tanta critices luce ac philosophiae progressu nullatenus ignorantiae vel superstitionis suspecta esse possunt, facile numerari possent supra 400 Auctores, inter quos plures magni nominis Praesules, qui pro immac. V. conceptione luculentissime scripserunt.* Unum sufficit memorare, qui ultimus Ecclesiae Pater meruit appellari, clarissimum *Bossuetum:* is enim fidenter asserit, se nihil videre post fidei articulos certius ac firmius hoc Mariae privilegio, in eoque inesse occultam quamdam vim, quae pias animas dulciter afficit ac svadet. Multa itidem *Concilia* tam generalia quam particularia eandem doctrinam tradiderunt, ac prae ceteris Basileense, quod licet non fuerit ab Ecclesia acceptum, nec inter oecumenica recensitum, non tenui tamen valet auctoritate. His vestiigiis insistens S. Tridentina Synodus quam maxime venerabilis, cuiusque sapientia ipsis recentioribus incredulis laudes extorsit, non tantum definivit Mariam Virginem speciali Dei privilegio omnis prorsus actualis peccati expertam fuisse, unde etiam recte concludi posset immunitas a peccato originali iuxta S. Augustini doctrinam, qui haec duo peccatorum genera quodammodo exaequavit, ut uno posito alterum sequatur necesse est; verum etiam incorrupta atque optima eiusdem antiquissimae traditionis interpres declaravit, non esse suae intentionis comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam V. Mariam Deigenitricem, sed observandas esse constitutiones

fel. mem. Sixti IV sub poenis in eis contentis, quas innovavit. Parem devotionis fervorem patefecerunt erga illud augustissimum mysterium *Sixti IV Pontificis successores* usque ad Sanct. tuam; nunc approbando eius festivitatem, ac praecipiendo, ut in tota Ecclesia celebretur; nunc officio proprio, altiori ritu, aliisque quamplurimis gratiis ipsam amplificando; nunc demum indulgendo, ut in S. liturgia vocem *Immaculata* palam publiceque enunciare liceret. Cum autem sic pronunciat *Ecclesia Romana,* in sua fide semper Virgo, arx veritatis, quaeque, ut loquitur Leo M. aliique SS. Doctores, non potest solemni ritu colere, nisi quod est sanctum ac Deo dignum, quanta probabilitatis vis accedit ad stabiliendam sublimem hanc Deigenitricis praerogativam? *Uno verbo nullum tempus designari potest, quo non floruerit apud omnes catholicos pia haec opinio, nec ulla regio, ubi imm. conceptioni peculiaris honor non tribuatur.* Ubique eius festum magna pompa peragitur; et, si verum est, D. Bernardum in percelebri epistola festum huiusmodi, quod Ecclesia Lugdunensis iam pridem celebrabat, improbasse, id ex eo provenit, quod viderit, inconsulta Apost. Sede fuisse illud invectum, non vero quod in controversiam vocavit hoc privilegium SS. Virginis, cuius laudes ac excelsa praeconia nemo unquam svavius et magnificentius extulit. — Postremo *illa circa imm. conc. opinio ea universali consensione nititur, quae semper habita fuit velut una ex tutioribus veritatis tesseris.* Omnes a primoribus ad ultimos usque civium ordines ad hunc Deigenitrici honorem praestandum conspirare videntur, acsi occulto nescio quo instinctu corda impellerentur. Sublimes terrae potestates venerationis suae tributum ultro et ambitioso famulatu offerunt, potentissimique Reges sua regna et imperia sub immac. SS. Virginis conceptionis auspiciis collocarunt, eius cultus splendorem auxerunt, imo a Sede Ap. enixis precibus postularunt, ut eam velut fidei dogma decernere vellet. Scientiae quoque christianae pietati consociatae tuendae huic opinioni impensam operam dederunt, ac celebriores cath. Academiae neminem ad earum gradus et honores admiserunt, nisi ea lege, ut ipsam strenue propugnandam iureiurando promitterent. *Schisma* ipsum non potuit in hac parte ab Ecclesiae

Romanae placitis discedere; *Graeci* etenim non secus ac Latini imm. Mariae V. conceptionem admittunt, eiusque festum ab Oriente, ubi iam multo antea fuit institutum, in Occidentem traductum sensim propagari coepit.. Impia etiam Mahometis secta illam agnoscit, de eaque expresse loquitur Alcoranus, cuius auctor huiusmodi tratitionem a christianis, qui persecutionum metu in Arabiam aufugerant, accepisse creditur. Silentio autem praeterire non possum, *adeo communem animisque defixam esse hanc persvasionem, ut controversiae, quae interdum a quibusdam doctoribus, singularitatis vel novitatis nimis cupidis, suscitabantur, quasque S. Sedes consveta sua prudentia ac moderatione aut cohibuit, aut penitus extinxit, magno essent scandalo.* Nemo, qui historiam eccles. versaverit, ignorat, quantam sollicitudinem in tota catholica Europa 17 seculo excitaverit quaedam *censura Officii de imm. Conceptione,* quod a Paulo V fuerat approbatum, quia per eam saltem indirecte hanc doctrinam labefactari omnes existimabant, totque reclamationes ad Ap. Sedem fuerunt undique perlatae, ut P. Max. Innocentius XI sensum praefatae censurae explicare opportunum iudicaret, et ad omnem anxietatem a fidelium conscientiis propulsandam eiusdem officii orationi vocem ‚Immaculata' addi praeciperet. Ad *Brasiliense Imperium* quod attinet, tantum abest, ut a communi suffragio vel minimum dissentiat, ut non modo hanc devotionem ceu pretiosam haereditatem a maioribus transmissam intactam retineat ac fideliter custodiat, sed etiam SS. Virginem sub titulo imm. Conc. Patronam et Tutelarem iam ab a. 1646 in generalibus comitiis Portugalliae regni, cui tunc temporis Brasilia subiecta fuit, a piissimo Rege Ioanne IV constitutam atque a Sede Ap. confirmatam habere ac religiosissime colere summopere gratuletur. Quanto cordis affectu ac veneratione ista praesertim Civitas S. Salvatoris totaque dioecesis illud ineffabile mysterium prosequitur! Quantum gaudii quotannis experiuntur fideles 8 Decembris die recurrente! Eius festum in quamplurimis Ecclesiis splendide celebratur, et multi ad sacram mensam magna cum aedificatione accedunt. Perquam paucae sunt domus, ubi non aliqua reperiatur SS. Virginis sub hac invocatione picta imago vel effigies, ac fere in omni-

bus quotidie resonant eius laudes, aut officium recitatur. Ex iis melius, quam verbis exprimere possim, facile intelliget Sanct. Tua, quanta consolatione animos nostros perfuderint praedictae encyclicae literae, ex quibus perspeximus diem adventare, quo omnium spes tandem aliquando implebuntur, quique procul dubio eadem incredibilia exultationis signa excitabit, in quae olim Ephesi fideles publice eruperunt ob praeclarum Deigenitricis triumphum. In iis autem laetitiae significationibus inprimis eminet Capitulum Metr. et Congregationum Regularium Superiores, quorum de hac re sententiam rogavi, atque cum reliquo Clero fidelique populo sua flagrantia desideria ac postulationes indignissimi sui Pastoris votis uno animo adiungunt. *Unum* igitur *superest, ut Roma loquatur, et causa finita erit. Interim solemniter profitemur, non alia esse nobis sensa, quam ea ipsa, quae in tuis Apost. literis nobiliter exprimuntur;* nam pro certo et explorato habemus, *Divinam Omnipotentiam* totam fuisse in adornanda copiosissimis donis felici creatura in Iesu Christi Matrem electa; *nec* proinde *satis habuit eam in utero materno fuisse sanctificatam,* quod certe privilegium illi commune esset cum Ieremia ac Ioanne Baptista, et in infinita distantia, quae inter Dei Matrem eiusque familiarissimos servos intercedit, nequaquam eiusdem immensae magnitudini ac sublimitati responderet; *sed voluit etiam singulari exceptione eam ab omni originalis peccati sorde praeservare,* quin eius mortiferum venenum vel puncto temporis hanc purissimam animam contaminaret, quam antiquus Doctor totius Trinitatis complementum appellavit. Praeterea, si plenitudinis gratiae, qua Mater Dei mirifice cumulata fuit, mensura ex intima et arctissima eius cum Christo coniunctione desumenda est, quis, quaeso, terminos audeat constituere munificentiae Domini, qui dives in misericordia tanto magis supra omnes Angelos Mariam evexit, quanto differentius prae illis nomen accepit, et ad quamdam cum Deo aequalitatem meruit elevari? *In hoc sane arcano aeternae sapientiae consilio nulla propemodum est lex,* (prosequitur Bossuetus) *quae ad honorandam Dei Matrem non fuerit dispensata.* Quid enim sunt partus sine dolore, caro sine fragilitate, sensus sine rebellione, vita sine macula, mors sine afflictione, virginitas

foecunda, quae in castissimis visceribus portavit aeterni Patris Filium, quid aliud sunt stupenda haec prodigia, nisi totidem legum naturae manifestae derogationes? Et cum tota vita Mariae V. revera sit continuum ac rarum miraculum, quod ipsam efficit quasi creaturam unicam et a communi humani generis conditione segregatam: in sola Conceptione, momento videlicet quod eius gloriae pluris interest, cum ceteris hominibus, natura filiis irae, confunderetur? Nullo pacto: sed qui potens fecit illi magna, poterat etiam (et quis inficias ibit?) eam subtrahere funestae legi contra infelicem Adae posteritatem latae. Si vero poterat, utique perfecit, quoniam proprio suo honori ac mirabili cohaerentiae, quae in omnibus suis operibus refulget, id maxime congruebat, ut tam excelsa creatura ab eo praeelecta, ut mundo daret libertatis auctorem, nullo unquam peccati servitutis stigmate inureretur. En, Pontifex Maxime, humillima sententia, quam circa difficilem hanc quaestionem Sanct. tuae praesentare audeo. Nec mirum, si eam aliquanto longiori sermone pertractavi, quippe Principis Apostolorum monitis obtemperans, spei quae in nobis est rationem reddere, nostraeque persvasionis praecipua fundamenta exponere officii mei esse duxi. — Soteropoli Bahiensi, 10 Oct. 1849. *Romualdus.*

1199. **Eppus Cuyabaënsis in Brasilia.** — Nos, postquam ad Divinam misericordiam serio conversi sumus, — *vere convicti de immoc. ac purissima Conc. SS. V. Mariae D. N.* prae oculis habentes multa variaque loca divinarum Scripturarum, necnon et doctrinam SS. Patrum, ac signanter validissimum testimonium S. Cypriani disserentis de Nativ. V. M. et ita docentis ‚Non sustinebat iustitia, ut vas illud electionis communibus lacesseretur iniuriis, naturae communicavit non culpae‘ *humiliter respondemus, reverenterque declaramus Sanct. Vestrae: esse intimum et efficax desiderium nostrum, esse vividissimum cordis nostri sensum, firmissimumque intellectus nostri iudicium, ut Sanct. Vestra prout Ecclesiae Caput supremusque iudex in rebus fidei, solemniter definiat*

veluti Cath. Ecclesiae doctrinam, B V Mariae conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem; Sanctitati Vestrae fideliter etiam declaramus, *Clerum populumque huius nostrae dioecesis devotissimum esse erga immac. SS. V. conceptionem.* — Cuiaba, III Id. Oct. 1849. *Iosephus Cuy.*

1200. **Eppus Popaianensis in Amer. Merid.** Magno cordis affectu, incredibili animi alacritate aut potius mente quasi delibuta gaudio, quas ad me e Caieta die 2 Febr. Sanct. Vestra dignata est mittere literas, accepi. *Quod enim semper in votis habui, quodque effusis precibus ad Deum O. M. multis abhinc annis postulare non desii, hoc tandem mihi gratissimum accidit, ut nempe Sedes Apost. circa imm. V. Mariae conc. universalis Ecclesiae iudicium exquireret; confidens fore, ut omnes tam populi quam pastores voce concordi ad D. Petri Cathedram suum hac de re pientissimum ferant desiderium.* Et re quidem vera, quod ad me attinet, iam a. 1844 summa animi consolatione literas dedi SS. D. N. Gregorio XVI quibus aperte et humiliter significavi, quid in tanti momenti re mihi consilii sit, quid Clerus sentiat, populusque noster universus, quid denique totis praecordiorum affectibus grex mihi commissus exoptet: *Deiparam* nempe *Virginem Mariam absque labe originali fuisse conceptam tunc temporis nos omnes uno ore atque libenti animo fateri scripsimus, quin adversae sententiae patronum vel in membris collegii Canonicorum, vel in ordine Clericorum, aut religiosis familiis aliquem existere noverimus. Hodie, SS. Pater,* non obstantibus impiorum fraudibus ad convellenda omnia morum ac religionis fundamenta, *haud animo deiecti, nec mutatis consiliis, piissimo Sanct. V. desiderio respondemus, imo quae tunc inerant menti sensa, maiori nunc vi animum percellere, et novis in dies aucta incrementis fulgere, periucundum mihi est Sanct. V. referre.* Nec mirum sane, quod tam constans et valida haec omnium mentes pervadat opinio. Etenim a teneris annis piae huius sententiae dulcedine patresfamilias suorum corda filiorum delectare

assvescunt, hoc veluti lacte devotionis erga imm. V. M. conc. illos enutriunt, svavissimo hoc parvuli cibo aetate augentur, et sic per omnes vitae gradus illud tenerrimo affectu mysterium prosequentes ad senectam usque perveniunt. In foro, domi, ruri, in viis hunc devoti animi sensum singulis fere momentis verba produnt, cum vix alia apud has gentes sese invicem offendentes aut crebrior quam haec usurpetur salutatio: Benedicta sit semper ac laudata purissima et immaculata V. Mariae conceptio! Et licet alii aliis utantur precibus, et suo quisque modo divinum exposcant auxilium, omnes tamen semper et ad quodlibet opus ineundum praeclara hac confessione se accingunt et nonnisi eadem operi manus admovere desinunt. Itaque incredibile dictu est, SS. Pater, qua spe fretus, quaque perfusus dulcedine, haec dum animo recogito, ad Petri Cathedram oculos convertam. Mihi enim videtur, haec eadem aut parum dissimilia ex omnibus mundi plagis assurgere monumenta: quae dum totius christiani orbis laudes in honorem BVirginis sine labe conceptae ad S. V. thronum pervehunt, suum mirifice animum recreant, et hac super re solemne Ap. Sedis iudicium accelerant. — Quid iam Sanct. V. hac super re mihi dicendum superest, cui per summam gratiam datum est, ad religiosam et Seraphicam D. Francisci familiam pertinere, totam immac. V. M. conceptioni dicatam, cuique praeterea feliciter contigit, in actu publico theologico sacrum illud mysterium et mente et corde toto defendere? — Perpensis solidissimis fundamentis, quibus haec pientissima innititur opinio, et quae in causa fuere, quod ingenio et doctrina praestantiores horum praecipue temporum theologi asseruerint, mysterium illud tamquam Cath. Ecclesiae doctrinam definiri posse; et considerans, haud aliam in toto orbe catholico vigere nunc temporis sententiam, *non modo libenti animo, verum etiam ex imo corde huic iustissimae ac simul piissimae decisioni subscribo, S. V. enixe rogans, ut momentum illud felicissimum acceleret, quo una cum universo populo christiano gestientibus animis prae gaudio possimus dicere: Credo Mariam semper Virginem et dignissimam Dei Matrem absque labe originali fuisse conceptam.* — Popaiani, 31 Oct. 1849. *Fr. Ferdinandus.*

1201. **Eppus de Panama in Amer. Merid.** — Quam pergratum mihi est, et supra modum iucundum, de Genitricis Domini laudibus agere, qui a teneris annis nihil potius, nihil antiquius habui, quam ad ipsám purissimam Matrem Mariam vigilare, in ipsissima sitire, ante fores eiusdem Rosario ss. antelucano tempore expectare. Quamobrem *si superioritati semper mihi obtemperandum est, numquam dulcius et promtius quam Vestrae, exigenti de populi, cleri, meaque sententia erga imm. V. conceptionem. Sensus propterea triplex cum sit unanimis, unius labii propositione unica exprimetur: Divina Maria Mater Domini nusquam fuit maculanda*; quae a Deo Omnipotente debuit a primo instanti ea gratia repleri, ut veritas angelica existere possit: Ave gratia plena. Demum quid honoris est Iesu Christi, si maculata (Maria), utpote filia Adae? tunc exemplum honorandi Matrem deest, ut imitatores eius honoremus parentes. Absit a Christo tantum dedecus, qui nobis homo effectus, ut perfectissima quaeque legis exhiberet: perfectissima sane eius Mater et purissima debuit effici. — In dioecesi existunt fundationes plurimae pietatis, altaria, et omnis generis argumenta invicta ad celebrandum valde solemniter mysterium Conceptionis cum magna laetitia et exultatione. Speciatim in Civitate Eppali Panama fervor viget singularis, ut in media nocte (8. Dec.) revereatur primum instans Mariae Conceptionis, in sono generali campanarum laudant Dominum et eius purissimam Matrem usque ad horam primam. — Quid plura, si exoptatis me properare? Concludendum igitur est, quo celerius possum in hac sancta pastorali visitatione, scilicet *et Clerum et populum et Eppum istius et totius Isthmi de Panama, omnes una voce uno sensu SS. V. Deigenitricem Mariam advenire gaudere ex nostrae originis nocturna caligine, stupente mundo, mirantibus Angelis, sine nube candidam, et, veluti Matrem solis iustitiae oportebat, nulla contracta labe purissimam.* — In provincia Chiriqui, 31 Oct. 1849. *Ioannes Franciscus.*

1202. **Eppus Montis Regalis in Canada cum Clero.** — Cum Sanct. Vestra pro summa sua sapientia cognoscere optet, qua devotione animetur Clerus et fidelis populus omnium totius mundi Ecclesiarum erga Conc. imm. Virginis: nos tamquam felices Ecclesiae Montis Regalis interpretes declaramus: *nos a patribus nostris accepisse piam fidem, cuius sensu SS. Mater Dei sine labe originali concepta fuit, hancque venerandam traditionem adinstar sacri cuiusdam depositi conservare. Una summopere gaudentes testamur, quod nos concordibus votis exoptemus dogmaticum S. Sedis decretum, quo tamquam Ecclesiae Cath. doctrina definiatur, Conceptionem BMV. per omnia immaculatam et ab omni macula originalis culpae absolute exemtam fuisse.* Probe namque novimus, Divinum Ecclesiae Fundatorem pro b. Petro orando, pro Sanct. Vestra quoque orasse, ut non deficiat fides eius. Quapropter omni occasione perfecta docilitate acceptamus cunctas S. Sedis. Ap. decisiones, et inter continua pericula, quibus populum Dei versus terram promissionis ducendo circumdamur, efficacissimum fiduciae argumentum inde desumimus, quod sciamus Sanctitati Vestrae, prout Apostolorum Principi, datum esse, ut fratres suos in puritate fidei et sanctitate morum confirmet. — (Reliqua pars epistolae ad temporalem principatum S. Sedis se refert.) — In Monte Regali Canadae, mense Octobri 1849. (Subscripti praeter Eppum, Coadiutor eiusdem, item Vicarius Generalis, et 122 presbyteri.)

1203. **Vic. Apost. Portus Hispanici in Insula SS. Trinit.** Recentissime saltem pervenit ad me Litera, ope cuius Sanctitas Vestra dignata est me honorare, de dato Caietae 2. Februarii evoluti de Immaculata Conceptione Beatissimae Mariae Virginis. Postquam mihi Literarum obiectum innotuit pro Clero et populo Vicariatus huius Apostolici solatiosarum, *omnes una mecum in sensus maximae laetitiae et gratiarum actionis ad Deum, eruperunt, sperantes, quod pia fidelium fides de Sanctissima Virgine absque omni macula peccati originalis concepta, et de Eius conceptione vere Immaculata*

in Scriptura S. et Traditione fundata, sit solemnem Sanctitatis Vestrae Sanctionem receptura, et sic fidei nostrae articulus evasura. Et quando sane posset tempus magis favorabile cogitari ad definiendum ut sanctae Fidei nostrae Dogma piam illam fidem, quae tot seculis in cordibus fidelium omnis nationis, omnis climatis radicata est, quam praesens, dum totus populus catholicus exultat, et laetatur vel ob cogitationem, quod per potentem intercessionem Sanctissimae Virginis, dignatus sit tandem Dominus audire humiles et ferventes orationes, pulsis e sancta Civitate Roma impiis illis et sceleratis, qui insultare praesumserunt sacrae Personae Sanctitatis Vestrae, Religionem conculcare, omne genus abominationis et impietatis patrare. Utor hac occasione opportuna notificare Sanctitati Vestrae, quod momentosus hic Vicariatus Apostolicus, Cathedralis Ecclesia, et maior pars Ecclesiarum Patronam venerentur Sanctissimam Virginem, et in omnibus fere aliis Ecclesiis existat Altare Deo, sub Eius invocatione et protectione dicatum. Vix est ulla femina catholica in Vicariatu, quae non vocaretur Maria, aut adnexum non habeat carum istud et amatum nomen alicui alteri. Facta haec suppeditare possunt adminus debilem ideam de nostro amore erga Magnam Dei Matrem, et de nostra plenaria confidentia in potentissima Eius intercessione, pro nostro favore. Reipsa gloriosae Eius intercessioni principaliter debemus rapidum progressum, quem sancta nostra Religio in hoc Vicariatu adusque fecit. — In Portu Hispaniae Insula SS. Trinitatis, 5 Nov. 1849. *Richardus P. Smith.*

1204. **Eppus de Antequera Neogranatensis in Amer. Merid.** Antonius, Dei et S. Sedis gratia Episcopus de Antequera ad venerandos pedes Sanctitatis Tuae prostratus humiliter exponit, se accepta Encyclica diei secundae Februarii a. c. in qua Sanctitas Tua suam laudabilem intentionem manifestat, convertendi suam altam considerationem ad admirabile mysterium Conceptionis Mariae Sanctissimae Matris Dei, ad declarandum, si conveniens erit, cum inspira-

tione Spiritus Sancti tamquam dogma fidei, illam fuisse puram et immaculatam, desiderando praevie colligere suffragia Reverendissimorum Episcoporum, perque illos etiam Capitulorum, Decanorum, Parochorum, ac omnium populorum respectivarum illorum Dioecesium, cum gaudio edidisse mandatum de instituendis rogationibus publicis in hac S. Cathedrali, et reliquis Ecclesiis civitatis, omnibusque parochiis externis, ad implorandum supernum auxilium, expedivisseque in sequelam huius Epistolam circularem, qua Parochi admonentur, ut suam suorumque respectivorum parochianorum opinionem libere exponerent, quo faciendo ex omnibus relationibus collectionem possem Sanctitati Tuae positivis documentis significare, quodnam sit votum universale huius gregis, et pastorum eius secundi ordinis, ac ipsius Episcopi. Ecquidem possibile est iam id praestare, *existimo* tamen *non esse idoneum transponere Sanctitati Tuae ipsas originales manifestationes ad me directas, in quibus uniformiter, atque expressionibus vehementissimis, phrasibusque vividissimis ac patheticis exhibentur pura et anxia desideria, quibus omnes sine exceptione postulant, ut Sanctitas Tua pio huic et magni momenti labori incumbat, utque adveniat dies, qua modo irrefragabili per oraculum infallibile declaretur ut veritas catholica, Mariam Sanctissimam Matrem Dei fuisse sine culpa originali conceptam. Hoc est votum omnium huius Dioecesis populorum, omniumque Parochorum, venerabilis item Capituli huius S. Ecclesiae, ac meum.* Gloriosum est mihi referre id Sanctitati Tuae, sperareque licet, ipso illo momento felici, quo gloriosa haec ac desiderata declaratio in lucem prodibit, Matrem Dei pro nobis intercessuram, obtinendo a suo Filio Sanctissimo Ecclesiae pacem, Sanctitati Tuae restitutionem in Sedem Romanam, destructionem haeresum formidabilium, quae cathedras sibi aedificant, triumphumque splendidissimum religionis christianae. Dominus Deus noster conservet pretiosam vitam Sanctitatis Tuae in perfecta sanitate per plurimos annos, ut hoc tam magnum propositum effectui mancipare possit, qui in toto orbe catholico propagetur, oportet, in honorem et gloriam Mariae Sanctissimae Dominae nostrae. — Antequerae, 17 Nov. 1849. *Antonius.*

1205. **AEppus S. Fidei de Bogota in Amer. Merid.** — Speciali Dei providentia factum videtur, ut pia sententia de imm. conceptu BMV. qui optimo cuique semper in corde fuit, ab aliquibus olim in dubium revocaretur. Dum enim catholici Doctores BVirginem ab omni originali culpa immunem asserebant, veritas melius patescebat, et occasio illis ipsius Virginis laudibus extollendae in dies offerebatur. Quin etiam *ipsi impugnatores, qui ut generalem de peccato originali legem defenderent, privilegium illud Mariae negarunt, primum in silentium deducti, postea de veritate convicti, et demum nobiscum eam ab omni labe puram acclamantes veritatis argumentum et celebrem Marianae gloriae triumphum praepararunt.* In eo quippe nitebantur illi, quod est eius mysterii basis ac fundamentum, omnes scilicet homines in Adam peccavisse, nullam ab hac generali lege exceptionem admittentes. Sed *quis neget Deo potentiam, suae Matri hanc exceptionem concedendi?* Innocens ille Pontifex, impollutus, segregatus a peccatoribus pollutam Matrem deligeret, ille, inquam, qui est vera sapientia, domum sibi in mundum venienti non aedificaret sanctitati suae infinitae accomodatam? Qui eam benedictam inter mulieres et gratia plenam salutari ab Angelo iussit, nonne eam sanctam a primo instanti creavit? Qui eam Matrem sine detrimento virginitatis fecit, qui eam a poena et dolore filios pariendi liberavit, cur tot ac tanta ei privilegia dederit, et primum ac praecipuum maiestati suae maxime decens negavit? Quomodo ipsa serpentis caput contereret, si uno tantum momento serpens illi dominaretur? Quis illa verba: inimicitias ponam etc. explicabit, nisi per amicitiam Mariae cum Deo ne uno quidem momento interruptam? ‚Adiuvabit eam Deus mane diluculo: in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.‘ Ideo ipse creavit illam in Spiritu S. et in creatione dixit: Tota pulchra es etc. Et quamvis lex pro omnibus constituta sit, sed non pro te. Sententiam hanc imm. conceptionis SS. Patres omnium seculorum admiserunt, verbis explicarunt, laudibus exornarunt, Sancti Doctores rationibus confirmarunt, Thoma Angelico et Bernardo mellifluo nullo modo exceptis. Thomas quidem si originalem puritatem Mariae expresse non docuit,

ut multis placet, tacite saltem illam asseruit, quia ex principiis ab illo positis legitime deducitur. Bernardus nihil contra illam sententiam protulit, sed Ecclesiae Romanae iudicium detulit. Ambo vero si postea vixissent, acerrimi piae sententiae propugnatores fuissent. Academiae Catholicae illam etiam propugnarunt, quin aliquis ad gradum ullum promoveretur, nisi voto facto de imm. conc. defendenda. *Finem huic discussioni dabat Synodus Tridentina.* Et revera imm. conceptio iamiam definienda, imo definita fuisset, ni Patres illi venerandi aliquid gloriae Mariae detrahi duxissent ex paucissimorum oppositione. Attamen illud semper ab omnibus tam assentientibus quam dissentientibus sancitum est, S. Synodum non intendere Mariam semper Virginem originali labe credere infectam. Quid clarius? Concilii intentio non fuit comprehendere in decreto de peccato originali Beat. Imm. V. Mariam Deigenitricem. Quaenam ergo erat Patrum illorum intentio? Satis indicat verbum illud ‚Immaculatam' quo semper indicatum fuit privilegium exemtionis a peccato originali. Addit S. Synodus confirmationem et innovationem constitutionum Sixti IV de hac quaestione, scilicet approbationem festi et officii, et concessionem indulgentiarum omnibus fidelibus conceptionem sic intellectam celebrantibus. Dico ‚sic intellectam', nam *fideles, qui Mariae Conceptionem immac. venerabantur, in gravem errorem inducti essent, si Ecclesia talem sententiam non approbaret.* Praeterea, ut ex doctrina D. Thomae et D. Bernardi cernitur, nihil celebrat Ecclesia nisi sanctum; et ideo Doctores illi sapientissimi Nativitatem Mariae Sanctam dicunt, quia Ecclesia tale festum non celebraret, nisi sancta fuisset Virgo Maria ante ortum. Iamvero ex decreto Alexandri VII a. 1661 patet: 1. Sixti IV, Pauli V, et Gregorii XV constitutiones editas esse in favorem sententiae asserentis, BVirginem a peccato originali praeservatam fuisse; 2. piam ac laudabilem esse hanc sententiam, et pium ac laudabile secundum illam BVirginem colere. In Romana Ecclesia olim solemniter celebratum esse, et etiam nunc celebrari festum imm. Conceptionis, per illam intelligendo sanctificationem BV. primo instanti creationis animae et eius infusionis in corpus; ideoque sanctificationem BV. pro primo illo suae existentiae

instanti esse obiectum cultus, ad quem Ecclesiae fideles omnes praecepto celebrandi festum Conceptionis BV. obligat. Illud etiam est animadvertendum, quod Alexander VII clausulam a Paulo V. et Gregorio XV positam de non inferendo praeiudicio contrariae opinioni, praetermiserit. Quum ergo S. Scriptura, Patres, Doctores Theologi, Concilium Tridentinum, Summi Pontifices huic piae sententiae faveant, et aliunde *Ecclesia, utpote infallibilis in rebus fidei et morum, non possit consulere, et multo minus praecipere cultum falsum et superstitiosum, quod quidem accideret, si falsa esset pia illa sententia de imm. Mariae Conceptione,* sequitur talem sententiam esse proxime definibilem. Ita existimabat eximius Doctor *Suarez,* veritatem nempe hanc posse definiri ab Ecclesia, quando id expedire iudicaverit. Nunc vero an hoc tempus advenerit, cuinam dubium videri potest? *Ego* quidem sic *existimo, tempus illud iam venisse et valde opportunum.* Sententia illa, quae pia vocatur, est hodie universalis, ubique et ab omnibus praedicatur, imo et ab iis, qui illam aliquando impugnarunt, nunc pro viribus defenditur; quod si non fuit semper, ideo evenit, ut Mariae gloria magis ac magis elucescat. *In America Meridionali, et praecipue in hac A. Dioecesi una est omnium vox, Mariam sine peccato originali esse conceptam.* In Universitatibus votum fit de immac. Conc. defendenda, et sub hoc mysterio et titulo Maria totius huius Americae Patrona est, plura templa, confraternitates, Ordo Religiosus, festa publica in honorem immac. conc. existunt; pluries in anno et praesertim in novendialibus et octava immac. conc. oratores sacri de hoc privilegio Mariae concionantur; numquam verbum Dei populo annunciatur, quin antea laudetur SS. Euch. Sacramentum, et immaculata Mariae Conceptio. *Novissime Clerus secularis et regularis huius A. Dioeceseos unanimi consensu votum in Ecclesia nostra Cathedrali mecum fecit, festum solemne quotannis celebrandi, quo die Sanct. Vestra definiat hoc Mariae privilegium, et insuper ieiunandi in pervigilio festi imm. Conc. BMV.* Haec omnia et plura alia possem enumerare, ut devotio erga Mariae Conceptionem in his regionibus patefieret. Inter quae tacendum non est gaudium magnum et universale omnium fidelium, quando ex Encyclica

Sanct. V. spes omnibus affulsit quam proxime videndi definitam tamquam dogma fidei piam sententiam de immaculata Mariae conceptione. Hoc quod iampridem a Praedecessoribus Sanct. Vestrae rogaverunt plures Ecclesiae Praelati, quodque ipse cum Eppis huius Neogranatensis Reipublicae Gregorium XVI fel. rec. rogavi, audeo et nunc omnium minimus iterum rogare, nimirum ut Caput, cui Deus infallibilitatem dedit, cum corpore Ecclesiae dispersae unitum Mariam Deiparam et gloriosam Virginum Virginem immaculatam in primo suae conceptionis momento ex cathedra proclamet. Quam opportune hoc accideret, B. Pater, Ecclesia ipsa quodammodo clamat. Cui protectio singularis Ecclesiae et praecipue Ecclesiae Romanae, omnium Ecclesiarum matris et magistrae, necnon Christi in terris Vicarii his novissimis temporibus est attribuenda, nisi Mariae, quae serpentis caput contrivit, quae sola cunctas haereses interemit, et ad quam omnes in hisce calamitatibus confugimus? Declaratio huius praeclari Mariae privilegii nonne esset simul nunc et gratitudinis testimonium, et fiduciae argumentum, novae ac gratioris protectionis pignus aeternum? Totus orbis quam late patet laetitia exultaret, fides roboraretur, caritas revivisceret, religio floreret per eam, quae semper gaudium annunciavit universo mundo. His omnibus rationibus adductus, iudicium meum Sanct. Vestrae submittendo, *iudico: posse definiri et definiendum esse ut dogma fidei catholicae, Mariam semper Virginem a peccato originali speciali Dei privilegio fuisse praeservatam.* — In Urbe S. Fidei de Bogota, VI Id. Dec. 1849. *Emmanuel Ioseph.* (Mosquera.)

1206. **Eppus Calydoniensis, Auxiliaris AEppi Bogotensis.** Episcopus titularis Calydoniensis et auxiliaris Archiepiscopatus Bogotensis maxima perfunditur consolatione, maximamque persentit satisfactionem, tradens Beatitudini Tuae per Nunciaturam Apostolicam expressionem humilem suorum votorum, opinionemque de pio negotio declarationis solennis a Sancta Matre nostra Ecclesia faciendae, Sanctissimam Virginem Mariam esse immaculate conceptam. Iam a teneris annis viva persensi desideria ac devotionem et affe-

ctum erga Beatissimam Virginem, nihilque nunc magis gratum pio Beatitud. Tuae cordi exprimere possum, quam universitatem eorumdem sensuum in loco nativitatis meae habitorum, una cum sensis omnium eorum, quos Neo-Granatae conveniendi habui occasionem, quosque specialissime notavi ut fideles huius Archiepiscopatus. In dictis locis cum complacentia testis fui cultus illius, qui piae doctrinae de Conceptione Mariae exhibetur, solertiaeque, qua devotio erga Beatissimam Virginem sub hoc excelso ac puro titulo promovetur; nec dubitari potest, diem illum felicem, qui laetum afferet nuntium, eam doctrinam iam esse dogma fidei, fore diem laetitiae et exultationis generalis, auctumque tunc iri devotionem et gloriam ac decorem huius augusti mysterii. *Quod ad mea vota ac sensa personalia attinet, quid ultra possum adiungere doctrinis, quas in hoc argumento semper cum gloria defendit Ordo S. Francisci, ad quem tamquam minimus eius filius pertinui?* Amplectendo enim statum religiosum, collatisque mihi gradibus in Universitate Pontificia, iuravi solenniter, me defensurum ac vindicaturum opinionem piam de Conceptione immaculata Mariae Sanctissimae Dominae nostrae, atque adusque per gratiam Dei conatus sum gratum et sacrum officium mihi illis iuramentis impositum implere, solum addere debeo me etiam absque huiusmodi iuramentis piam illam sententiam semper defensurum ac propugnaturum fuisse, utpote quae plene consonat meae intimae ac rationabili persuasioni. Restat solummodo, ut significem me omni tempore humiles ad Deum fudisse preces secundum intentionem Vicarii Iesu Christi in terris, Capitis visibilis Ecclesiae; in praesentibus vero adiunctis, quae Divina Providentia in meliora convertat, dissipando terribiles tempestates malorum, quibus Ecclesia, ut cum dolore testatur Beatitudo Tua, undique impetitur, in hac, inquam, actuali occasione duplicabo preces, dirigendo eas per Sanctissimam Virginem ad Deum, ut lux Divini Spiritus Beatitudini Tuae assistat ad declarandum fidei articulum, Matrem Dei esse in gratia conceptam, sicut ferventer desiderat infimus Episcoporum, obsequensque Filius Beatitudinis Tuae, qui petit sibi Apostolicam benedictionem. — Puentenacional, 1 Nov. 1849. *Iosephus A.*

1207. **Administrator Apost. AEppatus Quebecensis in Canada.** Dum administrationem Archi-Dioeceseos Quebecensis, quam venerabilis eius A.-Eppus, aetate et infirmitatibus oppressus mihi committendam censuit, adgredior, exoptatissimam nanciscor occasionem, homagium profundae venerationis ad pedes Sttis Vrae deponendi, eamque de ima submissione erga auctoritatem, qua divinitus instructa est, certiorem reddendi.

Curis illustris Praesulis, cuius vices gerendas suscepi, in cunctis parochiis et missionibus Dioecesis huius publicatae fuerunt encyclicae literae, quibus Sttas Vra desiderium: suffragiis catholici orbis fulciri, enunciat, quo solemni indicio decidere possit almam Dei Genitricem absque peccato conceptam esse. Desiderium istud Sttis Vrae maximo cum gaudio a fidelibus Archi-Dioeceseos susceptum fuit. Reipsa *Ecclesia Canadensis, quae in ipsis suis primordiis tutelae immaculate conceptae Mariae se commendavit, — haud aequivoca signa suae in hanc augustissimam Virginem devotionis, omni tempore dedit.* Et, quod in specie ipsam Archi-Dioecesim Quebecensem concernit, magnus numerus societatum, quae ibidem in honorem Mariae coaluerunt, fervor item et pietas, in dies increscens, qua festa eiusdem celebrantur, manifesto sunt indicio, quo affectu animentur fideles, curis meis commissi, erga cultum sacrae suae Patronae.

Desiderio Sttis Vrae conformiter, publicas preces in omnibus Ecclesiis et Capellis Archi-Dioeceseos asservavimus, orantes Deum, ut Sttas Vra „divini Spiritus luce perfusa in tanti momenti re illud consilium suscipere valeat, quod ad maiorem tum sancti sui nominis gloriam, tum beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere.“ Felicem me reputo Stti Vrae referre posse, *quod fideles Archi-Dioecesis Quebecensis hac occasione ardentem zelum praeseetulerint, omnesque perfecte acquieturi sint nuntio: Apostolicam Sedem sanctam et immaculatam beatae Virginis Conceptionem tamquam doctrinam Ecclesiae solemniter pronuntiasse.* Quebeci 28-a Novembris 1849. *P. F. Turgeon.*

1208. **Eppus S. Caroli de Ancud in Chili Amer. Merid.** — Quantum ad devotionem, qua noster Clerus ac populus afficiuntur erga immac. conc. BMV. *absque ulla haesitatione atque errandi formidine asseverare possumus, huiusmodi piissimam devotionem in ditione Chilensi, sicuti et in tota nostra America una cum Iesu Christi religione originem duxisse, et cum eadem aequo gradu fuisse consolidatam,* hancque omnium fidelium cordibus inhaerere tam fervidam, tamque fundatam radicitus, ut non tantum festum immac. conc. sit ex illis, quae maiori solemnitate religiosoque cultu ac populorum frequentia universim in omnibus Ecclesiis celebrantur, sed insuper in omnium fidelium ore saepius in die eius praeconium audiatur personare: illud auditur in domesticis aedibus, dum mater tenellum filium primordia religionis instituit; illud prae foribus, cum adventans peregrinus domum introire contendit; illud in templis, quotiescunque oratio devota persolvitur; — uno verbo nihil communius, nihil frequentius, quam Mariam sine labe originali conceptam collaudare. *Eppatus Americanus, nostri theologi, omnesque Universitates nostrae ac Congregationes literariae sibi semper et pro semper rigorosa exactione sanxerunt, in suis publicis privatisque palaestris docere, tueri, ac praedicare Mariae conceptum sine labe originali.* Ne una quidem vox in contrarium unquam audita fuit, nec ullimode absque gravi fidelium scandalo audiretur: idcirco pro certo habemus, omnes Eppos Americanos, omnes Congregationes religiosas, omniaque studiorum collegia corde et animo unanimiter conventura fuisse in unum, ac provolutura ad Sedis Ap. pedes, ipsi porrigendo humiliter easdem fervidas ac reverentes preces, quas olim Hispani Eppi una cum illustribus aliis societatibus fel. rec. Summo Pontifici Clementi XII porrexerunt, enixe postulantes, ut dignaretur pronunciare solemni ac definitivo iudicio hoc praecellens privilegium Deiparae Matri unice concessum, si ipsi fuissent aliqua alia indicatione invitati vel saltem opportunam notitiam huius gravissimi successus habere meruissent. *Flagrantia vota, quae tunc temporis Hispana Ecclesia exponebat, sunt impraesentiarum in tota nostra America communia, et praesertim in Republica Chilensi;* in hac vero nostra dioecesi facta

sunt ferventissima, ex quo toto foro volitat exculta dissertatio hisce nuperrimis annis per Em. Card. Lambruschinum exarata. Ex hactenus relatis Sanct. Vestra facili negotio valebit inferre, quidnam de hac celebratissima materia sentiamus, ac tandem quid avidissimo cordis hiatu exoptemus. Vel ex nostra primaeva iuventa, qua studiis theologicis dedimus operam in sinu illustris sodalitii sat pro sua gravitate cogniti et a Vestra Sanct. dilecti, severiori investigatione veritatem circa hanc quaestionem perquisivimus, et extunc sententiam Mariae faventem amplexati sumus. Huius *piissimae sententiae sacra traditio licet aliquantisper praeteritis temporibus obnubilata, iam diebus nostris feliciter tam clara et praefulgens se ostendit, ut radiantis solis coruscamen vincere videatur,* et *pro indubitato habemus, tempus e coelo datum iam adesse, quo suprema Principis Apost. Cathedra sua decretali ac infallibili sententia hanc piissimam universalis Ecclesiae opinionem inter inviolabilia dogmata definiat, locet, statuat, atque decernat.* Ad coelum manus nostras humilesque preces indesinenter tollimus, ut quantocius dies optatus illucescat. — S. Caroli, 16 Dec. 1849. *Iustus.*

1209. **Eppus Guayaquilensis in Rep. Aequatoris Amer. Merid.** — Quanta devotione quantaque pietate *Clerus populusque fidelis* sit animatus et quo desiderio flagret, ut imm. Conc. BMV. ab Ap. Sede decernatur, testantur tum *communis fidelium religiosa devotio erga SS. V. Mariam sub imm. Conc. titulo,* tum Sodalitates pluribus in Ecclesiis erectae, tum Parochorum testimonia hac in re prolata et eorum literis tradita tum denique filialis amor, honor, laus, decus, quibus omnes fideles nostram dilectissimam Matrem suppliciter colere et honorare studemus. Iam vero Sanct. Vestra noscere cupit, quid de re sentiam, quid exoptem. Iam olim utrumque humillime Sanct. V. exposui, et ne distantiae ratione aliave de causa ad aures supremas V. S. meum non pervenerit, expositum licebit mihi repetere, et reiterare ea, quae alio tempore V. S. sequentibus enucleavi verbis. Multos olim et quidem

graves Theologos pronunciasse, BVMariam in peccato originali fuisse conceptam, adversus graviores contrariam sustinentes doctrinam, plane fateor. Sed *postquam Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra, SS. Missae et canonicarum horarum officium in festo imm. conc. colendum et celebrandum praecepit, nullus est Christifidelium, qui BV. Mariam sine labe fuisse conceptam inficiari audeat vel praesumat.* Hoc BV. privilegium Scripturae S. et venerabilis Traditionis testimoniis innititur. Rem ita esse, ipsa Sanct. Vestra, quam nulla sacrorum fontium arcana latent, cuique patescunt ea, quae a S. Trid. Synodo Sess. 5. de peccato originali, et a memoria digno praed. Vestro Sixto IV hac in re sunt constituta, mihi testis est. Licebit igitur mihi humiliter flagitare, *ut pro plenitudine Vestrae supremae potestatis declarare decernereque dignemini: imm. conceptionem BVM. eiusque immunitatem a peccato originali ob speciale Dei privilegium dogma esse fidei ab omnibus tenendum et amplectendum.* Si Vestrae igitur Sanctitati placet hoc in futurum fidei dogma definire, non poterit non Vestra Sanct. conspicere, placitissimum fore Deo et BVMariae, cultui ecclesiastico consonum, fidei catholicae et theologicis rationibus consentaneum, pergratum denique omnibus fidelibus huius praesertim Americae Meridionalis incolis sub speciali patrocinio imm. conc. feliciter degentibus. — Guayaquil, 28 Dec. 1849. *Franciscus Xaverius.*

1210. **Eppus S. Marthae in Amer. Merid.** Die vigesima sexta elapsi mensis honorificum mihi perfeci opus, Sanctitati Tuae scribendo, me Literas Apostolicas, datas die secunda Februarii anni currentis, per Nuntiaturam Apostolicam in Metropoli Reipublicae Neo-Granatensis residentem percepisse, in quibus Tu Venerabilis et illuminatus Sanctissimusque Pater nobis annuntias, Te nomine et auctoritate illius, quem in terra repraesentas, Temet praeparare ad pronuntiandum definitive id, quod omnes fideles sentire ac firmiter credere convenit de mysterio Conceptionis Virginis Mariae Dominae nostrae; ad quem finem nos valde excitabas,

et exhortabaris unumquemque Episcoporum orbis catholici, ut in nostris respectivis Dioecesibus indiceremus preces publicas, quo Clementissimus luminum Pater Sanctitatem Tuam luce Divini sui Spiritus illuminare dignetur, Tuque in hoc negotio tam gravi Te pro eo determines, quod magis conferret ad gloriam et laudem Sanctissimae Virginis, et emolumentum Ecclesiae militantis. — Ob eundem finem iam anno 1843 una cum Venerabilibus Fratribus nostris in hac Provincia direximus preces nostras ad Summum Pontificem (gratae memoriae) Gregorium XVI; atque *ego e parte mea nunc iterum ratificatum pergo votum hocce meum ac sententiam in comitatu ferventis devotionis totius Cleri et populi fidelis Dioecesis meae, testificans, devotionem revera esse talem, ut, quemadmodum Sanctitati Tuae in supradicta mea Epistola diei vigesimae sextae Septembris* *) *significavi, incolae S. Marthae emineant in devotione erga purissimam Conceptionem Mariae,* quam ut Patronam principalem recognoscunt ita, ut in ipsis suis insigniis imaginem Divae Dominae Immaculatae habeant. Et quia ab origine Ecclesiae non erat saeculum, quo Conceptio Dominae nostrae in statu gratiae non fuisset obiectum suae devotionis et cultus: profecto *nulla est post fidei dogmata veritas christiana magis certa, quam pia haec opinio de immaculata Conceptione Virginis Sanctissimae,* cuius declaratio velut donum Divinae Providentiae nobis a fausto illo die concedendum appropinquat. Propterea omnes fideles exhortatus sum ad reduplicandas suas ferventes orationes, implorandamque lucem coelestem, ut totum Episcopatum, sed praecipue Te, Sanctissime Pater, qui es visibile Caput Ecclesiae, illuminet, a quo humiliter suscipimus Apostolicam benedictionem. — In S. Martha, 3 Oct. 1849. *Ludovicus Iosephus.*

1211. **Eppus Antiochensis in Amer. Merid.** — Iam antea VI Kal. Febr. 1844 literas nostra manu missas fuisse dico, quibus nostro et populi nostri nomine humiliter *exopta-*

*) Non pervenit ad manus nostras haec Epistola hic citata. (*Nota Redactoris.*)

vimus a dignissimo antecessore B. Vestrae, ut definitionem illam ab universa catholica gente expetitam sancire dignaretur. Etenim *non minus pro illo tempore, sed pro nunc et quotidie vehementius sentiuntur vota huius nostri gregis, ut inposterum non amplius dubietas admittatur, et ut pietas populi christiani firmetur circa admirabilem et optabilem Virginis Mariae a peccato originali immunitatem.* Et quidem ubi est civitas vel societas in Christo et Vicario supremo unita, quae in Angelorum Reginam immaculatam cultum et adorationem non pie et devote tribuat? *Nonne in tota Ecclesia ab initio suae existentiae usque huc pro quocunque loco et omni tempore ita docetur et determinatur?* Testimonium universale et aetate omni unanimiter praestitum tum Summorum Pontificum, tum Patrum Doctorumque, tum Conciliorum atque Theologorum, tum in pia fide credentium, quod Sanctitas Vestra, nemine melius cognoscente, perhibet, talem convictionem producit, ut non amplius trepidatio existat, Marialem Conceptionem ab omni labe exemtam esse, et ab aeterno sic praeordinatam, ut mysterium fide dignum in populo christiano acceptum et professum adhibeatur. Maternitatem divinam in Maria gratia plena annuntiatam fuisse constat: difficillime autem tale attributum consistere posset, nisi in persona ad hoc designata privilegium sanctitatis originalis, quod in Adamo protoplasto extitit, confiteamur. Si in Angelis in sanctitate creatis Deus vitium originale odio habuit, quanto magis in Virgine Deigenitrice illud noluisse dignum fuit? Nostra dioecesis non solum quia antea in ditione Hispanica fuit comprehensa, et ob hoc in immac. Mariam ut patronam in toto regno iuratam devotionem et cultum exhibet, sed et potius propter religionis a Iesu institutae cognitionem et amorem in devotione illa in dies crescit; templa et festivitates in eius obsequium multiplicantur; congregationes promoventur; dilectio fidelium erga Deiparam tam generaliter professa, in Conceptionem eius mundam uberrima praestruitur. In nostra Cathedrali Ecclesia ut Patrona veneratur, et Parochiae multae aequaliter illam proclamant et patrocinio eius honorantur. Noster Clerus et populus cum suo Pastore non minus ut catholici gloriantur, quam devotione animati innocentem Virginem colunt, prae-

cipue dum illam in suo protoplasto sanctam vocant. — *Non aliud nostrum desiderium, non aliter optamus, quam in literis suis Sanct. Vestra innuit, quia istam immac. conceptionem a teneris annis hucusque semper venerati sumus.* — Finem huic epistolae ponere non possumus, quin Sanct. V. humiliter petamus, ut in compensationem tantae devotionis in nostro Clero et populo circa Mariam integerrimam habitae, in nostra dioecesi ad praefationem Missae ‚immaculatam Conceptionem' dicere nobis tribuatur, donec mysterium hoc infallibiliter definiatur. — (Sine dato.) *Ioannes a Cruce.*

1212. **Vic. Capit. Mexicanus in Amer. Septemtr.** Quod a me spectat, nihil certe gratius, nihil iucundius, nihil optatius, quam tam gloriosa, tam felici, tamque fausta die gaudere mihi aliquando contingere poterit. Si in *Mexicanae dioeceseos Clerum* oculos coniicio, eum flagrantissima erga illibatam V. Deiparae Conceptionom caritate flagrare atque ardere facile invenio. Quid vero de *Nationali Pontificiaque Universitate,* quid de *Seminario Conciliari* dicam? In illa nemo prorsus ad academicos gradus suscipiendos admitti valet, nisi prius intemeratum almae Deigenitricis conceptum publice et clam defendendi iusiurandum praestiterit. In Eccl. Seminario et qui praeest et qui scientiarum edocendarum munere funguntur, et qui ad ingrediendam studiorum rationem admittuntur, eos praedicto iureiurando obstringi necesse est. Accedit, quod illa Academia ac Seminarium, necnon multae Religiosae familiae BVMariam in primo suae Conceptionis momento ab originali labe omnino immunem, ut clementissimam Parentem et praecipuam venerandam Patronam selegerint; eique non quotannis solum, sed multoties in anno devotionis, amoris, obsequii et grati animi signa publice aperte magnificeque tribuunt. Summae *populi Mexicani religionis erga SS. Deiparae conceptum* plurima proferre possem argumenta. Non modo in viis palam multis diebus, praesertim VI Idus Dec. verum domesticos etiam intra parietes tum a divitibus tum a pauperibus miranda

devotione tantae Virginis, Matris nostrae svavissimae laudes decantantur. In templis fidelium pietate exstructis semper est praeclarissimae Virgini altare consecratum. Religio erga imm. conc. Deiparentis adeo est ubique diffusa et propagata, ut feliciter nullus vicus, ne vilissimus quidem, existat, quo non pervaserit. Re denique accurate perspecta, difficillimum certe erit in toto terrarum orbe quemdam populum invenire, qui non dicam superare sed ne aequare quidem Mexicanum possit. Quae cum ita sint, mihi dubium minime est, venerande universalis Ecclesiae Pastor, *Mexicanum populum piissimam de immaculata ter sanctae Virginis conceptione sententiam ad fidei veritatis amplitudinem evehi et summis votis studere ac expetere, et uno ore etiam atque etiam postulare.* Quodsi in Sanct. Vestrae Pontificatu immaculatam SS. Deiparae Conceptionem fidei nostrae veritatibus adscribi contingat: in Mexicanorum cordibus, vel postquam debitum naturae B. V. persolverit, adhuc vivet, et ita vivet, ut veneranda tanti Pontificis memoria nulla unquam oblivione deleatur. Mexici, IV Id. Iul. 1849. *Ioseph Maria Barrientos.*

1213. **Vic. Capit. Monteregiensis in Confoed. Mexicana.** Summa cum animi nostri alacritate Encyclicas literas tuas accepimus nos in iurisdictione Eppali huius Ecclesiae a suo Pastore viduatae succedentes, — dum praecipue vota tua, B. Pater, pientissima vidimus, et circumcirca Sedem tuam Apost. tot praeclarissimos Eppos, tot illustria Canonicorum Collegia, ac venerabiles multas Religiosorum familias, humiliter adstantes, et submissis precibus deprecantes, — ut veluti Cath. Ecclesiae doctrinam definire properes, BVM. Conceptum immaculatum omnino fuisse atque ab omni prorsus labe orig. peccati immunem. — Quid ergo, B. Pater, hoc Capitulum dicere vel exprimere coram te potest super ipsa re, cum gloriatur, hanc Ecclesiam Cathedralem erectam esse sub singulari patrocinio VMariae titulo immac. Conceptionis? Quid etiam, cum nos nostrique maiores ab incunabulis hoc lac devotionis et pietatis mel erga dulcissimum istud mysterium suximus, illudque singulari obsequio atque

intimo cordis affectu coluimus, ea peragendo, quae ad maiorem Virginis gloriam et laudem procurandam cultumque promovendum conducere posse viderentur? Quid item antiquius, quam haec pientissima credentia, cultusque pariter et pietas in laudem Conceptionis Marianae, dum, si credimus auctoritati antiquorum gravissimorumque doctorum, *solemnitas Conceptionis Mariae celebrata fuit ab ipsismet Apostolis, a D. Iacobo Ierosolymis, a D. Marco Alexandriae, a D. Iacobo Maiore Caesaraugustae,* quibus praeeuntibus suffragium etiam fert modo ipsa Ecclesia Catholica, dum in variis regnis et provinciis iamiam a primis seculis Missam cum offfcio proprio illi tribuebat, cum populorum ardentissimo consensu, qui gestienti plausu pro aris et focis intemeratam conceptionem proclamabant, et multi voto adstricti etiam usque ad sangvinis effusionem propugnare parabant? Cum ergo ardenter et de die in diem magis ac magis concreverit in cuncto populo christiano haec pietas, hic cultus, adeo ut ab omnibus iam haec pientissima sententia tamquam inconcussa, certa, proximaque fidei, et absque dubio posita habeatur: non immerito omnes florentissimae Academiae, Nationes et Regna Catholica, Eppi, universique fideles una cum venerabili coetu Patrum Ecclesiae praeconantur, una voce concinentes: BVirginem Mariam in sua Conc. Imm. fuisse immunem a peccato originali, pro cuius mysterii solemnitate gaudent etiam Angeli, et collaudant omnes Filium Dei. Quapropter nos in tantae pietatis mare magnum confluentes, atque intime convicti tum de hoc privilegio a Deo O. M. purissimae Matri suae concesso, tum de universali Ecclesiae assensu, tum denique de huiusce nostrae dioeceseos peculiari devotione, qua apparatu magnifico omnes suae parochiales Ecclesiae imm. V. conc. celebrant, laudantes simul colentesque eam, atque admirantes hoc donum coeleste, quo solam Virginem Mariam exornavit Altissimus, *non dubitat hoc Capitulum suffragia sua cum omnibus antea expositis connectere atque colligare, deprecando simul cum tot venerabilibus Ecclesiae Pastoribus, ut rem hanc denique perficias, et colophonem illi imponas, veluti Cath. Eccl. doctrinam definiendo: BVMariae conceptum immaculatum fuisse.* — Monteregii, Kal. Sept. 1849.

1214. **Eppus Goyasensis in Brasilia.** Sanctissime Pater, Bulla, quam Sanctitas Tua ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos die secunda Februarii anni currentis direxit, post sex menses pervenit ad manus meas, et idcirco solum nunc hodierna die respondeo. Interrogationem Sanctitatis Tuae „Qua devotione Vester Clerus populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus“ maximo cum iubilo cordis mei ambabus manibus suscipio. Sanctissime Pater, anno 1793 mancipatus eram servitio Ecclesiae in certo Vicariatu, in quo constitutus ultra viginti quinque annos permansi, indeque translatus sum ad Praelaturam Goyasensem instructus auctoritatibus mihi per Bullam Sanctissimi Patris Benedicti XIV, quae incipit „Candor lucis aeternae“ collatis postquam iam habuissem titulum Episcopi Castoriensis in consecratione acceptum; quando vero Praelatura haec elevata est ad Episcopatum, factus sum Episcopus Goyasensis per Bullam Sanctissimi Patris Gregorii XVI, quem Deus habeat gloriosum. Qua Parochus, qua Praelatus et qua Episcopus semper praedicavi, praedico et praedicabo quamdiu vixero Mariam Sanctissimam esse immaculatam in sua Conceptione, praedestinatam electione pura amoris atque ab aeterno in silentio aeternitatis a Patre coelesti electam in Matrem Divini Verbi, quod in sinu eius fieri deberet homo; neque potuit Conceptio Verbi Divini ipsa sine Immaculata Conceptione Mariae Sanctissimae effectuari, nam: *In malevolam animam non intrabit sapientia.* Immaculata itaque Conceptio eius erat iam in mente aeterna. Consummata Conceptione temporali Sanctissimae Dei Genitricis in sinu gloriosae Sanctae Annae eadem Sanctissima Mater Dei facta est idonea ad recipiendum tempore opportuno in sinu suo virginali per virtutem Spiritus Sancti Verbum Divinum, illudque unice ex sua carne propria nutriendum, quo sic fieret Mater illius Entis, cuius triplex substantia: Corpus, Anima, et Divinitas sunt in uno solummodo supposito, quod est Iesus Christus, verus Deus et verus homo, *Foemina circumdabit virum,* utpote quae est habitaculum Sapientiae aeternae; *Sapientia aedificavit sibi domum,* quippe Maria non est creata nisi ut sit Templum vivum Divinitatis; *Ad hoc solum est*

effecta, ut templum esset Dei Altissimi. Rationes istae ostendunt Immaculatam Conceptionem Mariae Sanctissimae, quae fuit generata sine peccato originali. *Omnes peccaverunt in Adamo, praeter Mariam Virginem. Mysterium* ergo *Immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae, quamvis adusque solum piae instar fidei cultum, negligi sine horrore nequit, quum sit certitudini infallibili orthodoxae fidei proximum, atque qua tale habitum ab omnibus congregationibus religiosis, multisque Universitatibus catholicis, quae illud tamquam fidem catholicam defendunt propter declarationem multorum Summorum Pontificum huic grandi mysterio favorabilem;* ad huiusmodi Pontifices pertinet Sanctissimus Pater Sixtus IV, qui saeculo XV instituit festum Immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae evulgando aliam pro illius confirmatione Bullam, quae per Concilium Tridentinum innovata est. Multi alii e Summis Pontificibus diversis incubuere defendendo huic augusto mysterio modis, ut erant; Alexander VI, Hadrianus VI, Leo X, Pius IV, Clemens VII, Pius V et Paulus V prohibendo praedicare scribere aut publice vel privatim disputare contra Conceptionem Mariae Sanctissimae. Sanctissime Pater, quavis vice qua praedico „durante vita mea" de Immaculata Conceptione Mariae Sanctissimae, tam publice quam privatim trado doctrinam hanc, quae profundas agit in Episcopatu Goyasensi radices, ubi constanter pulsamus pro Pontifice nostro portas coeli, quod idem est ac pro Ecclesia supplicare; haec enim illi ita est colligata, ut rogare Deum pro Sanctitate Tua idem sit ac rogare pro Ecclesia catholica. Elevando Immaculatam Conceptionem Mariae Sanctissimae ad sublimem gradum fidei catholicae Sanctitas Tua dabit gloriam Sanctissimae Trinitati, cuius illa est Mater, Filia et Sponsa, et faxit Deus, ut illo adhuc die inter vivos existam, quod tamen non multum spero, utpote octoginta quinque annos natus. Pulsabimus etiam magis magisque orationibus nostris portas coeli, ut Pater luminum effundat super Sanctitatem Tuam lucem sui Divini Spiritus ad deliberandum de obiecto tam gravi, ad gloriam sui Sancti Nominis, laudem Immaculatae Virginis, et utilitatem Ecclesiae militantis. Deni-

que precor ut Sanctitas Tua gaudere possit de iudiciis Dei „Quasi aurum in fornace probavit electos Dominus.“ Goyas, die 10 Augusti 1849. *Franciscus.*

1215. **Eppus Guadalaxarensis in Rep. Mexicana** — Faxit clementissimus ille, multumque misericors Pater, qui ardentissimum pro immaculatae Virginis ab originali peccato immunitatis declaratione in populo suo reviviscere fecit desiderium, *ut a S. Ecclesia sua Sedeque Apost. veritas haec iam satis illustrata et explorata tamquam fidei dogma solemni iudicio tandem aliquando definiatur. Haec mea sunt, ac velut a teneris fuerunt, desideria et vota, hoc universa dioecesis vehementer exoptat.* Anne vero pientissimum istud huiusce dioecesis, imo totius Mexicanae gentis, quae ob singularem suam ac veluti innatam erga dignissimam Angelorum Reginam devotionem ‚Mariana‘ haud immerito appellari potest, desiderium tamquam *vulgi imperitia* parvi erit aut etiam nihili pendendum? Neutiquam profecto, maxime cum hac nostra aetate idem sit omnium fere populorum votum, idem expostulent quamplurimi Eppi iteratis petitionibus atque ingeminatis studiis, idem apertissime demonstrarint tot diversarum aetatum et regionum sanctissimi et doctissimi viri, qui verae germanaeque theologiae solidam et expressam effigiem tenuerunt, non vanas fugientesque umbras persecuti sunt nec vulgi imperitiam. Scio equidem, numquam Ecclesiam nova fidei dogmata condidisse, ut gratis fingunt catholicae veritatis hostes infensissimi: sed iuxta Christi Domini praeceptum S. Literas scrutatur, divinam consulit et apostolicam traditionem, nihilque aliud praeterquam quod divinitus revelatum est, tamquam de fide credendum nobis unquam proposuit. Ipsa, ait doctiss. Card. Bellarminus, non habet nec scribit novas revelationes, sed tantum declarat, quodnam sit Verbum Dei scriptum, vel traditum, et quomodo intelligi debeat. Non tamen opus est, veritatem aliquam disertis verbis formaliter et explicite in Scripturis aut Traditione contineri, alioquin nunquam Transsubstantiationis dogma con-

tra impugnatores declaratum fuisset, nec duplex in Christo voluntas adversus Monothelitas, nec plura alia, quae longum nimis esset enarrare. Satis est, veritatem implicite et virtualiter in Verbo Dei scripto aut tradito contineri: neque enim minus fide dignum esse potest, quod secundo hoc modo revelatur a Deo, quam quod explicite disertisque verbis in sacris paginis legimus. Quot vero quantaque sint novi et veteris foederis testimonia, quot vel a primis Ecclesiae seculis SS. Patrum dicta, BVirginis ab originali culpa immunitati faventia; quot etiam Pontifices Summi, Concilia, theologicae scholae, Academiae celeberrimae, Religiosae familiae, nequidem inclyto Praedicatorum Ordine excepto, quot demum clarissimi Antistites, quot populi, quot Principes imm. Mariae Conceptionem iubilando celebrent, firmiter teneant, constantissime praedicent, proximamque huius veritatis definibilitatem palam defendant, adeo compertum est et exploratum, ut ea longa oratione referre supervacaneum existimem, ac, ni fallor, solummodo indicare sufficiat. Ex adiunctis autem prelo datis libellis, quibus omni argumentorum genere BV. conceptio videtur demonstrari, notum S. V. fiet, quae sint horum fidelium vota, quis Academiae sensus, quae demum omnium et singulorum huius Cathedralis Ecclesiae Capitularium sententia. Iamvero quod ad me attinet, ne in gravissimo hoc negotio imprudenter et temere proferrem iudicium, — cum, ut bene advertit sapientissimus Benedictus XIV, Canonici Ecclesiae Cathedralis sint Consiliarii nati Epporum, — ipsorum in gravissima hac re exquisivi consilium et sententiam, cui perlibenter acquiescens, *dico: S. Deigenitricem, Angelorum et hominum Reginam dignissimam, singulari Dei immortalique dono, in primo suae Conceptionis instanti a peccato originali praeservatam fuisse, simulque V. B. rogo, ut hanc veritatem veluti cath. fidei dogma definire ac declarare digneris.* — Guadalaxarae, Kal. Mart. 1850. *Didacus.*

1216. **Eppus Cochabambensis in Amer. Merid.** — Sanctitatem Vestram certam facere possum, *Christifidelium devotionem erga mysterium imm. conc. Deigenitricis Mariae*

in hac dioecesi sicut et in tota America culta ad summum gradum pervenisse, ita, ut nihil amplius desiderari possit, asseverando simul, *solum ab his, qui Christum spernunt, hoc V. Mariae mysterium in dubium verti:* nam *omnes veri Catholici pie et indubitanter credunt, Mariam ab omni peccati orig. labe singulari Dei privilegio fuisse praeservatam, et hoc ipsum de fide definiri omnes exoptant. Nostrum desiderium ac votum plane idem est quod Ecclesiae Catholicae, nempe quod a Sede Ap. definiri possit ac debeat ut fidei articulus, quod B. Deigenitrix Maria a primo suae concept. momento a quacunque peccati orig. macula praeservata fuerit;* nam pro certo habemus illam Virginem plane singularem, quae ab aeterno in SS. Trinitatis Consistorio electa fuit, ut digna Deigenitrix evaderet, nullo unquam tempore esse potuisse sub daemonis potestate, qui est totius sanctitatis infensissimus hostis. Gratissimum mihi totique Clero fuisset, moderni officii imm. conc. Clero Romano concessi recitationem suscipere, nisi illud ipsum esse intelligerem officium, quod hic iam ab a. 1765 recitatur ab omnibus ex concessione Clementis XIII. — Cochabambae, VI Id. Maii 1850. *Iosephus Maria.*

1217. **Eppus Durangensis in Rep. Mexicana.** — Cum peramplae dioecesis Durangensis viae earum descriptoribus barbararum gentium telis mortem undequaque minitentur, cumque etiam permultae parochiales ecclesiae ita sint ab antiquis constitutae, ut nullae in earumdem ditionibus literis excipiendis simul et reddendis inveniantur officinae, non mirum quod nullum adhuc a plurimis sane populis — responsum acceperim. Cuncta autem ea, quae in scriptis desunt placita, ac expressa desideria et vota, his quae modo extant, quaeque undevis *omnia pro illa piissima quidem sententia, ab omni prorsus originis labe Deiparam immunem praedicante, proque huiusmodi sententiae apostolica definitione spirant,* similia sane ac veluti missa et accepta merito erunt ac proculdubio existimanda. Nec eisdem namque opus erat testimoniis, ut de vero Cleri universaeque dioecesis populorum sensu

iudicio ac votis certiorem te facerem, ubi *nulla dissensio nulla unquam vel minima contentio, sed universalis semper extitit et placita viguit persvasio piaque fides* erga singularem illam et ineffabilem gratiam, quae Dei electam creaturam, ante ceteras omnes primogenitam, Mariam V. Deiparamque dignissimam prae filiis hominum a communi orig. peccato praeservavit. *In tota* quippe *qua labe patet Tua dioecesi meis curis concredita,* quam non semel pene integram invisendo peragravi, *nullum inveni populum, nullum oppidum, nullum vel infelicissimum pagum, in quo BMVirginis ob purissimae et immaculatae conceptionis privilegium non ubique laudes extollantur, et ita quidem, ut gratia haec originalis prae cunctis suis aliis quamvis altissimis carismatibus primarium sibi religionis cultum erga Virginem Matrem apud nostrates vindicare videatur.* Atque illud pergrate mihi modo venit asserendum, quod in tanta opinionum, animorum, ac rerum omnium contentione his deplorandis dubii temporibus nullam unquam vel in intimo conscientiae foro, poenitentiae tribunali, huiusce piae fidei haesitationem aut pro ipsamet levissimam invenerim ancipitis spiritus anxietatem. In his autem, quae ingenue ac fideliter hucusque exposui, nequidem venit in mentem, SS. Pater, istius dioecesis erga Matrem dulcissimam, quae spes nostra ac peccatorum omnium refugium, amorem atque ipsius erga Conceptionis mysterium devotionem et cultum extollere adeo et magnificare, ut ceterae Mexicanae provinciae dioeceses huiusmodi sermonibus contemni atque immerito deprimi videantur. Praeterquam enim quod inter cunctos Mexicanae gentis populos unam facile fidem unamque mentem, eademque pia esse desideria ac vota, ut communis hominum Mater coelorumque Regina in Conceptionis purissimae gratia magis magisque laudibus decoretur, in dubium nefas sit revocare: in plurimis etiam Mexicanae ditionis Ecclesiis praeeminens earumdem erectionis antiquitas, gentium etiam et populorum plenitudo, uberioresque idcirco proventus Deiparae Conceptionis cultui dignitatem, amplitudinem ac praestantiam sive altaribus aut sacris aris sumtibusque insignibus dicatis templis, sive religiosis fidelium congregationibus et confraternitatibus, sive denique in solemnitatibus quamplurimis ecclesia-

sticisque concionibus possunt conferre, adeoque, ni fallor, ipsae Durangensis dioecesis tenuitati merito praestant. Pro facultatibus unaquaeque dedit, atque humilis hacc Durangensis nec minima nec ultima reputanda. Permulta itaque ac varia pietatis monumenta, fundationes, annuique reditus, solemnia etiam aut constanti periodo instituta, aut temporis eventu succedentia, atque devotae consvetudinis hinc inde praxis, quae in amplissimo dioecesis territorio amantes filii in purissime conceptae Matris honorem et cultum statuerunt, non facile sunt recensenda. Nec desunt quidem Durangensis ditionis populi, longo ab eadem intervallo dissiti ac remoti, qui, ubi fas esset, in his, quae ad BVirginis immaculatae cultum attinent, cum Civitate eorum capite sanctissima aemulatione contenderent. In hac itaque Cathedrali Ecclesia, quae ab erectionis suae exordio Augustissimam Dei Matrem in ipsomet purissimae conceptionis mysterio inclytam sibi ac singularem agnoverat Patronam, semperque iam inde tanto patrocinio sese iactat, ampliora simul ac perfectiora, uti par erat, erga purissimam Virginem amoris ac religionis signa explicantur. Verum nihil est, quo denuo cuncta illa referam, quae in adiuncto Cathedralis Capituli iudicio et expositione copiose tradita sunt; illud attamen dicendum, in eoque facile incumbendum existimo, scilicet quod universa haec dioecesis nulla exceptione sive in Clero sive in communi fidelium ordine, nulla limitatione mihi hucusque nota, in spiritu et corde immaculatam Virginis conceptionem habet ac veneratur. Cum vero iam de me ipso sermonem fieri oporteat, B. Pater, ad maiorem Omnipotentis Dei gloriam eiusque meritissimae Parentis laudem dictum esto, *quod antiqua illa persvasio, qua singularis praeservativae gratiae ob Filii praevisa merita Deiparae concessae mens ita firmiter adhaeret fidei, ut Mariam V. in ipsomet primo conceptionis momento ab omni labe longe purissimam de Creatoris manu evasisse ad ultimum usque vitae extremum, ad usque sangvinis effusionem Domino adiuvante sustinere paratus sim, illa, inquam, persvasio aut fides, meique intimi cordis affectus ac desideria, ut hviusmodi Deiparae gratia Ecclesiae Cath. oraculo amplissimaque definitione fulciatur, in animo quidem aemulantur, atque, ut ita dicam,*

vires suas disceptando ostendere videntur. Ubi namque illud piae fidei obiectum catholicorum dogmatum catalogo apostolica auctoritate adscribetur, atque in universa Christi Ecclesia nulla haesitationis formidine ob eiusdem Christi honorem ipsius Mater ab animationis exordio semper sancta et intemerata, semper immaculata et innocens maxima fiducia exaltabitur: nihil dubium, B. Pater, quin Deus O. M. qui glorificantes se glorificat, fidelium omnium corda ineffabili gratia et gaudio perfundat. Benedictus Dominus Deus, semperque laus eius in ore meo, quod tanto desiderio mihi humili servo suo iamdiu vota illa facere dederit; *plus* etenim *quam 30 abhinc annis* (ecce coram Domino, quia non mentior) *quotquot Sabbata pluribus quam 30 anteactis annis fuerunt hucusque elapsa, quotquot evenerunt Mariae celebranda festa, tot sacra celebravi, tot sancta Missae obtuli sacrificia ea praefixa intentione eoque fine, ut immaculata eiusdem Deiparae V. Conceptio solemni Ecclesiae decerneretur iudicio.* Quamvis vero ita sim ab antiquis institutus, amplissimoque illo ac pene divino honore abs dubio prosequi mereatur, quae digna digni, quae unius una, quae pulchri pulchra, columba, et immaculata, quae Domini perfecta est, atque in divitiarum thesauris filias supergressa fuit universas: mea quidem lingva meis haereret faucibus, B. Pater, calamusque ipse de manu illico delaberetur, ubi dissertantis et oratoris partes mihi opus esset absolvere, atque sapientum assensum meis trahere imperitis sermonibus oporteret; verum non ita quidem: insignium Praelatorum placita ad usque Pontificiae maiestatis solium accedent innumera, eisdem nihilominus nullatenus indiget Sanctitas tua: Beatissimus siquidem Pius IX P. M. quidquid ad rem illam confert, in semetipso complectitur, bibitque aquam de cisterna sua et fluenta putei sui. Ast ubi SS. praedecessorum suorum insequendo vestigia huiusmodi controversiam dilucidatam penitus omnibusque numeris absolutam sibi exhiberi contenderat, illud iam antea paratum et constitutum cernimus in clarissimorum virorum sapientia et eruditione, qui tali tantoque ipsis concredito muneri omnino satisfacient. Illo itaque onere meis tenuissimis viribus impari prorsus exemtus, quae mecum ipso saepe cogitavi, summatim brevique oratione complecti aggre-

dior, ut ardentissima, quibus pro immac. conc. Deigenitricis nostraeque tenerrimae Parentis atque coelorum Dominae gloria iamdiu flagro, desideria magis magisque confirmem, atque ea etiam, quibus meum innitatur iudicium, fundamenta pandantur. De innumeris igitur, B. Pater, quae me in eam adduxere sententiam, aliqua, licet pauca nimis, commemorare patiaris.

Dum nullis adhuc Ecclesiae Cath. sanctionibus in contrarium adstringimur, dum multiplicibus iisque insignibus eiusdem veritatis magistrae omni seculorum aevo atque universo catholico orbi exhibitis exemplis vehementer excitamur, ut nihil nisi grande, nihil nisi magnificentissimum de singulari illa proferamus creatura, quam ut divinis cumularet carismatibus Omnipotens ipse Deus, fecit potentiam in brachio suo, largissimamque illam suam, qua aperta omnia implebuntur bonitate, manum munificentissime extendit; dum eiusdem Ecclesiae Cath. consvetudine et doctrina omnem praeeminentem honorem, omnem praerogativam excelsam, omne denique donum perfectum, dummodo fidei consonum, B. Deiparae Virgini tribuendum edocemur: fasne erit unquam de immaculata Virginis Mariae Conceptione aliter iudicare? in adversumne fas esset devenire iudicium, inter duo illa extrema constitutis: altissimum et impervium alterum, minime vero incommutabili veritati contrarium; tristissimum alterum valdeque deplorandum, Mariaeque ineffabili dignitati nullatenus consentaneum? Fas essetne Deiparae V. perpetuitatem in gratia non agnoscere, cum Ecclesia sancta, columna et firmamentum veritatis, licet nondum eam veluti dogmaticam veritatem tenendam solemni decreverit iudicio, non tamen possit quin amplissimis testimoniis ostendat, eandem ipsam semper in animo habuisse, et talem habitam fuisse ab omnibus eius filiis, quippe carissimam Virginem Matrem ab animationis suae incunabulis intemeratam et sanctam, honorandam et praedicandam? *Quis aut qualis sensus et spiritus, quo Sixtus IV, Pius V, Paulus V, Gregorius XV, Leo X aliique quamplurimi ss. record. Pontifices Maximi ad eum usque, qui modo universalem feliciter regit gubernat ac moderatur Ecclesiam, literas suas et Apost. Constitutiones edi curaverunt, in quibus*

sententiae adstruenti Deiparae omnimodam puritatem ita sese propitios et cultores ostenderant, ut doctrina illa hodie pene veluti divinitus inspirata per omnes qua late patet cath. orbis ambitus elucescat? Altissimis enimvero et inscrutabilibus fuit aliquando in consiliis, ut pia illa et sancta sententia non uti sol refulgens appareret in medio coeli, sed inter opinionum nubila fulgoris sui radios ita olim absconderet, ut virorum etiam literis vel sanctitate insignium gravissimam subiret contradictionem. Verumtamen *opinionum conflictu almae veritati semel aperta via, SS. Virginis incolumitati adversa sententia pene oblivioni tradita, adusque interni fori tenebras, si aliquis fuerit ipsi locus, Constitutionibus Apostolicis gradu quidem presso tandem redacta est.* Verum ab his etiam arctissimis sane limitibus nonne Conceptionis intemeratae Virginis amatorum plausibus iam temporis decursu penitus depulsa videtur? Atque illud ipsa Ecclesia Sancta non solum indirecte, antiquae et obsoletae contrariae sententiae angustissimis praestitutis mensuris, sed satius etiam et abundantius vel cumulatissimis gratiis immaculatae Conceptionis cultoribus benigna manu perfusis; vel mysterii publicum cultum foventibus elargitis concessionibus, Apostolicae etiam Sedis mandato roboratis; vel innumeris denique SS. Literarum sententiis ipsius Ecclesiae auctoritate intemeratae Virgini honorificentissime applicatis, proculdubio praestitit, atque fidelium animos ita comparavit, ut dum Vaticanum intonuerit oraculum, ab omnique labe purissimam Mariae conceptionem solemni statuerit iudicio, omnes quidem uno ore unaque mente qua par est animi demissione et reverentia quod iam antea pie credidimus, altero tantum ac omnium firmissimo fidei motivo velut catholicum dogma tandem aliquando profitebimur.

Adlaborantes quidem indefessi sancti et antiqui Ecclesiae Patres, quorum luculentissimis scriptis perennibusque BVirginis praeconiis piae fidei aperta via, quique magnae et optatae diei, si tandem elucescat, auroram praevenerunt, quandoquidem eisdem in terris minime datum est quam viventes speramus veritatis videre lucem, nobiscum coelorum ineffabili et indeficienti gaudio collaetabuntur. O utinam ingenium tempusque esset, ut selecta aliqua de innumeris, quae

in SS. Patrum scriptis in Mariae purissimae laudem reperiuntur, testimonia traderem! Ast non est, quod illa repetam, quae in recensa huius Cathedralis Capituli disquisitione conspicua electione et methodo congesta sunt et ordinata. Sacrarum vero Literarum eloquia nonnulla aperienda hic sunt, iuxtaque mearum virium tenuitatem explananda. Atque eidem mei ingenii tenuitati tribuendum existimo, ut incredibile penitus mihi videatur mirarique dignum, quod peremineutis sapientiae viri inimicam Virgini sectarentur aliquando sententiam, et ipsi gratiae Matri, per quam lux mundi venit et introivit in mundum, serio, graviter et ultro primaevam gratiam denegaverint. Ita quidem *clare ac distincte in SS. Scripturarum literis veluti expressam, earumque spiritu et sensu comprobatam Mariae Matris purissimae originalem innocentiam iudico.* Contagium, contaminatio, delictum, peccati mors, sub daemone vel ictu oculi servitus, ira Dei, cum de alma sanctitatis ac iustitiae Matre agitur? Absit et quam longissime absit a nobis! Quid etenim deest, nisi sacratissimum eius nomen quintodecimo Capitis tertii Geneseos versiculo, ut de ipsa Maria Virgine prophetia illa directe dicta eidemque expresse applicata conspiciatur? Inimicitias, inquit, ponam inter te et mulierem, ipsa conteret caput tuum. Verum quae aut qualis illa fortunatissima mulier, quae antiqui serpentis sustineat inimicitias, eius fortiter devincens vires, atque illius infensissimi draconis caput feliciter conterens, nisi inter omnes mulieres benedicta et super choros Angelorum exaltata puella? indignane futurae et dilectissimae suae Matri restrictione et limitatione locutus est Dominus, aut quae locutus est, non implevit ac perfecit in tempore? Omnimoda enimvero supremi et infallibilis SS. Scripturarum sensus iudicio, Ecclesiae Sanctae auctoritate mihi opus esset, ut in illa Genesis muliere felicissima excelsam et inclytam Virginem Deiparam ab ipso Angelo inter mulieres benedictam ultro non agnoscerem. Ast ubi illa ipsa fuerit tanta spiritus plenitudine illius prophetici sermonis praenunciata mulier, suamne cum serpente inimicitiam praestansque bellum prostrata et devicta inciperet? Quae draconis erat iuxta Dei promissa contritura caput, turpe inferorum mancipium vel in incunabulis moesta planget et eiulabit?

Quod vero honorificentissima illa sententia, quae prima inter V. T. prophetias adnumeratur, in Dei Matris honorem proculdubio continet, in primordiis etiam N. T. ab Angelo confirmatur, dum Virginem salutans ait: Ave gratia plena, benedicta tu in mulieribus. Quamvis etenim nihil in allatis demirandi Angelici sermonis neque in subsequentibus verbis aliquid, cuius sensus ad usque primam BVirginis originem clare expresse et ineluctabiliter tendat, invenire fas esse non diffitear: neque quid tamen in earum contextu aspicere licet eidem sensui reluctans, eademque quinimo ipsa et tam singularis atque extraordinaria missionis natura, eadem perexcelsa et altissima Regis aeterni maiestas, decor ipse ac divinae maternitatis dignitas, quam Dei legatus et minister coram Maria Virgine sistens ipsi futuram prae omnibus carissimis gratiae filiabus denunciat, merito sibi reposcunt. Cuncta illa namque a nobis exigere videntur, ut omni deposita formidine omnibusque indecoris limitationibus depulsis, nobili ac liberali animo procedamus, dum illam, cuius ab Angelo Maria praenunciatur plena, gratiam definire contendimus. Atque Ecclesiae Scriptores Mariani, universa sibi plaudente Ecclesia, in purissimis Mariae Virginis labiis reponunt illa Isaiae: ‚Gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, quasi sponsam ornatam monilibus suis,' et ea etiam Ps. 40: ‚Me autem propter innocentiam suscepisti et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum', atque insuper illa, quae in eodem Psalmo praecedunt: ‚In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.' Iure attamen ac merito super Dei veram et augustissimam Matrem gauderet inimicus, ubi ad usque primum Conceptionis eius tempusculum non sese illa extenderet gratiae plenitudo, de qua nuntius Angelus congratulatur inquiens: Ave gratia plena. Quanta praeterea largitate et munificentia, quanta diligentia et industria sapientissimus olim Salomon omnes praeparavit impensas, omnesque in sacris uni Deo vero aedibus conficiendis regulas statuit adhibendas, legesque et constitutiones servandas, quippe qui non hominibus domum aedificare, sed ei, quem coeli capere non poterant, templum erigere satagebat: quanta vero antea,

cum in deserto tabernaculum testamenti struendum erat, sedulitate et studio, quanta cura et ordine, quanta rerum omnium copia, in perficienda supellectili, in arca praesertim foederis elaboranda cuncta iussit et indidit Deus, ut undequaque rerum omnium pretiositas atque materiae incorruptibilitas undequaque vigeret, omnibus sane vel mediocriter in S. Literis versatis manifestum est. Quid vero illud Salomonicum templum, quid illud foederis tabernaculum, quid illa denique licet venerabilis Arca, ubi cum Maria ab eisdem significata symbolis conferuntur? illucne nihil quod non purum et sanctum, nihil quod non pretiosum valde et incorruptibile; huc vero corruptio et peccatum, originalis macies ac deformitas, Deique denique ira atque odium? Suffocetur hic spiritus, antequam per Virginis dedecus in haec Numinis erumpat opprobria: gloria siquidem filiorum patres eorum!

Ad ea vero iam tandem deveniamus, *quae tenerrima Parens, pientissima Domina Regina et Advocata nostra, Dei vivi templum, Spiritus S. sacrarium, de semetipsa loquuta fuerit, quaeque ad omnimodam gratiam, ad immaculatam imo eiusdem conceptionem referri videntur.* Et statim quidem suapte quasi natura veniunt recolenda, quae ab inclyta *SS. Redemtoris Ordinis* fundatione ipsius Mariae Virginis accepimus dicta, nempe: *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali. — Aurea hora fuit conceptio mea, nam tunc incepit principium salutis hominum; Deus namque singulare quoddam et a seculo absconditum facere voluit in opere suo.* Quamvis itaque testimonia illa grandia nimis et attentione dignissima merito sint reputanda, utpote quae in *B. Birgittae,* eximiae sanctitatis Virginis, *Revelationibus,* magna semper aestimatione habitis atque a SS. *Benedicti XIV auctoritate roboratis,* innituntur: nimine vero diffitendum est, nulla alia testimonia illa nisi privatae revelationis firmitate pollere. Alterius idcirco generis pro rei ipsius magnitudine ac praestantia argumenta inquiramus. *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.* En iuxta evangelicam lectionem sancta simul et pulcherrima verba ab humillima inter humiliores creatura, et quidem eo tempore, quo Unigenitus Dei Filius, gloria et splendor Patris, virginali

suo gestabatur claustro, atque Spiritus S. gratia idcirco ipsa erat undequaque circumfusa, prolata: ex quibus praecipuum mihique fortissimum pro conceptione immaculata desumitur argumentum. Beatam, inquit, me dicent omnes generationes! O si datum esset mihi aliquando, illud omne, quod in his duntaxat aureis venerandisque verbis contentum reperio, satius exprimere, atque ea qua par est dignitate evolvere! Ast cum virium mearum exiguitati tantam navare operam minime liceat, quae secum ipsis coniunctim supradicta omnia Deiparae verba deferunt, tantisper contemplanda, atque ea qua polleo intelligentia aperienda sunt. Ergone, memetipsum alloquor, Mater veraque Genitrix Filii Dei Altissimi, qui caro in castissimo Matris utero factus, ergone creatura illa perfectissima, quae filia aeque ac Mater Dei et Sponsa, omnia simul, Augustissimae Trinitatis templum, donorum et gratiarum insignis epitome, in Domino gloriatur et exultat, quod ei magna fecerit qui potens est et sanctum nomen eius? in iustitia ergo et gratia originali concepta fuit. Sed quomodo eidem ita secumipsa iactari licet, quod Omnipotens magna fecerit, ubi Omnipotens ipse, cui ut omnia fiant satis est si velit, eandem originis sorde foedatam relinqueret? Quae aut qualia in tam sordida atque coinquinata origine firmaret ipse Deus dona et carismata, quae ab eadem divinitus illustrata Virgine veluti magna virtute facta conclamantur, ita ut ad Dei omnipotentiam referenda sint et sanctitatem? Quae et qualia in ore Virginis veluti magna personant, dum sese, quod Dei sui Creatoris et Magnificatoris semper ipsa fuisset, iactare non liceat? Quae et qualia tam grandia nimis, quibus non ipsa Deigenitrix Virgo ultro ac libentissime renunciasset, ut originalem tandem aliquando gratiam obtineret? Vel etiam excelsum Dei maternitatis fastigium, si evangelicam attendamus lectionem, purissima Virgo sponte reiiceret, ubi cum alma ipsius virginali integritate dignitatem illam modum non habere dignosceret. Illo autem quamvis aestimatione dignissimo virginitatis dono absque peccato exui quemque posse manifestum est. Quid vero, si non tam divina maternitas, verum etiam et puritas virginalis cum originali iustitia in animo Virginis dimicaret? illis enimverò reiectis hanc sustinuisse gratiam

existimandum est. Sciebat igitur magnificator Deus, omnipotens Filius optime noverat, quanti honoris et aestimationis apud praedilectam ipsius et augustissimam Matrem originalis ab omni labe immunitas futura, atque ubi magna idcirco in altissimis consiliis eidem elargiri decreverat, a primaeva et originali gratia incipiendum conspiciebat. Inde igitur ultro atque strenue iudicandum existimo, quod felicissima illa creatura, quae Gabrielis ab ore audire meruit, ‚invenisti gratiam apud Dominum,' quae a Deo opifice ita diligitur, ut ad operis gratiae suae dignissimam exaltationem vel firmiores naturae leges contemtae et interruptae aspiciantur, quid illa, inquam, propter carismatum gratiaeque singularitatem iure ante omnem creaturam primogenita nec a Creatoris manu accepta munera appellaret sibi magna, nisi a iustitia originali inciperent, talique solido ac firmissimo sisterent fundamento. Veritati ergo praebeamus testimonium, ita mecum ipso cogito, ut illud meum iudicium et antiqua sententia novo adhuc robore firmetur, quae aut qualia Domino ac supremo rerum omnium Dominatori obstare potuissent repagula, ut Mariam Matrem a peccati sorde non ultro liberaret? quae aut qualia essent sempiternae iustitiae argumenta, ut veluti gratiae carismata ad extremum resecando Omnipotens Deus supernaturalibus donis cumulandam creaturam prima et originali iustitia orbatam relinqueret? Necessumne omnimoda et absoluta necessitate existimabimus, quod nec ipsa Deipara exempta omnes omnino homines illa gentium Apostoli funestissima sententia ‚Eramus filii irae sicut et ceteri' complecteretur? Tantine Redemtoris Christi merita nec tenerrimae et carissimae Parenti Virgini illius formidandae legis privilegium obtinerent? infandone semel decreto sancito ab universali hominum ruina quemque eripi ac salvum fieri non posse existimabimus?

A Sacrarum quidem Scripturarum paginis huiusmodi quaestionis venit reddenda solutio. ‚Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?' olim patientissimus Deum alloquens aiebat Iobus: Nonne tu, qui solus es? Ergo divinis aperte edocemur literis, Omnipotentem in sua habere potestate, quemquam a peccati originalis sorde liberare. De illa namque excelsa potestate, qua homo non quidem ab

accepta actualis peccati macula, sed ab ipsa infecti seminis contagione eriperetur, Iobum agere nemo ibit inficias; cum potestas illa, si literam et ipsius spiritum contemplemur, supereminens sit et extraordinaria, in suoque ordine suprema potestas, atque natura sua demum, ut ita dicam, controvertibilis. Ad huiusmodi sensum accedit praeterea 70 interpretum lectio: nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram; infans siquidem, cuius unius diei vita, ab actuali peccati sorde et inquinamento incapax semper et ubique iudicandus est. Verumtamen tam longe abest, (forsitan respondet aliquis) quod supradictus Iobi textus immaculatam Mariae V. conceptionem confirmet, ut eundem quinimo ad contrariam sententiam firmandam proferant aliquando adversarii, in eiusdem nimirum sacri sermonis universalitatis forma: ‚nemo mundus a sorde', abs dubio rati, eodem sane rationis specimine, quo illa Pauli: ‚omnes quidem peccaverunt et egent gloria Dei, — in quo omnes peccaverunt', aliaque similia, antequam veritas elucesceret, in contrariam olim protulerant sententiam. Ut vero laudata haec rationum momenta penitus evanescant, illud tantummodo, uti credo, afferendum est, nempe universales illas propositiones, quae quidem verae sunt atque omnimoda firmitate firmissimae, utpote divina auctoritate fultae, singulari alicui, velut BVirginis, privilegio non obsistere. Si contradicentes namque et adversantes sibi propositiones veras simul esse non posse ratio demonstrat, cum generali aliquo decreto singularem eiusdem legis exemtionem gratuitam aliquando stare, cum illoque hanc minime secum ferre contradictionem altius et superius lumen supernaturale confirmat. Haec quippe ‚non pro te sed pro omnibus haec lex constituta est' divinae etiam revelationis sigillo obsignata atque providentiali aliqua ad propositum relatione propter exceptae ab lege etiam mortifera illius mulieris adiuncta fortasse reperimus: illa siquidem laudata mulier non alia est, quam clarissima et fortissima Esther Regina, BDeigenitricis Mariae terrarum ac coelorum Reginae insigne symbolum. Nulla itaque vera et realis oppositio habetur illam inter mortis legem qua omnes adstringimur, atque hoc singulare et penitus gratuitum privilegium,

quo absque labe peccati omnium creaturarum felicissima concepta fuit. Alioquin Tridentinum Gen. Concilium semel contradictione uti par erat aperta, dum circa peccatum originale dogmatica conderet decreta, BVirginem in eisdem complectendi animum non habere minime praenotasset.

Iamvero munera omnia, quibus venerabiles Tuae literae occupantur, B. Pater, hucusque explevi. Posteaquam enim antea typis admandatas universae dioecesi publicas effeci, demandatasque inibi preces indixi, in praesenti humili expositione quae qualiaque fuerint semper iudicia, quique omnium Ordinum circa immaculatam BMV. Conceptionem sensus, exposui; meaque flagrantissima cordis desideria, meamque mentem ingenue ac fideliter aperui; quae meam sententiam fundamina firmant, Ecclesiae scilicet Catholicae propensiones, et consvetudinem atque ipsius veluti auctoritatem, splendentia SS. Patrum placita, sacratissima denique divinarum Scripturarum eloquia summatim brevique oratione complevi. Nihil aliud itaque superest, nisi ut te orem atque obsecrem, B. Pater, ut — felicem hunc diem, quo apostolica definitione immac. conc. mysterium signetur, quamprimum elucescere facias; atque ut Durangensis Eppi suffragium supremo tuo et irreformabili submissum iudicio, aliquid vel exigui imponat ponderis, *SS. Deiparam Mariam V. in iustitia et gratia absque originalis peccati macula fuisse conceptam, iudico, affirmo, et pronuntio.* — Durangi in Rep. Mexicana, pridie Iduum Maii 1850. *Ioseph Antonius.*

1218. **Eppus Emeritensis in Amer. Merid.** — Inprimis verba faciens circa *devotionem, quam iuxta piam sententiam totius Americae antea Hispanicae incolae et praesertim huius meae dioecesis populi erga miram immaculatam BMV. conceptionem profitentur, eam indubitanter assero universalem, constantem, tenerrimam et firmissimam esse.* In comprobationem ad rem non parum interest referre, pueros statim ac voces balbutire incipiunt, a parentibus edoctos Deum simulque SS. eius Matrem his verbis frequenter collaudare:

,Benedicta et laudabilis sit SS. Trinitas, et Aug. Altaris Sacramentum, et imm. conc. V. Mariae D. N. in gratia conceptae a primo suae animationis instanti. Amen.' Quae laus nostra vernacula lingva ,El Alabado' dicta adeo est diuturna et communis, ut crebro ab omnibus indifferenter usurpetur tum in fine omnium precum, tum ad impetrandam benedictionem sacerdotum et parentum naturalium, tum mane et vespere in assvetis orationibus, tum ad agendas Deo gratias post prandium, tum denique ante exordium sacrarum concionum, prout a lege synodali praescribitur. His accedit, in hac Universitate ex multo tempore statutum fuisse neminem professorem fieri, neque studiosos qualemcunque gradum accipere, priusquam iureiurando se non obstringerent ad propugnandam BVM. conc. immac. Insuper BMaria sub tali invocatione non modo Patrona universalis Americae cum Hispania existit, verum etiam canonica erectione titularis meae Ecclesiae Cathedralis totiusque Eppatus fuit designata: cuius festivitas 8 Dec. fervore maximo, ingenti laetitia, piisque devoti animi significationibus celebratur. Demum persvasionem de immunitate laudatae V. Mariae ab omni peccati probro in istis locis ita inhaerere ex eo coniici potest, quod cum vulgus, seu ii qui scholas non frequentarunt, exequi viderent publicas preces a me dispositas ad obtinendum miserentis Dei auxilium in Suae Sanctitatis futura decisione, prout in Encyclica praecipiebatur, mirabantur et obstupescebant, quoniam haec piissima opinio adhuc fidei dogma non esset. Hinc, SS. Pater, *Cleri, Universitatis, omniumque fidelium vehemens studium: ut quantocius publica decisio solemneque iudicium pronuncietur,* quo S. Sedes Ap. utpote petra et fundamentum Ecclesiae, cath. fidei unitatis centrum, infallibilisque veritas procedat et declaret, BVMariam fuisse ab orig. labe praeservatam, ita, ut deinceps non solum mente et affectu, sed etiam corde credamus et profiteamur hoc opportunissimum fidei dogma. Quod ad me attinet, *potentissimis rationibus suffultus ex S. Scriptura, Ecclesiae traditione, necnon SS. Patrum et Summorum Pontificum oraculis depromtis, sentio et iudico cum Summo Pontifice Alexandro VII iuxta Const. ab ipso editam 1661, animam BMV. a primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse*

speciali Dei gratia intuitu meritorum Christi a macula peccati originalis praeservatam, exoptans interea, ut, sicut mea voluntas, intellectus, cor ac totae meae vires hanc veritatem acclamant, sic Sanct. Vestra procedere dignetur in tam optatissima fidei declaratione. — Emeritae, 13 Iul. 1850. *Ioannes Hilarius.*

1219. **Eppus Vancouveriensis in Amer. Septemtr.** In medio itinere, causa exhibendae Stti Vrae profundae meae reverentiae ac submissionis praesuscepto, in Canadensi regione commoranti, consignatae sunt mihi encyclicae literae, ad omnes Eppos Christianitatis directae, quibus Sttas Vra suam intentionem, quoad immaculatam Conceptionem, Dei Genitricis Mariae dogmatico iudicio adserendam annuntiat, una vero in tanti momenti negotio suffragio precum fidelium muniri exoptat. Ima cum reverentia, magnoque simul cum gaudio suscepi has literas, fortunatum me praedicans, quod concessum mihi sit, insigni Sttis Vrae in Matrem Dei zelo satisfacere, prompta adhaesione erga doctrinam, solemni et dogmatica sententia Sttis Vrae definiendam; quae quidem definitio cumulabit gaudium catholicorum, qui unanimi voce immaculatam in sua Conceptione praedicant Illam, quam Deus Pater elegit, ut ad sublimem dignitatem Matris filii sui, Salvatoris humani generis evehatur. *Dum* itaque *ferendae per Sttem Vram decisioni e toto corde adstipulor, me errare minime paveo;* nam divinus Auctor religionis cum Petro est in sacra persona Beatitudinis Vrae, et orando: ne deficiat fides Petri, pro Eadem quoque oravit. Ille enim semper fuit, est et erit usque ad consummationem seculi cum suis Apostolis et legitimis eorum successoribus. Idcirco ad pedes Sttis Vrae provolutus, *vocem, vota, desideriaque mea, illis reliquorum Episcoporum Catholicitatis coniungere propero, eandem obsecrans: ut virtute plenitudinis potestatis, quam Ecclesia in Vicario Iesu Christi semper suspexit, enuntiare velit, Mariam, Matrem Dei, semperque Virginem in sua Conceptione immaculatam fuisse.* Caeterum num non ipsa Ecclesia, a Spiritu S. illuminata et directa, hanc doctrinam

sat luculenter probavit, tam universalem Mariae cultum admittendo, tantaque festa in eius honorem instituendo? In regione Canadensi, natali loco meo, patres suis prolibus hanc piam fidem reliquerunt, quae rursus tam ferventi devotione Mariam, eiusque immaculatum cor honorant, ac si haec pietas articulo divinae fidei superaedificata esset. Quantum ad provinciam *Oregonis*, in qua Dominus, pro sua infinita bonitate ministerio meo a decem annis utitur, — incolae huius terrae, in devotione et fiducia erga Matrem Dei, nihil cedunt fratribus suis Canadensibus. Illa vero octo millia ferorum, qui fidem iam amplexi sunt, pariter singulari pietate in B. Virginem feruntur, eiusque rosarium collo appensum gestant.

Numquid Ecclesia aevo nostro, dum humanae passiones, laxatis froenis grassantur; dum infernus ipsi Deo et Christo eius bellum indixisse videtur, potenti intermediatione Mariae non indiget? An non, intercedente Maria, triumphans e terribili lucta consurget, quam, permittente Deo, inimici adversus eandem suscitarunt? An immaculatum cor Matris non poterit gemitibus suis excitare Filium, qui in navicula dormire videtur, dum fluctus et tempestas submersionem eius minantur? Acceleret, quaeso, Sttas Vra, illud momentum, quo ad aeternam Urbem reversa, et supra cathedram Petri rursus considens, decretum, quod universus catholicus orbis ardentissimis votis exoptat, enuntiabit; certe omnes Catholici benedicent Stti Vrae, et multiplicabunt suas preces, pro ocyori Eius reditu in medium populi sui. Gloria nominis, in medio tribulationum parta, augebitur, expletis votis fidelium, quorum pietati erga Mariam, et fiduciae in potens eius praesidium tunc tantum perfecte satisfiet, dum pia haec sensa, articulo divinae fidei ideoque immutabili confirmata fuerint. Cum vero *Archi-Episcopus Civitatis Oregonis* (Oregoncity) et *Eppus Wallavallae* responsa sua Stti Vrae serius dumtaxat substernendo sint, me praevie sensorum, quibus animantur, interpretem agere posse, eo magis confido, quo perfectiorem illorum erga Mariam devotionis, et augendae eius gloriae desiderii cognitionem habeo. — Romae, 21 Ian. 1850. *Modestus*.

1220. **Eppus Mariannensis in Brasilia.** Sanct. Vestrae literas — summo cum gaudio recepi; iam enim licet sperare, BVirgini omnium fidelium Matri novum hunc mox decernendum esse triumphum. Quae quidem spes omnibus fidelibus et clericis istius Ecclesiae nonnisi pergrata esse potest. *Omnes* enim *firma persvasione tenent, et in orationibus suis palam profitentur, SS. Mariam absque ulla peccati labe fuisse conceptam. Et haec mihi est semperque fuit convictio fortissima,* quae ut ita sit, plurima svadent. *Movet me inprimis auctoritas supremae illius Cathedrae Petri, quae falsa nec probat nec tacet.* Quis enim ignorare potest, a multis iam seculis Pontifices Romanos huic de imm. conc. doctrinae aperte favere? Movet me tot et tantarum Universitatum auctoritas, tot Theologorum probationes, tot Patrum dicta. Movet me Christi Domini dignitas: nec enim aliquo tempore, ne uno quidem instanti peccato vitiatam, infernali serpenti obnoxiam, Deo odiosam talis Filii Matrem arbitrari possum. Movet me, et multum movet illa tam universalis fidelium erga immaculatam Mariam devotio tot gratiis remunerata, tot miraculis firmata, et quae profecto nonnisi a Spiritu S. originem ducere existimanda est. Quapropter *vehemens mihi inest desiderium, ut ab Ecclesia tandem definiatur, B. Deigenitricem absque ulla peccati labe fuisse conceptam.* Dum enim propter illud eminens privilegium speciali cultu in toto orbe honorabitur Mater misericordiarum, novae maioresque de coelo in terram profluent gratiae, sanctaque Dei Ecclesia nunc quidem tot procellis agitata, tot calamitatibus oppressa, tot inimicis impugnata, tot impietatibus oppressa, aliquantulum fortasse in protectione Reginae coelorum requiescere poterit. — Datam autem definitionem veluti Petri oraculum recipiam, et libenter cum D. Augustino dicam: Rescripta venerunt, causa finita est. — Mariannae in Brasilia, 28 Ian. 1850. *Antonius.*

1221. **Eppus Guaianensis in Amer. Merid.** — Ex quo primum perpendere potui illam tot seculis exagitatam quaestionem de singulari privilegio, quo nostri Redemtoris

Mater ab orig. peccati macula in conceptione servata fuit: *quae eiusmodi privilegium sustinet, doctrinam adeo validis fulciri fundamentis inveni, adeoque perspicuis et arctis rationibus et argumentis theologicis, gravissimos praeterea textus S. Scripturae tam bene ei ut par pari accommodari, eandem insuper doctrinam tam universim a fidelibus creditam, eique tandem favendae Ecclesiam ipsam sic proclivem, praesertim in SS. Concilio Tridentino: ut inde iam ex eo tempore BVMariam in ipso Conceptionis momento ab originali labe, qua filii omnes Adae coinquinati nascuntur, immunem servatam fuisse, tamquam divinae fidei veritatem semper crediderim,* venerans tamen silentium Ecclesiae, atque eius supremum sperans iudicium, cui omnis se intellectus submittere tenetur. *Haec, B. Pater, mea est sententia, quam sic profero, ut ex intimo animo teneo, et hoc praecipue studio flagro, ut admirabile immac. Conc. privilegium inter fidei cath. dogmata quamprimum annumerari obtingat.* Omnes gregis mihi commissi fideles perinde ac omnium harum regionum, quae antea Regum Catholicorum ditioni erant subiectae, insignem ac praeclaram devotionem erga imm. conc. V. Mariae utpote Hispaniarum et Indiarum Patronae, publice profitentur; ac festum in eius honorem die 8 Dec. magna cum pompa celebratur in omnibus fere Ecclesiis, ex quibus plures huic nomini sunt consecratae. Nec illud praetereundum est, plerosque fideles, quod de hac re quantum necesse est haud sciant, imm. Conc. hactenus persvasissimam habuisse tamquam definitam fidei cath. veritatem. Ex quo fit, quantum illi et quam sanctum assument gaudium, cum veritatem, quam naturali duntaxat sensu ut de fide habebant, Ecclesiae tandem explicito sensu ac infallibili auctoritate videant firmatam. — Caracae, XII Kal. Mart. 1850. *Marianus.*

1222. **AEppus Sydneyensis in Amer. Merid.** Cum mense Septembri 1847 per R. D. AEppum Coadiutorem Corcyrensem Romam miserimus humilem petitionem, ut Sanctitas tua declarare dignetur, immaculatam Conceptionem BMV. tenendam esse de fide, Sanct. tua dubitare nequit de gaudio,

quocum nos humiles filii tui in his distantibus orbis partibus accepimus Encyclicam tuam datam Caietae die 2 Febr. 1849. — Sydneiae, 5 Mart. 1850. *Ioannes Beda Poldinay, O. S. B.*

1223. **Vic. et Praef. Apost. Guadalupensis seu Imae Telluris.** (Ad Card. Praef. Propag.) — Nobis pergratum est, *eximiam laudare pietatem pusilli gregis Guadalupani erga BMV. sine labe conceptam. — Ardentissimo desiderio flagramus, ut SS. Papae Pio IX ac Spiritui S. videatur, SS. Matrem D. N. I. C. labe originali immunem proclamare.* Tantum iudicium pro gratitudine habebimus erga Virginem potentem ac clementem, quae supplicationibus nostris benigne intenta dilectissimum Patrem nostrum in exilio dolentem sublevare, glorificare, omnique vinculo absolutum Urbi praeclarae restituere dignata est. — Basse-Terre, 10 Iul. 1850. *V. Drovelle.*

1224. **Eppus Coadiutor Regiopolitanus (Kingstown) in Canada.** (Ad Card. Praef. Propag.) — Pergratum est mihi annunciare, *devotionem ac pietatem fidelium mihi commissorum erga imm. V. Conceptionem ita flagrantem esse, ut non pauci eorum ingenio virtute pietate doctrina praestantes viri valde mirentur, quod nondum ab Ecclesia et Ap. Sede hic SS. Virgini decernatur honor,* quem communis fidelium pietas ei ex eiusdem Ecclesiae auctoritate tribui tantopere exoptat. Equidem huiusmodi devotio periucunda est mihi, qui vel a teneris annis nihil potius, nihil antiquius habui, quam intimo cordis affectu BVMariam colere, et ea peragere, quae ad maiorem Virginis gloriam et laudem procurandam, cultum promovendum conducere possunt. Itaque summo studio in tanti momenti negotium curam habui, cogitationes meas serio impendere, atque humiles fervidasque Deo O. M. publicas preces effundere non cessavi, ut coelestis suae gratiae lumine mentem Sanct. Suae collustrare velit, quo cognoscere possit, quid in hac re sit peragendum. Etenim tali animatus confidentia, non

esse auditum a seculo, quemquam ad SS. V. Mariae currentem praesidia aut sua implorantem auxilia esse derelictum, *non dubito, quin clementissimus luminum Pater Sanct. Suae mentem superna Divini Spiritus luce illuminet, ut veluti Cath. Ecclesiae doctrinam definire velit, BVMariae conceptum immac. fuisse.* — Regiopoli, 7 Iun. 1850. *Patritius.*

1225. **Vic. Apost. Giamaicae.** (Ad Card. Praef. Propag.) — *Ego et omnes alii sacerdotes* (utpote filii S. Francisci et S. Ignatii) *magna devotione erga Imm. V. Conceptionem animati sumus, et ardenti desiderio flagramus, ut hoc gloriosum Matris Dei privilegium ab Apost. Sede tandem definiatur.* De populo nobis commisso dicere debeo, quod magna semper devotione BVirginem colit, festum Conceptionis frequentia Sacramentorum et assistentia Missae solemni celebrat, et quidquid ad honorem V. Mariae conducere possit, cum summo gaudio efficere solet. — Kingston, 7 Iul. 1850. *Benito Fernandez.*

1226. **AEppus Limensis in Amer. Merid.** — Quod ad meam attinet sententiam, existimo, SS. Pater, *me in generali Epporum coetu,* (cui Dominus sicut promisit affuturus esset) *divina assistentia fretum pro affirmativa stiturum, plurium venerabilium Patrum Tridentinae Synodi vestigia prementem, qui, ut ita definiretur, optavere.* Etenim sic etsi subobscure ac veluti velis obvoluta apparet haec veritas in verbis, quibus Creator omnium nostrum Deus, dum in antiquum generis humani hostem poenam irrogaret, ita minatur: (Gen. 3, 15.) ‚Ipsa conteret caput tuum.' — Sic etiam praefata veritas Verbo Dei tradito aperte fulcitur, prout e monumentis traditionis, quae attingunt aetatem Apostolorum, a Patribus scriptoribusque eccl. vetustissimis, priscis Ecclesiae liturgiis, necnon communi constantique fidelium sensu apparet: ex quibus necessario concluditur, *catholicam esse sententiam, quae docet BVirginem nulla prorsus originalis culpae labe infectam.*

Sane non est meum de huius sententiae fundamentis disserere, nec inquirere, an hocce Virginis privilegium sit proxime definibile, dum verba facio Sanctitati tuae, quae, tametsi res haec anteactis seculis per Theologos magni nominis fuerit dilucidata, ut decisio fiat matura ac libera discussione, adhuc vult gravissimum hoc argumentum ex omni parte accuratissime examinari per viros ecclesiasticos pietate spectatos ac theologicis disciplinis apprime excultos, et nonnullos selectos S. R. E. Cardinales; ac ut veritas magis elucescat, insuper decernit illorum sententiam novo per se ipsum examini subiicere, ut de eius decisione, Eppis idem sentientibus, dici queat, quod ,ita visum fuit Spiritui S. et nobis.' Neque ad me est modum perpendere, quo haec catholica veritas definienda veniat, an directe vel indirecte, cum hoc maxime Sanct. tuae sapientiae et prudentiae sit relictum. Verumtamen asserendum mihi est, dogmaticam definitionem Ap. Sedis hac super re peramanter a me, Clero, universoque populo curae meae concredito pari pietatis affectu ac reverentia demisse susceptum iri, non ut verbum hominum, sed prout a Spiritu S. dictatam. Equidem *magnopere concupiscit anima mea, Sanct. tuam properanter agere ad Deiparae V. immac. conceptum dogmatico decreto stabiliendum, et una mecum hoc ipsum exoptant clerus et devota plebs, mihi per fidem et caritatem adunata.* Iam tum cum S. Archi-praesul *Thuribius Mogrovejo* hunc gregem sua pastorali sollicitudine provideret, *Litaniam ad V. Mariam* contexuit, quam Paulus V fel. rec. approbavit. Abhinc harum ditionum fideles ad verbum ediscunt Dominam Nostram ita adprecari: ,Per immac. conceptionem tuam libera nos.' Posterius Limana civitas fervidi optati erga hoc tam dulce ac iucundum christianis omnibus Deigenitricis privilegium haud levia praebuit testimonia. *Retro seculis duobus typis hac in civitate mandabatur opusculum pro mysterio, illoque fertur: Romanae Sedis esse, hanc veritatem iam inter fidei dogmata adrevelata referre.* Dies in seculum ruunt, quibus fideles Limani novendiale pensum annuatim obeunt, et individuam Trinitatem ita efflagitant: ,Cum fletu et lacrymis ex praecordiis nostris humiliter exoramus, ut Conceptio sine labe originali V. Mariae de fide proponatur et definiatur.' Sed in quo magno mei gaudio

flagrantiora fidelium vota pro definitione mysterii sunt patefacta, fuit omnium ordinum se gratulantium concursus, cum ex illo quamplures ad s. exomologesim et synaxim accessissent die ipsa, a qua exordium sumsere obsecrationes solemnes a Sanct. tua indictae. Nec minus solamine meum affecit animum *brevis theologica dissertatio de definibilitate mysterii a quodam sacerdote Minorum de Observ. Collegii de Ocopa alumno concinnata.* Vernacule prelo excusa fidelium mentes sua pietate communiet, atque pro optata definitione dogmatis de immac. Conc. acriores ac vehementiores efficiet. Praefatus discursus, cuius auctori honori fuit, illum Sanct. Tuae sacrare, huic expositioni adiungitur, non pro illius aestimatione inter tot de hac quaestione clariora opera, sed pro argumento, ut fidelium harum regionum magis nota sint Sanctitati tuae desideria pro definitione mysterii, et ita dogmaticam Bullam expedire digneris. Illa enim erit ad Omnipotentis Dei gloriam provehendam, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis christianae, maxime vero in maiorem laudem, honorem et venerationem SS. V. Mariae, qua intercedente Unigenitus Filius suus D. N. I. C. nobis salutaria liberaliter largitur. Nam ipsa est nobis solatium et levamen, in illa fixa nostra sunt corda, ac iure merito expectare debemus remunerandum obsequium definitionis sui immac. conceptus, ita ut convertendo ad nos suos misericordes oculos, Ecclesiae Cath. tempora nubila, diesque magnopere aerumnosos, quibus opprimimur, ac Sanctitati tuae amariores sunt absinthio, ad quietem et perpetuam pacem traducat. Clerus tam secularis quam regularis, qui una mecum supplicem hunc libellum subscribunt, firmiter ita expectamus, et instantes orationi assidue vota nuncupamus, hostiasque offerre satagimus, ut Spiritus Domini Sanct. tuae adsideat in huius definitione mysterii, ac ita firmum semper maneat, quod in Cathedra unitatis posuit Deus doctrinam veritatis. — Limae, XI Kal. Sept. 1850. (Subscripti cum AEppo *Francisco Xaverio* 1 Eppus in part. et 35 presbyteri.)

1227. **Eppus S. Crucis de Sierra in Amer. Merid.** Eramus in remotis partibus Districtus Beni, in limitibus huius Episcopatus S. Crucis de Sierra, visitantes nostram dilectam Dioecesim, quando cum Sancta Tua benedictione Literas Apostolicas, datas Caietae die secunda Februarii a. p. summa cum veneratione ac magno gaudio percepimus, in quibus Sanctitas Tua dignata est inquirere de mente, desiderio ac fide, quam Clerus et populus foveat, praesertimque a nostro ministerio Episcopali interrogare: „Num Immaculata Conceptio Mariae Sanctissimae Virginis et Matris Dei fuerit sine omni labe, et ex toto exemta a peccato originali", ut uniendo nostrum responsum piis postulationibus a variis Praelatis, Communitatibus, distinctisque Corporationibus Sanctitati Tuae, et illustri Tuo Antecessori Summo Pontifici Gregorio XVI, felicis memoriae, in hac gravissima materia factis, Sancta Sedes Apostolica possit, explorata undique communi omnium Praelatorum Ecclesiae sententia, ut dogma doctrinamque universalem declarare: „Immaculatam Conceptionem Beatissimae Virginis Mariae fuisse absque omni absolute culpa, et liberam a peccato originali." Insuper, sectando pia ac prudentia vestigia iam laudati Tui Antecessoris, determinasti, Beatissime Pater, ut, quemadmodum Literae Tuae venerabiles testantur, in praefatione Missae de Conceptione Beatissimae Virginis adiiciatur vox „Immaculata", Clerusque Romanus horas canonicas novissime editas in locum earum, quae in Breviario communi continentur, recitare licite possit, quam facultatem Sanctitas Tua nostrae etiam Dioecesi tribuere dignata est, quin recurrendum sit ad S. Congregationem Rituum, id, quod nobis certe maxime gratum est, quodque mox, ac dictum novum officium ad manus nostras pervenerit, cum integro Clero nostro observabimus. Ut itaque, quod principaliter Sanctitas Tua in suis Venerabilibus Literis exigit, eo, quem desideramus, successu expediamus, examinavimus maxima pace interna, iudicio maturo ac circumspecte Canonem Concilii Tridentini: „Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam etc." Sess. V. De peccato originali; Constitutiones Augustorum Tuorum Antecessorum Pontificum Sixti IV, Pauli V, Gregorii XV, Alexandri VI et Pii V, felicis

recordationis, caeterasque, quantum opus erat, doctrinas, ut Te de sententia nostra informare possimus, quam gratiosa Tua munificentia dignata est a nobis exquirere in materia tam ardua, gravi ac delicata, quae totam nostram fidem excitavit, permovitque religiosam pietatem ac universum zelum nostrum pastoralem. Fecimus et amplius ad satisfaciendum Pontifici Clarissimo, qui tam digne occupat hodie supremam Cathedram Pontificatus Apostolici: oravimus intense cum toto nostro Clero et populo, fundendo ferventes preces ad Dominum coeli tribus diebus rogationum publicarum, invocantes humiliati potens auxilium Patris luminum, ut nostram debilem ac tenuem intelligentiam gratia sui Divini Spiritus inspiret: confortavimus animam nostram ineffabili hac consolatione, non posse miserabiles mortales nomen Dei aeterni in laude et gloria invocantes in sua fide ac sententia falli, quia Spiritus illius eis assistit auxilio suo: exiguitatem tamen nostram annihilavimus, timore concussam et curvatam pondere tam immensae fiduciae, qua Tu, Sanctissime Pater, eam a culmine Solii Pontificii supramodum honorare voluisti; quomodo enim ultimus minister Sanctuarii possit suam opinionem Servo Servorum Dei proponere, et infirma eius vox in grandi Collegio Apostolico audiri? Possemus equidem cum Propheta Ieremia ingeminare: *Nescio loqui, quia puer ego sum.* Nihilominus *omnem nostram fiduciam in Deo ponentes, Tuoque glorioso exemplo stimulati, nihil vel momento dubitantes, supplicationes ad Te eo fine directas, ut pium ac sensibile cor Tuum commoveant, esse impulsu visibilis digiti Dei Omnipotentis factas ad dandum maiorem cultum, honorem, et gloriam Virgini Matri Redemptoris mundi, magisque adorandum eius Sanctum Nomen, volumus Te de nostro iudicio ac fide in consensu Cleri et fidelium Dioeceseos informare sequenti, quam apponimus, declaratione: „Credimus, et Clerus noster ac devotus populus credit, Mariam Sanctissimam Virginem et Matrem Dei esse conceptam in gratia, sine macula aut debito peccati originalis inde a primo instanti suae vitae naturalis.“* Huiusmodi principiis sanae doctrinae claris imbuitur iuventus in Scholis, doctrina quippe haec est obiectum studii religionis christianae pro tota massa populari; hanc

doctrinam docet pater domi suae filium, quamprimum hic voces incipit promere, eademque repetitur frequenter in forma laudis per omnes domos omnibus horis die ac nocte ita, ut sit quoddam veluti symbolum fidei pro toto populo. Haec est gratiarum actio supremo Numini facta, qua tam publica quam privata religionis exercitia terminantur. Haec est salutatio, qua Sanctissimum Altaris Sacramentum adoratur. Est denique tam pura devotio, amor ac teneritudo, qua illam doctrinam prosequimur, ut omnes, nosque etiam ipsi simus paratissimi ad accipiendum velut dogma fidei catholicae: „Beatissimam Virginem Mariam esse conceptam in gratia, sine macula peccati originalis“ sequendo hac in re opinionem a Patribus ad filios traditam de generatione in generationem. In hanc sententiam necessario nos inducit consideratio, quod Maria Sanctissima, Mater Puritatis et Sanctitatis per essentiam, non potuerit esse nisi sancta et pura inde a primo instanti vitae suae, nec potuerit arca, quae continuit Lucem mundi destinatam dispositione Altissimi pro sacro deposito Hostiae expiationis mediatricis inter Deum et homines, esse nisi sine macula exemta et libera a peccato originali. Veritas haec est fundata tam in fide quam in conditione naturali Conceptionis Mariae Matris Verbi Dei: *Quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Maria Sanctissima certe non fuit comprehensa in illa corruptione universali, quae in omnem suam posteritatem transmisit praevaricationem primi Parentis in Paradiso terrestri. Deus maledixit serpenti, typo illi seductoris diaboli: *„Maledictus eris super terram ..... ipsa conteret caput tuum.“* En mulierem ab aeterno praedestinatam, per quam mysterium grande redemptionis mundi consummandum erat! Praeservata est Maria a peccato originali speciali gratiae extraordinariae privilegio, quo altissimis et inscrutabilibus consiliis Patris aeterni ornanda erat ea, quae debebat esse Mater Verbi Dei: *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* Archangelus eam salutavit „gratia plenam,“ quacum Dominus, quaeque est benedicta inter omnes mulieres: *Gratia plena, Dominus tecum et benedicta tu in mulieribus.* Spiritus Sanctus supervenit in illam, et virtus Altissimi illuminavit eam: *Spiritus Sanctus superveniet in te,*

et virtus Altissimi obumbrabit tibi. In hac coniunctione donorum et gratiarum impossibile erat existere in ea aliquam maculam peccati originalis, quia in habitaculo Dei, auctoris gratiae, non potuit rèperiri peccatum, sicut non potest lux confundi cum tenebris*: Quae neque serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta est.* Ecclesia salutat Mariam per Canticum Canticorum praedicato amicae sine macula: *Tota pulchra es Maria, et macula non est in te.* Liber Sapientiae eam natam dicit de ore Altissimi, eique tribuit nomen primogenitae ante omnem creaturam: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Ipsa est Virgo, in qua nullus fuit reatus culpae actualis: *Haec est Virgo, in qua nec nodus originalis nec cortex actualis culpae fuit.* Est fons signatus sigillo SS. Trinitatis, et ab infantia obiectum praedilectionis Omnipotentis: *Quia cum essem parvula, placui Altissimo.* Erat praedestinata ut esset Mater Dei a principio aeternitatis, et creata in mente divina ante omnia saecula: *Ab initio et ante saecula creata sum.* Consequenter Mariam non potuit in se comprehendere lex illa fatalis stabilita pro omnibus ut sequela peccati originalis: *Non enim pro te sed pro omnibus haec lex constituta est.* Est ergo necessitas quaedam iubens ut Ecclesia purissimae Virgini Mariae tribuat honorem, eam esse in sua Conceptione tam immaculatam, quam incontaminatus erat thalamus, qui concepit Deum Hominem, licet hic ita humiliari voluerit, ut vestimenta nostrae miserae naturae induerit. *Exinanivit,* id quod dici nequit de immaculata Conceptione Mariae Sanctissimae, quae fuit et est plenitudo omnis gratiae. Possemus in confirmationem nostrae sententiae alias multas congerere rationes congruentiae, aliasque ex auctoritate sacra et ecclesiastica, nec non ex opinione Sanctorum Patrum, nisi ex una parte esset nimium eas enumerare, atque analysi subiicere, et ex alia parte illae non essent in iam adductis argumentis sublimibus contentae. Pro coronide, liceat nobis, Sanctissime Pater, existimare, Coelum ita disposuisse, ut supremus Pontificatus Sanctitatis Tuae relinquat in Ecclesia Iesu Christi memoriam perennem, si responsum nostrum fuerit, ut fiducialiter a Domino expectamus, sensui ac opinioni venerabi-

lium Fratrum nostrorum, Praelatorum orbis catholici conforme, ut nempe sapientia Sanctae Sedis declaret ac stabiliat dogma immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae, et nunquam exhauriatur e cordibus omnium fidelium christianorum hic fons perennis spei tam immensae in Matrem Filii Dei, qui fuit conceptus in purissimis visceribus Filiae Dei Patris, Sponsae Spiritus Sancti, templi et sacrarii Sanctissimae Trinitatis. Dignare, Domine, suscipiendo hoc nostrum responsum accipere illud tamquam quod emanaverit ex intima et libera nostra persuasione ac fide, quae universam nutrit Dioecesim nostram, quae iam inexplicabili sensu iubili sancti videt advenisse tempus, quo Regina coeli et terrae in Ecclesia universa tam triumphante quam militante iusto ac debito sibi honore potiatur. — In S. Cruce de Sierra, 28 Dec. 1850. *Emmanuel Aug.*

1228. **Eppus Cuzquensis in Peruana prov. Amer. Merid.** — Priusquam iuxta Beat. Vestrae desiderium iudicium meum adhibeam, operae pretium est omittere rigidum illud Conceptionis V. immac. examen a doctoribus et theologis scholasticis speciatim a XIV seculo tanto conatu fultum, ut etiam, quando C. Tridentinum declaravit non esse suae intentionis comprehendere B. et imm. V. Mariam Deigenitricem, sed observandas esse Constitutiones fel. rec. Xysti IV, adhuc in suis sollicitis disputationibus progressi fuere usque ad Const. Alexandri VII a. 1661: qua animis Scholasticorum conciliatis, pia opinio coepit plausu clarescere omnium et progredi ita, ut communem hodie mereatur assensum et universae Ecclesiae fidem. Non asseram, festum Conceptionis V. Imm. in Apostolorum seculo incoepisse, ut quidam volunt. Nec cum aliis firmabo, praedictum festum in VI et VII seculis iam in aliquibus Ecclesiis celebrari. Nec mentionem faciam de Xysto IV Papa, qui duas concessit Constitutiones pro mysterio: in prima ‚Cum praeexcelsa‘ a. 1476 edita easdem ad festum Concept. concessit indulgentias, quas Urbanus IV ad solemn. Corporis Christi; in secunda ‚Grave nimis‘ a. 1483

commendavit cultum, quem fideles exhibebant immaculatae Conceptioni. Hic commendatus cultus in toto cath. orbe progressus est a Constitutione Clementis XI a. 1708, in qua festum Concept. in universam Ecclesiam ampliavit. Ergo *communis est hodie inter Theologos sententia, quod, quamvis mysterium praeservationis non sit formaliter definitum, sit tamen proxime definibile, ac proinde possit iam Summus Pontifex absque ulterioribus aliis sedulitatibus, praeter illas, quae hactenus ab Ecclesia factae sunt, illud definire, si sibi placeret.* Attamen maxime breviter dicam de fundamentis Praeservationis, hodie universae Ecclesiae fidem facientis. — *Scriptura S. nullibi SS. V. Mariae praeservationi contraria invenitur. Speciatim numquam nobis dicit non fuisse praeservatam.* Generatim certum est, quod habemus hoc universale: ‚Omnes in Adam peccaverunt.' Sed non cernimus in SS. V. Maria relaxationem generalem omnium legum? In illa cernimus partum absque dolore; carnem sine fragilitate; vitam sine macula; mortem absque poena. Sponsus eius nihil aliud est, quam custos suae virginitatis; matrimonium suum flammeum sacrum, quod obtegit et protegit suam integritatem; filius suus flos, quem sua puritas progerminat. Tandem natura stupefacta atque confusa credit leges suas in Deigenitrice Maria omnino eversas fuisse. Cur ergo non dispensaretur cum ea, ut in peccato non conciperetur? Haec ratiocinatio novum robur accipit a *Concilio Tridentino,* quod in generali extensione sui de peccato originali decreti noluit SS. V. Mariam comprehendere. Et quis dicere poterit hanc non esse authenticam sanctionem, qua declaratur, necessitatem non esse, ut BVMaria in lege illa generali includatur? Non videtur Spiritum S. qui illis in Patribus loquebatur, dissipavisse praeoccupationem sapientum propter indefinitas phrases, vel locutiones Scripturae S.? Non illi igitur adiudicabitur proprie quod dictum est de Esther,quae Dominam nostram praefigurabat: Non pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est? Sed multopere svadetur argumento positivo. Locus ille Gen. 3, 15. intelligitur de V. Maria, quae perpetuam habuit discordiam cum daemone usque ad conterendum caput suum, i. e. funestam suam potestatem. Et hoc quid sonat, nisi quod numquam illi subiecta fuit? Quae significa-

tur in Canticis: ‚Sicut lilium — tota pulchra es —' nisi integra et absoluta Dominae puritas? Constat praedicta verba ad literam intelligi de Ecclesia; sed constat etiam, Mariam post Iesum Christum esse partem principalem Ecclesiae; et non est impedimentum, ut intelligantur praecipue ad literam de principali suo membro, quae de toto corpore dicuntur. Hinc est, quod eadem Ecclesia ponit haec egregia verba in officiis SS. Virginis. — *Multum est, quod affertur sumtum a Patribus pro praeservatione.* Multitudo fere immensa Patrum citatur pro mysterio a *Ferdinando Chirino de Salazar* etc. At sapientissimus *Dionysius Petavius,* forsan ut nullus Theologorum in Patribus versatus et mysterio praeservationis devotissimus ait, quod praedictae collectiones carent sagacitate critica, aliquando bona fine in suis citationibus, et frequenter ingenuitate in eorum interpretatione. *Hae de SS. Virgine locutiones: immaculata, incontaminata, ab omni peccato libera etc. non sufficiunt in Patribus, ut illos faciamus mysterii fautores.* Siquidem in iis ipsis, qui dicunt SS. Virginem maculam habuisse originalem, similes inveniuntur locutiones. Nam et immaculati et innocentes, ait Petavius, appellantur in Scriptura, qui praesente iustitia et sanctitate praediti sunt, cum ab originis vitio non fuerint exemti. Affert exemplum Davidis, qui cum confessus fuerit ‚in iniquitatibus conceptus', ait tamen ‚ero immaculatus cum eo'; et exemplum Virginum, quae dicuntur sine macula ante thronum Dei, quamvis omnes antea fuissent peccato originali coinquinatae. Nihilosecius *videamus Hipponensem Eppum, qui valde nos adiuvabit. S. Augustinus* ait: Excepta S. V. Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem etc. Ex quibus verbis sequentes inferuntur reflexiones: 1. S. Doctor ait, quod quando de peccatis agitur, nullam vult habere quaestionem circa S. V. Mariam: absque dubio, quia omne peccatum est illi alienum. 2. Ibidem affirmat, quod V. Maria habuit gratiam ad vincendum omni ex parte peccatum: ergo etiam ad vincendum originale peccatum. 3. Si V. Mariae concessa fuit gratia ad vincendum omne peccatum personale, quia fuit Mater illius, qui nunquam peccatum personale habuit: consequens doctrinae S. Doctoris est, quod concessa

illi fuit etiam gratia ad vincendum originale, nam fuit Mater illius, qui numquam habuit peccatum originale. 4. Si S. Doctor ait, quod quando de peccatis agitur, non vult quaestionem habere de V. Maria, ad sic maiorem servandum honorem Christi Filii eius, et propter hoc aiunt, immaculatam Virginem numquam habuisse peccatum personale, quamvis inter personalia multa sint tantum venialia: quanta ratione ad maiorem servandum honorem eiusdem Christi Filii sui erit necessarium, quod S. Augustinus loquens de Matre nolit illam includere in quaestione de peccato originali, quod est sine dubio maius omni peccato veniali personali, privat enim gratia, qua non privat veniale? Ipsemet S. Augustinus l. 5. contr. Iulian. loquens de Christo ait: ‚Profecto etiam peccatum maius fecisset, si parvum habuisset: nam propterea nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non habuisset infantilis aetatis exortu.‘ *En infert Augustinus, Christum non habuisse peccatum personale, quia non habuit originale; si igitur nec Mater eius habuit peccatum personale, ut omnes fatemur, etiam inde est, quia illam non tetigit peccatum originale; quia axioma S. Augustini est, quod ad contagium peccati originalis necessario sequitur contagium venialis.* Quamvis *S. Thomas* praeservationi videatur adversari, nihilominus possunt aliqua consequentia ex eius doctrina inferri pro mysterio. Siquidem art. 4. q. 27 *probat SS. V. Mariam numquam peccavisse, nec venialiter,* ex sequentibus rationibus: 1. quia si BVirgo peccavisset, non esset idonea Mater Dei, nam dedecus usque ad Filium resiliret; 2. quia specialem habuit affinitatem vel consangvinitatem cum Christo, qui ex Virgine Maria carnem et sangvinem assumsit; 3. quia Filius Dei habitavit in ea corporaliter; 4. quia in Canticis vocatur tota pulchra, et additur: macula non est in te. At quis non videt, has rationes aeque probare suae conceptionis sanctitàtem? Non esset minus idonea Mater Dei, si nonnunquam ancilla fuit daemonis? non resaltaret aequaliter hoc dedecus usque ad Filium? non dedignaretur hic Filius habere cum sua in origine immunda matre consangvinitatem? esset omnino pulchra et sine macula, si aliquando maculam habuit?

Articulo 1 eiusdem quaestionis ait: iuste et rationabiliter esse credendum, quod illa, quae Unigenitum Patris genuit plenum gratiae et veritatis, accepit magnis cum praestantiis omnia dona, quae alteri cuilibet sublimi creaturae largita fuere. Ex hac doctrina inferebat, quod fuit sanctificata antequam nasceretur, nam sic Ieremias et Baptista sanctificati fuerunt; et credibile non est, quod Deus famulis et clientibus concessisset privilegium, quod suae Reginae denegasset. Ad rem: *certum est, quod Angeli in gratia creati fuerunt;* sic saltem affirmatur a maiori parte theologorum, quibus suffragantur S. Augustinus, Hieronymus, Gregorius, ac de PP. Graecis Basilius, et Ioannes Damascenus. *Secundum S. Thomae doctrinam consequitur, quod hoc privilegium nobilibus his Spiritibus concessum necessario concedatur V. Mariae:* quia credibile non est, sanctificationem clientibus concessam Reginae parce largiri. Si ergo certissimum est, quod BVMaria ex suffragio Ecclesiae etiam Angelorum Regina est, sine ulla dubitatione idem habuit privilegium, quod omnes Angeli in eodem suae creationis instanti, ut egregie et laudabiliter docet Simonet. -- *A Sixto IV Papa usque ad aetatem nostram omnes Summi Pontifices, exceptis duobus vel tribus, quorum brevissimus Pontificatus nihil illis facere permisit, aliquod expediverunt diploma pro Virginis Mariae Conceptione.* Et quantam non videtur facere vim, ut in plus quam 400 annis omnes Supremi Hierarchae Ecclesiae, qui in praedicto temporis spatio 50 fere numerantur, propensos se ostenderint in hoc mysterium? Et vere non est potissima et laudabilissima haec in gratiam Praeservationis conspiratio? *Theophilus Raynaudus* unum confingit quasi Concilium Oecumenicum pro Conceptione ex Pontificibus, Cardinalibus, AEppis, Eppis, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Theologis omnium nationum, quae sub coelo iacent, Universitatibus, et Religionibus compositum, quibus actualiter adiungitur Religio Dominicana, prout in Vestris Apost. literis nobis indicare dignati estis. Ex omnibus supra dictis colligitur, ait *Petrus de Alva* in suo Nodo indissolubili, quod auctores, qui pro Praeservatione scripserunt, usque ad sex millia numerantur, et usque adhuc possumus dicere omnino esse innumerabiles. Cardinalis *Pallavicinus* ait, quod tanta est pro

sententia Praeservationis librorum copia, ut sufficeret ad magnam efficiendam Bibliothecam. In Monumentis ,Trevoux' mensis Iunii 1703 refertur Ephemeris italica Benedictini *Montfaucon,* in eaque leguntur sequentia: ,In civitate Ticinensi Mediol. Bibliotheca Equitis Beloreddi maxime erat numerosa, et nihilosecus non concinnabatur, nisi de libris, qui Virginis Conceptionem sine peccato originali adumbrant.' Nolo hic omittere hoc breve sed formosum Theologi *Suarez* ratiocinium: ,Talis est, ait, benevolentia nostra, talisque amor noster erga SS. V. Mariam, ut, si in manu nostra fuisset eam praeservare, proculdubio eam praeservavissemus; amor, quo Deus illam amat, est multo maior amore nostro; quandoquidem ergo potuit illam praeservare, abs dubio praeservavit eam.' Etiam alio modo discurrit: ,Amor noster, inquit, nos faceret, ut si possemus praeservaremus Dominam: praeservemus igitur illam in iudicio nostro, si id possumus facere, quando nihil est tam praepotens, ut nos deflectat ab hoc honorifico iudicio.' Constat ergo, quod sententia, quae initio videbatur sapientum scandalum, hodie ad eorum venerationem transivit. *Ecclesia universa magno cum gaudio credit defendit et celebrat mysterium.* Si cultus praeservationis esset falsus, si terminaretur ad obiectum, quod existentiam non haberet nisi in aestuosis tempestatibus pietatis delirantis: haud diceremus universalem Ecclesiam BVMariae sub hoc mysterio cultum superstitiosum praebere? Post omnem ratiocinationem usque huc explicatam forte dicetur: ,Videtur non esse levem scrupulum suspendere assensum ad mysterium, quod pro se non habet aliquod divinum testimonium, quod aperte et formaliter illud in Scripturis roboret; ad mysterium, quod Ecclesia in suis primis decem seculis ignoravit; ad mysterium, quod perspicuam commendationem non habet in Traditione; ad mysterium denique, quod Patres non tractavere, quodque potentes habuit oppositores in D. Doctore Bernardo, qui sua in aetate Ecclesiae fuit oraculum, et in S. Thoma Aquinate, cuius tantum iudicium videbatur aliquoties retinere decisiones, quae inchoabantur.' Ecce quod in existimatione mea aliquam simulat difficultatem. Sed audiamus eruditum Petavium, qui subtiliter difficultatem evanescere facit. Enimvero in suis theol. dogm. lib. 44 de

Incarn. c. 2. docet, posse dici, quod *datur vel est quaedam species revelationis pro praeservatione SS. Virginis a peccato originali. Haec revelatio consistit in communi iudicio omnium fidelium,* qui secundum vires suas et facultates vel ingenia una voce fatentur, quod non datur res magis pura, magis casta, magis innocens, magisque a macula aliena, quam BV. Maria. Nos admonet cum Divo Paulino, quod omnes pendere debemus ex ore omnium fidelium, quia Spiritus Domini eis divinitus lumen tribuit, quando efficit, ut omnes idem iudicium habeant circa aliquam rem. Eruditus et pius Eppus Roffensis *Ioannes Fisher* ait, quod maioris ponderis est hoc commune catholicorum suffragium, non ex iussu nec coactione proveniens, sed ex voluntaria atque spontanea productione. *S. Augustinus* docet similiter, quod Deus arcana sua revelat non solum extraordinariis mediis, sed etiam quando sibi placet quod antea cognitum non erat patefacere in gratiam eorum, qui Deum precantur, ianuasque suas pulsant; revelationem ergo S. Doctor vocat obscurae rei manifestationem, quam Deus facit ex studiosorum hominum labore et solertia commotus. Et haec est res, in qua sumus, circa imm. conc. mysterium. Manifestavit (addit Petavius) Deus illud populo suo, et inspiravit illi firmam eamque stabilem persvasionem de hac originali puritate, quamvis adhuc non elevata ad eam sublimitatem, quae dogmatum fidei cath. propria est. Promoveamus hanc Petavii ratiocinationem. *Cultus* interior est illa firma et stabilis persvasio ac svavis propensio in obiectum quod colitur. Si ex mediis communibus obligationis communicatur, sua fides necessaria est. Si tantum inclinatio vel propensio in obiectum, viam aperit ad interiorem persvasionem; quantum haec a praecepto libera est, tantum efficitur magis heroica. In communi fidei nostrae ordine praecedit iudicium, quod vocant de credibilitate, sequitur pia propensio, et terminat firmus et stabilis assensus; in particulari vero, i. e. in mysterio conceptionis inversum video hunc ordinem, variatumque hoc systema. Nam in praedicto mysterio antecedit pia propensio, sequitur iudicium credibilitatis, et totum opus concludit firma et stabilis persvasio. Illic mens movet voluntatem, hic voluntas menti imperat. *Simplices animae* in suae inflammatae

devotionis extasibus *desideria concipiunt*, ut Maria Virgo sit sancta etiam in illo suae conceptionis instanti, in quo nullus hominum desinit esse peccator. Imbecilles hi affectus transeunt timide in alios spiritus suae classis; iam de communi consilio tractatur examinare, num mereatur credibilitatem quod desideratur; apprehendit credibilitas insensibiliter multis in mentibus; et fere absque alio recursu, hae animae ingrediuntur in persvasionem interiorem. Si divinae providentiae consilium est, *parvulis revelari*, quando maioribus occultatur: est etiam in mentibus humanis effectus sui praepotentis dominii, efficere, ut sapientes adoptent, quod tantum manifestare humilibus degustavit. Et haec est manifestatio, quae a *S. Augustino* vocatur quaedam revelationis species, qua Deus dignatur quod antea ignorabatur detegere quibusdam famulis suis, quando preces suas ad Deum fundunt, suasque pulsant ianuas, et adhuc quando illam obtinere non cogitant vel orantibus ac pulsantibus vel aliud agentibus. Et hoc est, quod omnino demiramur in persvasione interiori erga originalem V. Mariae puritatem. *Sine praecepto, quod compellat; absque lege, quae obliget; sine authentica decisione, sine definiente decreto, ingreditur Ecclesia in hoc mysterium: illud recipit suffragiis suorum illustriorum membrorum concordibus, et de ea consequitur pia propensio, quam solum inconcussa veritas adipiscitur*. Indecorum non est Ecclesiae maiestati, capere in honorem Matris sui sponsi doctrinam ex ore illorum eorumdem filiorum, qui eam iuste pro oraculo suo habent. S. Paulus organum erat animatum, per quod Deus consilia sua suamque voluntatem fidelibus aperiebat; hi ex ore suo omnino pendebant; nihilominus si hoc vas electum videbat suos inter christianos propagatam aliquam doctrinam, quam ille ex labiis suis non diffudit, nihilominus credebat illam per divinam revelationem adipisci. Ita Philippensibus dicebat: et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelavit. Cap. 3. Non longe ibimus de iuxta Ecclesiam idea, si eius methodum circa mysterium nostrum cogitaremus, similem illi, quam in Apostolo colimus. Non circumscribitur Deus ad glorias Matris Filii sui detegendas ad eos tantum doctrinae canales, qui Ecclesiam suam foecundant. Sicut in eius honorem non ad-

strictus fuit ad communes naturae leges, et adhuc mirabilibus incrementis gratiae leges amplificavit: ita etiam non vereor dicere, quod ut cognosceremus gratias quas illi fecit, invertit partem ordinis, quo veritates suas fidelibus communicat. Sit semper Ecclesia Christianorum magistra: at non dedignetur audire aliquando SS. V. Mariae privilegia *per medium inspirationis particularis quorumdam humilium.* Dicat hic, quod Apostolus Philipp. 3. ait: ,si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelavit.' Permutet sublime suum magisterium cum eo, quod est simplicium animarum, quae promeruerunt praerogativis maioris magisque humilis matris instrui. Quum tantas ac celebres video Universitates, quae absque ullo, qui eas obliget, sub solemni iureiurando protestantur puritatem V. Mariae originalem doctrinam suam facere; quum tantas animadverto religiosas sodalitates suorum institutorum muneribus munus defensionis primitivae gratiae BMV. coagmentantes; quum cognosco multa narrari calamorum millia ad hoc originale decorum promovendum; quum observo SS. Ecclesiae Praesules suae auctoritatis custodes, suaeque gubernationis arbitros, non existimare oves suis in caulis tutas sine invocatione Mariae absque orig. peccato conceptae; quum agnosco ipsosmet Imperatores, Reges ac Principes, qui universum suis legibus subiiciunt, iucunde Dominae protectioni sub hoc mysterio subdi; eosque Dominae quatenus in gratia conceptae armorum suorum felicitatem suorumque imperiorum prosperitatem fideri; quum denique recogito in hoc totum: recordor illius exclamationis sacre ac religiose audacis, qua *Richardus Victorinus* — aiebat: ,Domine, si error est, a te decepti sumus; iis enim signis doctrina haec confirmata est, quae, nisi a te, fieri non possunt.' Cultus igitur SS. V. Mariae suarumque perfectionum cognitio quotidie nova incrementa recipiunt, dicebat celeber *Ioannes Gerson* in sermone de hoc mysterio; et addebat necessarium esse confiteri, quod Ecclesia in antiquitate multa ignoravit Dominae praeconia, quae post novo cum lumine amplectitur et colit. Voluit Christus, ait *Richardus de S. Laurentio,* quod S. Scripturae de Matre sua loquerentur tantum sub *aenigmatibus et figuris,* easque explicare posterioribus seculis reservavit. Ea aenigmata, qui-

bus Scripturae S. abundant, scilicet granata, palma, oliva, rosa, lilium, vitis, flos sine aliis fructibus quam honore et puritate, virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, fons ex mari salso emanans semper tamen dulcis, thronus ubi Rex tantum sedet: — sunt, ut omnes noscunt, symbola puritatis Mariae hodie manifestata, virtute revelationis iam explicata in gratiam suae puritatis originalis. Priora secula dicata fuere ad Christianae Religionis fundationem; quando autem eius veritates per totum orbem resonabant, investigatio praerogativarum Mariae incoepit. Ideo in primis Ecclesiae Magistris aperte non invenitur haec doctrina, quae de aliis ad alios communicata filum vel indicium perpetuae traditionis fingeret. Haec methodus vel processio Ecclesiae cum SS. Virgine assimilatur ei, quam cum eadem Domina habuit Christus. *S. Augustinus* tract. 2 in Ioan. ait, quod hic Dominus, quando in Cana Galileae dixit Matri suae: ‚Quid mihi et tibi est mulier, nondum venit hora mea,' distulit suum amorem in Dominae gratiam explicare, in eam horam, in qua cum spiritum suum Deo Patri commendavit, dilecto discipulo commendavit et Matrem. Tunc consummato iam redemtionis opere incoepit palam suae Matris glorias curare. Sic ostendebat potestatem operandi miracula illi non venire de Matre, cuius solum habebat naturam, quam tunc in Cruce ad contumelias exponebat. Sic statuta hac generali et publica revelatione, iam non detinebimur in *privatis revelationibus,* quae citantur pro mysterio, et contra mysterium. Pro mysterio afferuntur: quae factae fuerunt *SS. Gertrudi, Birgittae, Matildae, Elisabethae de Hungaria, Franciscae Romanae,* et *Oringae Christianae.* Contra mysterium *Caietanus* opponit *S. Catharinae Senensi* factam, eius auctoritatem ait esse superiorem tantum propter huius sanctae illustris qualitatem, quantum propter *S. Antonium* AEppum Florentinum, qui praedictam revelationem tamquam certam refert. At circa revelationum et extasum materiam est maxime ad rem egregia *Danielis Papebrochii* doctrina, qui in sua Appendice ad vitam *S. Mariae Magdalenae de Pazzis* ait, quod nihil deduci potest ex revelationibus circa res controversas, quia Sanctorum Sanctarumve extases includere possunt non solum incertitudinem, sed etiam erro-

rem secundum naturales species, quas ante suam extasim habebant. Ecce aliqua exempla. *B. Columba Reatina* visionem habuit, in qua vidit S. Hieronymum cum leone suo, et hic leo mansit tota nocte illam comitans. Quis propter hoc dicet, S. Hieronymum semper in societate leonis vixisse, nec hunc leonem esse symbolum vel analogiam significantem, quod S. Doctor tamquam leo contra errores fremuit? Revelatum fuit, ut aiunt, *B. Baptistae Veranae, B. Ierardescae,* et *B. Clarae de Montefalco,* quod Christus Dominus fuit cruci affixus tribus tantum clavis. Nihilominus tamquam magnopere probabile receptum est, Christum quatuor clavis cruci affixum fuisse; et citatur alia revelatio S. Birgittae, in qua asseveratur, Christum cruci quatuor clavis esse affixum. Dicitur, S. Annam Matrem V. Mariae *B. Colletae* apparuisse, secum afferentem filias, quas de altero marito a S. Ioachimo distincto habuit. Dicitur, quod S. Iacobus Apostolus alteri apparuit habitu peregrini indutus; quod S. Maria Magdalena de Pazzis ad Verbum Divinum orabat, illique dicebat, quod Carmelitarum regula erat antiquior Incarnatione; quod S. Theresia asseverabat, hanc regulam originem ducere a Prophetis; denique ad nostram rem, quod S. Catharina Senensis ad Virginem orabat, tamquam in peccato originali conceptam. Totum hoc nihil aliud erat, continuat Papebrochius, quam concipere, quod praedictae Sanctae secundum anteriores praeoccupationes suas, et prout illud quod suimet directores eas docebant, aliquae secundum proprium sensum hallucinabantur. Verumtamen quare Deus illas ex suis erroribus non educebat? Quia nihil conducebat, respondet Papebrochius, ad spiritualem illarum animarum utilitatem. Abbas *Fleury* libro 70 Hist. Eccl. hanc Papebrochii doctrinam approbat, et Summus Pontifex *Benedictus XIV* nihil desiderare desinit in posthumis libri 3 de Canonis. SS. capitulis. Denique eruditus *Gerson* in suo tract. de prob. spirit. ait, quod privatae revelationes propter causas varias possunt esse fallaces, adhuc cum attenderemus tantum qualitatem personae eas habentis, ut si est valetudinaria, moerore affecta, mirifice abstinens, maxime vigiliis dedita, si malum et imperfectum habet cerebrum, vel imaginationem perturbatam. Considerare etiam debemus aeta-

tem et sexum. Quando aetas est decrepita, est delirii periculum; si aetas est puerilis, est periculum celeritatis et fallaciae. Mulieres tamquam debiles et imbecilles vehementibus passionibus abundant; et, ut ait Eppus *Lud. Abelly,* est sana eximiaque quorumdam observatio, quod in Scriptura S. paucae inveniuntur mulieres dono prophetiae praeditae. Superest argumentum, quod visum est movere S. Thomam ad Praeservationem negandam, potens revera, retraxisse enim videtur S. Doctorem ex felicitate, Dominae hanc praerogativam concedendi, quando alia ex parte tantum se in suis laudibus occupat. — Si Christus est *Redemtor* omnium, fuit etiam eius Matris: et quidem haec Domina hanc redemtionem recognovit, quando canebat: Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. At de quo eam redemit, si peccatum originale non habuit? et quomodo dicetur redemta, si numquam captiva fuit? Hoc est, quod S. Augustinus affirmat ep. 157: Nec redemtus dici potest: nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus. Hodie post *Scotum* solidissime respondetur ad hoc argumentum, Duplex est *redemtio:* una captivitatis, in quam aliquis incidit; et alia captivitatis, in quam esset necessarium incidere, si alter manum non daret ad lapsum vitandum. Prima dicitur *reparativa,* quia reparat et remedium adhibet ad damnum iam factum; secunda *praeservativa,* quia antea vitat damnum. Maria ergo non reparative redemta fuit, quia numquam incidit in damnum culpae, nec illud experta fuit: sed *praeservative,* quia manus Domini illam sustinuit, ut numquam incideret. *S. Augustinus* ait, quod non appellatur redemtus, qui antea non fuit captivus, vel ad minimum non debuit esse captivus; et in hoc sensu SS. Virgo captiva fuit, non in facto sed in debito, i. e. quod quamvis numquam incidit, debuit incidere et manere captiva virtute filiae Adami, si Deus antea illam non sustinuisset. Nec aliena est a S. Augustino haec doctrina. Exponens hunc locum Ps. 85: ‚Eruisti animam meam ex inferno inferiori‘ ait: ‚Nescio quis mittendus erat in carcerem; venit alius, defendit eum; gratias agens quid dicit? eruisti animam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant; sed quia talibus meritis age-

bantur, ut nisi subventum esset, ibi essent, ideo se recte dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci.‘ Ecce iuxta S. Doctorem redemti hi praeservative a carcere et de suspendio. Est etiam *S. Bernardi* doctrina serm. 22. in Cant. n. 8: ‚Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens. Et hac ratione fuit aeque utrique redemtio, solvens illum et servans istum.‘ En redemtio praeservativa in Angelis recognita. Ipsemet *Angelicus Doctor* docuit esse redemtionem proprie talem, et nihilominus solum esse praeservativam: nam in 3 Sent. dist. 19 sic interrogat: An per passionem Christi a poena aeterna liberati simus? et respondet affirmative: quia Christus pretium solvit suae satisfactionis, ut a poena et a peccato liberemur. Haec est redemtio praeservativa, quia ex inferno nullus est redemtus, postquam in eum incidit. Egregie ait *Scotus*, quod Christus non esset Redemtor perfectus, si aliquem non redemisset praeservative, quodque haec est maior et nobilior redemtio. Quapropter defendit, quod Maria Virgo indiguit redemtione magis copiosa, quam totum mundi residuum; quia tanto maior est redemtio, quanto maius est bonum, quod confertur. Et quis ambigit innocentiam semper constantem esse maius bonum, quam sit innocentia post suam amissionem restaurata? Non satisfit *Caietano* cum praedicta Scoti ratione, et hoc modo arguit: ‚Ea redemtio praeservativa consistit in eo, quod Deus purificavit carnem Virginis ante animae infusionem, ut cum haec coniungeretur, vas iam inveniret mundum et non contaminaretur. Si hoc ita est, iam redemta non fuit Maria in sua persona, quia ea caro sic purificata ante unionem cum anima non erat Mariae persona: ergo semper dicetur, quod Christus non redemit Matris suae personam, et remanet argumentum S. Thomae integrum. Hoc confirmatur sequenti exemplo. S. Paulus natus fuit civis Romanus, et quia natus fuit talis, non indiget privilegio Caesaris, ut talis sit, quamvis certum sit, quod aliquis ex suis maioribus indiguit illo privilegio Caesariano. Ita pariter Virgo Maria ut conciperetur absque peccato, non indiguit gratia nec privilegio, quamvis eius caro fuisset antea privilegiata.‘ Ad quod sic respondetur: quod redemta fuit

persona Virginis Mariae; nam, ut explicat *Suarez,* SS. Virgo in propria sua persona fuit ad culpam originalem obligata in ipso suae conceptionis instanti, quamvis in praedicto instanti illam non contraxisset. Haec obligatio ad culpam nihil aliud est, quam esse omnes causas dispositas ad peccatum originale eo instanti influendum, ut vere illud influerent, si Deus illas non impediret. Nec repugnat, quod unus effectus procedat e causis, quae necessario illum efficerent, quod revera impediantur. S. Thomas ait, quod ad incurrendam necessitatem moriendi sufficit debitum vel reatus mortem subeundi, quamvis aliquis possit gaudere praerogativa illam non experiendi. Dicente igitur Apostolo, quod peccatum et mors aequaliter in omnes transscendunt, si obligatio moriendi sufficienter salvatur propter debitum solum illam subeundi, quamvis aliquis non moriatur, etiam vere salvatur necessitas infectionis peccati propter debitum illud contrahendi, quamvis praeservatio faciat, ut actualiter non contrahatur. Idem Caietanus citat et applaudit huic doctrinae in suo opusculo de Concept. Alii respondent necessarium non esse, quod Maria Virgo obiecta vel exposita fuisset in propria sua persona ad peccatum, sed tantum in radice, i. e. in patribus suis, vel in seminali materia et formatione foetus in toto generationis tempore usque ad animationem, ita, ut in primo animationis momento non haberet periculum, quia tunc gratia illam praevenit, solumque illud habuit anteriori tempore. Haec est *Ambrosii Catharini* sententia: hoc sufficit, ait, ut BVirgo redemta fuisset; sicut domino unius arboris debentur eius fructus antequam nascantur, et propterea potest ille eos vendere vel redimere. Secundum hanc cogitationem bene explicatur, quomodo potuit BVirgo esse ad peccatum exposita, et illud non contrahere: nam fuit exposita non in se sed in sua radice, antequam existeret, at in se semper illa infectione caruit. Theologi, qui defendunt BVirginem fuisse liberam etiam a debito contrahendi peccatum originale, respondent aliis modis. Ego non progredior ad exponendam hanc exemtionem debiti: est quidem sententia, quam *Muratorius* temerariam et Patribus ac Theologis antiquis contrariam dicit; et adhuc maiorem in Caietani iudicio censuram habet; quia licet haec sententia immunitatis debiti

suo tempore non defendebatur, eius siquidem epocha figitur a. 1615: nihilominus videtur Caietanum praevidisse, quod illa deveniret ad rem se cogitandi seque defendendi; eamque designavit ut periculosam atque etiam haereticam. Rigida est censura, postquam tot catholici hodie illam amplectuntur. Necessarium est abstinere vel illam opinionem, vel notam suam adoptandi. *S. Bonaventura* videtur adversus praeservationem cogitare: ‚In signo anteriori ad infusionem animae in corpus non potest haec anima esse sanctificata: quia primum est esse quam sanctificari: primum ergo prioritate naturae fuit anima infusa quam sanctificata. Hinc sequitur, quod in eo signo primo infusionis, cum adhuc non habebat gratiam, quae animam sanctificaret, illa contaminata fuit carnis contagione.‘ At quis eorum, qui sciunt protritam philosophiam (ad theologiam Scholasticam necessariam), ignorat, quod signa naturae non sunt instantia vere existentia, sed divisio mentalis, quam efficimus in instante uno solo ad cognoscendam dependentiam non mutuam inter causam et effectum? Non est momentum reapse existens, in quo sol sit absque luce. Etenim quamvis sol ut causa lucis debeat illam praecedere in signo naturae, non tamen illam praecedit aliquo temporis instanti. Sic accidit cum Virginis anima: in ipso instanti, quo infunditur, sanctificatur, quamvis mens nostra concipiat signum primum naturae, in quo animae infusio praecedat suam sanctificationem.

Quibusdam concludam observationibus. I. Cum nihil terminans sit in Patribus pro praeservatione, ita nec est res terminans in contrarium. Profecto frequenter in illis legitur, *quod nullus, exemto Christo, vitavit contagium Adae,* et aliae huiusmodi locutiones; sed omnes praedictae locutiones servantur dicendo, quod solus Christus vi mirabilis suae generationis, quae non fuit per viam ordinariam, fuit semper exemtus vel immunis ab omni macula, quodque ceteri omnes illam contraxerunt vel in facto vel in debito. In facto, ut omnes Adami filii non privilegiati; in debito, ut SS. Virgo Maria, quae si gratiam praeservationis non habuisset, idem contagium subiret, quod ceteri omnes; cum certum sit, quod Christus privilegio non indiguit, quia praedictam habebat immunitatem ut inevitabile consectarium suae incomparabilis

conceptionis. Unde oritur, quod *Sanctissima eius caro obnoxia peccato non fuit nec in se nec in eius Matre,* nec in suis maioribus, nam ex illis non descendit per communis generationis viam, nec illis contenta fuit, nisi secundum corpulentam substantiam, ut S. Augustinus explicat. 2. *Effectus peccati originalis sunt duplicis generis. Primum genus est eorum, qui vel culpam includunt, vel inclinant in illam, vel quoddam habent dedecus a culpa contractum. Secundum est eorum, qui sunt pure poenales absque aliquo dedecore. BVMaria primos non habuit peccati originalis effectus;* itaque *caruit culpa actuali,* motibus inordinatis, etiam eis, quos Theologia vocat primoprimos; nec corpus suum actuali corruptioni subiectum fuit; etenim de his effectibus dicebat S. Augustinus, quod necessariam habebant cum originali culpa connexionem. *Habuit vero Domina nostra effectus secundi generis, qui dedecus non afferunt, sed solum aerumnam ad fidem conservandam, ad merita augenda, et ad illam Filio suo Christo magis assimilandam,* ut probe et fuse exponit *S. Ioannes Damascenus* in suis duobus de Assumt. D. N. sermonibus. *Hi effectus non supponunt culpam, quae praecederet;* nam sicut adhuc remisso in nobis peccato originali hae aerumnae ad praedictos fines permanent, ita etiam *praeservata Domina nostra a culpa originali, necessarium non fuit nec conveniens, ut illi effectus impedirentur.* 3. Quamvis *Divo Paulo* post suas extases et revelationes datus fuit angelus satanae, qui eum colaphiset motibus eis sensualibus, de quibus sub ea metaphora vel figura conqueritur, fine eum humiliandi post eius exaltationem: *ad Virginem Mariam non convenit infectio originalis ad finem eam humiliandi;* quia ad hunc finem magis aptum fuisset, ut magni Theologi observant, peccatum veniale, quatenus est magis voluntarium, quam originale, et nihilominus semper peccato veniali caruit. Ratio est, quia modus magis perfectus obtinendi et exercendi humilitatem est, illam habere per lucem et cognitionem perfectam, et non per alicuius mali experientiam. Per hanc viam *humilitas Christi fuit perfectissima, et per eandem Mater eius perfectissime eum in ea imitata fuit.* Ecce paucis in verbis, quod de praeservationis fundamentis magis considerabile est. Illis videtur dictum esse,

quod in Patribus inveniri potest pro praeservatione, quod non; quod satisfaciat ad rationes suas contrarias; quod est legitimum, quod spurium; quod eos obstrinxit ad oeconomiam, quam servaverunt; dictum est, quomodo absque Patribus potest mysterium subsistere; explicata est haec praeservationis excellentia; graviores allati sunt Theologi, qui haec explicant, et promotae sunt eorum doctrinae. Quid igitur superest dicere, nisi *praeservationem Deigenitricis iuste atque merito esse hodie fidem universae Ecclesiae? At, si est universae Ecclesiae fides, non mereretur actuose et alacriter suam formalem definitionem?* Huius mysterii fidem a Patribus meis accepi. *Ecclesia haec Cuzcana fidem praeservationis simul cum catholica fide accepit.* Eodem illuminationis suae evangelicae anno habuit etiam praedictam suam fidem. *Universus Clerus et populus, qui meum constituunt gregem, pie credunt, BVMariam praeservatam a contagione peccati orig. fuisse in primo suae felicis conceptionis instanti.* Suae in praeservationis fide progressiones praebent virtutis exempla: et magnopere notoria sunt testimonia suae inflammatae devotionis ad hanc gratiam vel singulare privilegium, quod BVMaria meruit. Die 8 et pronunc etiam 9 Decembris quotannis in Ecclesia Cathedrali huius dioecesis congregantur Eppus cum omni suo Clero, et Superior Politicus pariter cum omnibus civibus suismet subalternis ad celebrandum sacrificio admodum solemni magnum praeservationis mysterium. Eppus, Senatus Ecclesiasticus, Superior politicus huius civitatis, Curia iustitiae superior, Universitas Antoniana etc. unum sui Octavarii diem solemnitate ac magnificentia possibilibus annuatim celebrant. In Pontificia *Universitate Seminarii S. Antonii Abb. huius dioecesis qui in scientiis gradum doctoris optant, cum in inauguratione fidei professionem faciunt, etiam praeservationem BVM. protestantur, sacramento se obstringendo, illam omni tempore defendere. Ignatius a Castro,* qui Collegii S. Bernardi Abb. Rector fuit, duas scripsit dissertationes in praeservationis gratiam, quarum primam in lucem edidit a. 1782, secundam a. 1784. Sacerdotes omnes tum seculares tum regulares quoties Verbum Dei fidelibus nuntiant, ad munus suum evangelicum exequendum non progrediuntur,

quin salutationem statim faciant ad BVMariam absque pec cato originali conceptam. Quotannis die 7 Dec. in honorem Conc. BV. immaculatae, egreditur e templo S. Francisci supplicantium agmen instructo ordine praecedens, secum ferens imaginem Virginis Mariae sub mysterio suae praeservationis in ferculo deargentato collocatam; et ad laudum carmina, quae Religiosi Franciscani eo omni praedictae solemnitatis tempore modulantur, cuncti fideles, qui ad eam confluunt, pie ac ferventer hispanico idiomate sic respondent: ‚A Dios Uno y Trino — Que amante os Preserva — Santo, Santo, Santo — Gloria, Gloria sea.' Numquam mei dioecesani coronam Virginis piacularem vel in templis vel in suis domibus precantur, quin Deigenitricem salutent dicentes: ‚Salve Virgo in gratia absque originali peccato concepta.' A mane usque ad vesperam cum invicem se consalutarent, Immaculatae Virgini honorem tribuunt, eam salutantes cum formoso hoc versu: ‚Ave Maria purissima', cumque hac egregia responsione: ‚sine peccato concepta'; et prima eorum cum filiis suis solertia statim ac ii ratione gaudent, est: illos diligenter docere formulam profitendi, SS. Virginem in gratia conceptam absque macula peccati originalis in primo suae creationis instanti. Si igitur fides praeservationis in universo clero omnique populo Ecclesiam meam constituentibus tam coëvangelica est, quam dominans; si actus, quo illam venerantur, est semper pius, fervens atque rationabilis: vota sua suaque desideria, mysterium videndi formaliter a S. Sede definitum, sunt adhuc ardentiora. Adunatis igitur praedictis ardentioribus desideriis cum meis cumque Ecclesia universali, *humiliter adprecor Vestram Beatitudinem, ut dignetur mysterium formaliter definire, illudve de fide divina declarare.* — (Sine dato). *Eugenius.*

1229. **Praef. Apost. Miss. Guyanae Gallicae in Amer. Merid.** (Ad Card. Praef. Propag.) Literas, quas Eminentia Vra de quaestione immaculatae Conceptionis Mariae mihi scribere dignata est, nulla interposita mora universo Clero Guyanae Gallicae communicavi. *Omnes Mis*

sionarii nostri, laetitia perfusi intellexerunt, SSmum Patrem nostrum in hanc summi momenti quaestionem intentum esse, omnesque *confessi sunt, se, una mecum, credidisse, quod beata Virgo in sua conceptione immaculata fuerit.* Nos omnes insuper gaudentes acceptavimus novum officium, Clero Romano iam antea concessum; *totoque desiderio praestolamus beatam diem, qua Summus Pontifex solemni iudicio declarabit: Immaculatam Virginem Mariam sine macula originali conceptam fuisse. Incolae Guyanae Gallicae* tenerrima, piissimaque devotione erga Matrem Iesu Christi ducuntur. Dispositae a nobis preces ubique in frequentissimo populi concursu peractae, fidelesque curis nostris commissi *summopere mirati sunt, gloriosum hoc privilegium Mariae hucdum controverti potuisse.* Dies itaque, qua gloriosus Pontifex, nobis a misericordissimo Deo datus, tamquam doctrinam Ecclesiae statuet: Conceptionem Mariae absolute immaculatam fuisse, — a cunctis incolis Guyanae cum acclamationibus et enthusiasmo salutabitur; festumque immaculatae Conceptionis quemadmodum firmiter spero — inter nos maximis festis anni aequiparabitur. Cayennae, die 20-a Februarii 1851. *Dassat.*

1230. **Eppus S. Salvatoris in Amer. Centrali.** — Cor nostrum magno gaudio affectum est, cum sciremus Sanct. Vestram efficaciter operam navare in definiendo hoc argumento: *nihil enim aliud est, nisi totius orbis cath. votum, qui peramanter hoc ipsum optat, sequi. Cleri populique huius dioecesis devotio notabilis est, et bene manifesta circa imm. conc. Deigenitricis.* — Quod attinet ad iudicium meum in hac re, quid petere, quid dicere aut cogitare possum, nisi illud ipsum, quod Ecclesia Cath. variis iam modis protulit? Credo, SS. V. Mariam in gratia conceptam fuisse a primo instanti suae existentiae; credo etiam, nec in ipsa conceptione, nec post eam culpam unquam fuisse in sua ss. anima, quoniam Deus valde singulari gratia eam praemunivit. Innititur iudicium meum non solum in universali fidelium consensu circa rem istam, sed etiam in argumentis, quae ad hoc afferunt theologi, et

signanter in illo, quod a divina eius maternitate provenit. — Ideo *vehementer cupio, ab Apost. Sede quamprimum solemniter decerni, SS. V. Mariam ab ipso primo instanti suae Conceptionis liberam fuisse a culpa originali.* — S. Salvatore, 25 Ian. 1851.

1231. **Eppus Paraquariensis in Amer. Merid.** — Infrascriptus Dioecesanus affirmat Vestrae Sanctitati, *totum Clerum et dioecesim longe lateque diffusam corde et animo optare eam impletionem nuntiatam in relato ven. Rescripto* (2 Febr. 1849) *ad solidiorem cultum totius Reipublicae Christianae erga SS. mysterium Conceptionis Deiparae V. Mariae.* — Ex Assumtione, 13 Nov. 1851.

1232. **Deleg. Apost. item Admin. Apost. Portus Hispaniae et Coadiutor Iamaicensis in Amer. Merid. et Septemtr.** *SS. Virginem Mariam in Adam, in quo omnes peccaverunt, non fuisse mortuam, nec pro illa sed pro omnibus legem peccati et mortis constitutam, fidelium omnium sensum et eandem esse sententiam, certissime constat.* Nullus est qui non cantet in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini super illam; et quidem iuste, nam digna factis recepit. Illa Mater Iesu, qui cum sit sanctus, innocens, segregatus a peccatoribus, nullo modo cum Matre peccati serva partem habere poterat. Si Mater enim est, ubi est honor eius, si tota pulchra non esset et peccatum inveniretur in ea? Profecto *Dominus ipse signavit super fideles hoc lumen vultus sui, et haec fides posita est ut signaculum super omnium corda. Reliquum est, ut detur nunc plena laetitia in cordibus nostris, et fides ista sententia tua dogmatica firmetur in Ecclesia Dei.* Ideo, B. Pater, prosternimus preces communes ante faciem tuam, et ex ore populorum nobis commissorum laudes Virginis immaculatae perficias, obsecramus. Testimonium iuxta pientissimum cordis tui votum declaratum Encyclica ad

omnes Eppos — tibi perhibet conscientia nostra in Spiritu S. quod omnes in hac fide divites te deprecantur supercertari semel traditae patribus suis eiusdem fidei. Nam *quis ignorat, Hispanicae gentis, ex cuius genere praecipua gregum nostrorum pars est origine, de Virginis Matris Conceptione Immaculata fidem annunciari in universo mundo?* Et patrum suorum memores BVirginis ab omni labe immunis honori hanc Cathedralem Ecclesiam sacram voluere. Ita certe grandis cunctos huius sententiae persvasio invasit, ut conversum videatur quodammodo et acatholicorum cor in ipsis adhuc non credentibus, quomodo enim Matrem diligerent eius, quem quotidie conculcant? tamen non audent maledicere exercitui, i. e. Ecclesiae Dei viventis, et iudicium inferre huius blasphemiae, ut ipsi aiunt. Et cum minister quidam erroris contra privilegium Mariae, novem sermonibus ante diem festum Conceptionis eius in Ecclesia Cathedrali populo catholico plaudente assertum, multa blasphemans in templo suo per novem aeque dies ad suos, qui aderant, disputare proposuerat, post unam viri illusoris fabulationem illum silere fecerunt: tantae enim audaciae erat: Mariam in Civitate sua etiam coram inimicis suis contumeliis afficere! Idcirco, B. Pater, multum gavisi sumus, quia nobis facta est facultas — confitendi bonam confessionem ad Mariae laudem coram multis testibus, abundantius aemulatores existentes Ecclesiarum nostrarum traditionis. Cur timebimus in Maria? iniquitas calcanei eius circumdabit eam, quia serpens antiquus insidiatur ei, at illa conteret caput eius. Omnes in Adam peccaverunt: at omnes redemti sumus Christi sangvine, quem profundendum pro mundi vita de corpore tuo (sic interpellat Mariam S. Eucherius) accepit ac de te sumsit, quod etiam pro te solvat. Conceptio eius, sangvinis huius origo, talis esse debebat, ut nihil inquinatum in ea inveniretur, et super eam ita caderet, ut tueretur omnino ab inimico, qui persequebatur eam. Nonne eodem maledicto dictum est mulieri: in dolore paries filios? Quid ergo dicemus? legi subiecta est Maria? Absit, nec enim potest, cum de Spiritu S. conceperit. *Nihil vero ex S. Scripturae silentio contra privilegium Mariae arguere licet. Ea, quae Cath. Ecclesia de Maria sentit et*

firmissime tenet, potius ex traditione a Patribus accepta quam ex Verbo Dei scripto nobis credenda proponuntur. Nonne ille filius diaboli, plenus omni dolo et omni fallacia, Nestorius divinam maternitatem veluti doctrinam peregrinam reiiciebat, quod ne verbum quidem de ea aut iota unum reperiretur in lege? Concilium Ephesinum tamen tradidit illum satanae, ut disceret non blasphemare. Scriptum est in lege et legiturne in illa, Mariam V. post partum incorruptam remansisse? Si quis autem evangelisat praeterquam quod evangelisatum est semper in Cath. Ecclesia, anathema sit. Dominus Iesus Ecclesiam nobis, columnam et firmamentum veritatis, audiendam imposuit, et eam non audientes sicut ethnicos et publicanos esse voluit. Et in Ecclesia unum Pastorem statuit, ut unum sit ovile; et pro fide eius oravit, ut confirmet fratres suos, Eppos scilicet et fideles omnes, qui ibi Ecclesiam i. e. veritatem invenient, ubi est Petrus, secundum verbum S. Ambrosii. *Petrus* autem *in te vivit, B. Pater; surge ergo, decerne Mariae gloriam iudicio supremo et irreformabili,* ut in perpetuum coronata triumphet, incoinquinatorum certaminum proemium vincens. Hymnum novum cantemus Domino, ut iucundi simus secundum faciem sanctorum. Tu scis, dies nostros malos, multosque Antichristos factos, atque seductores multos in mundum exiisse, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, quorum sermo ut cancer serpit, ita ut dissensio illa ab Apostolo praedicta ventura quamprimum videatur. Et tu scis quoque, omnes haereses a Virgine sola, quam Matrem Filius Dei nobis dedit, in universo mundo interemtas esse. Da ergo nobis, B. Pater, auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. Et haec salus non est in alio, quam in Maria, nec aliud nomen sub coelo est datum hominibus apud D. Iesum, cum nihil ipse nos habere voluit, quod per Mariae manus non transiret, docente S. Bernardo et Ecclesiae monumentis testantibus. Videant per te universi fines terrae salutare Dei: ad te enim dirigimus oculos nostros. Ut simul abeant in confusionem omnes fabricatores errorum, benedicens Mariam voce veritatis et virtutis, exalta eam quantum potes, et lauda coram Ecclesia magna. Sic callidus serpens ne unius ore quidem audebit dicere, se gavisum

super eam. Sic per pedes eius se contritum capite in aeternum sentiet; sic portas inferi non praevaluisse contra Mariam, sicut praevalere contra Ecclesiam, quae est imago eius, non possunt, omnes iuvenes et virgines, senes cum iunioribus cum iubilo cantabunt. — Firma est confidentia nostra, et tenemus spei nostrae confessionem indeclinabilem, quod, sicut omnia mala per mulierem, cum satanae versutiis seducta fuit: ita omnia bona, cum sanctae Mulieris amictae sole fideles omnes — Cath. Ecclesiae auctoritate, te praecinente, dicant ex corde: Maria Immaculata vicisti. — In Portu Hispaniae, 2 Iul. 1854. *Vincentius. — Michael Monaghan. — Iac. Dupeyron.*

---

b) *Contra definitionem.*

1233. **Eppus Chiapensis in Prov. Mexicana.** — In hac dioecesi, quae primis ex incolis huius terrae praecipue coalescit, ob ss. Ministrorum, qui numeris debitis sint ornati, deplorandam inopiam, ut regio tamen sub Hispanorum Regum dominio non parvo tempore consistens, saltem in praecipuis locis circa immac. BMV. Conceptionem non exigua neque minus fervens fulget devotio. De ipsius tamen decisione tamquam dogmatis fidei, ut de re, quam pauci admodum cognoscunt, solum dicere possum, quod si sic a Vestra Sanct. definitur, toto quidem animo accipient. *Quod BVMaria Domina nostra in primo suae conceptionis momento singulari Dei beneficio a gratia praeventa, ab originali peccato omnino fuerit immunis, post tot omnium ordinum sapientium lucubrationes in dubium iam revocari non potest.* Tot etiam tantique ponderis sunt tam auctoritatis quam rationis testimonia, quae illam veritatem ostendunt, tantis in libris sese offerunt, tantisque in expositionibus Praelatorum Sanct. Vestrae erunt iam repetita, ut iis referendis immorari superfluum omnino atque supervacaneum videatur. Dicam solum in illius confirmationem, quod ven. *Avila,* magnum inter Hispanos veri zeli animarum exemplar, se habere asserat ab experientia, quod illi, qui in gravissimis tentationibus praesertim carnis auxilium

Divinae Matris per intemeratam illius Conceptionem invocaverint, singulariter confortati gloriosos contra peccatum triumphos reportarent; quodque mihi notum est de quadam persona, quae variis vicibus ab inferni flammis se adgredi sentiebat, ipso instanti invocata purissima Dominae nostrae conceptione ab illarum furiis omnino liberabatur, incolumisque manebat. Circa vero declarationem huius veritatis tamquam fidei dogma, in quo videtur quod praecipua sita sit difficultas, dicam inprimis, quod omnibus notum est, *illas solum veritates tamquam fidei dogmata posse declarari, quae per certam atque indubitatam revelationem notae fuerunt;* atque ut dignoscatur, an ita sint illae, de quibus forte oritur disceptatio, non esse aliam viam, nisi accuratam SS. Librorum atque traditionis scrutationem, in quibus tantum revelatio continetur. Videamus igitur, si aliquo ex istis duobus modis veritas immac. Conc. Dominae nostrae Deiparae Mariae dignoscitur revelata. Atque illico praetermisso quod omnibus notum est, sensum nempe accomodatitium aut etiam allegoricum, nisi aliis in locis ab scriptoribus inspiratis fuisse usurpatum constet, in rebus theologicis firmum non praestare argumentum, verbis loquar unius ex Theologis primi subsellii, atque imm. BMV. Conc. praecipuis assertoribus, P. *Francisci Suarez:* ‚Ex *Scriptura,* inquit, *petendum non est clarum testimonium,* ubi hoc asseratur; esset enim temerarium hoc postulare, cum alia privilegia Virginis, quae tamquam certa tenet Ecclesia, non requirunt huiusmodi Scripturae testimonium.‘ Ex *Traditionis* respectu dicit: ‚Consideratione dignum est, antiquos Patres pauca de hoc Virginis privilegio esse locutos‘; — ‚haec veritas (de sanctificatione in utero) non est expresse definita, aut *tradita tamquam de fide.*‘ Et *S. Thomas,* qui forte sicut nullus alius SS. Patrum scripta perlegerat, *in illis nullomodo traditam illam invenit,* alioquin sine dubio pro contraria numquam stetisset sententia. Non me fugiunt vires quam maximae, quibus plurimi hunc praeclarissimum Sanctum ab illa separare conantur: sed incassum, ut reor; cum in tantis suorum operum locis, *Summae* praesertim, in qua postremo et ex professo hanc quaestionem agitavit, ob reverentiam generalibus S. Scripturae locutionibus debitam, nullamque adhuc in piam sententiam Ecclesiae

propensionem, illam apertissime docuit. *Petavius* item, alius ex praestantioribus Theologis atque in Patribus inter primos versatissimus, licet pro immac. SS. V. Conceptione certaverit, *in illis clare traditam non invenit.* Si Sacris igitur in Literis, ut notum est, veritas immac. conc. non ita invenitur expressa, ut tamquam fidei dogma proponi populis possit, si e SS. Patrum scriptis non constat, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus sit tradita, multoque minus quod tamquam de fide sit tradita; cum neque locus, nec valetudo, nec ingenium, nec alia quae in illum finem esse possent utilia, mihi suppetant, ut melioribus quam S. Thomas, aut saltem Petavius, oculis videre possim, quid hac de re in traditione contineatur; cum neque Patres, qui Basileae remanserant, quique nihil non tentarunt, ut hanc rem confectam omnino relinquerent, in eum sensum illam definierint; cum verba, quibus BVirgo dicitur Immaculata, intelligi possint, quemadmodum illa in 2 Petri epistola c. 3. ‚propter quod, carissimi, haec spectantes, satagite immaculati ei inveniri in pace', intelliguntur: *non sine magno dolore cordis, B. Pater, pro declaratione dictae veritatis tamquam fidei dogmate suffragium ferre non audeo. Maneat igitur apud omnes illa firmissima veritas, ea tamen certitudine, qua quidem ipsius BVirginis assumtio in coelum cum corpore simul et anima creditur, licet non tamquam fidei dogma teneatur.* Non parum morae mihi attulit id, quod vir religiosus de literis non parum meritus, cui negotium commisi, nonnisi 16 Aprilis dictamen haud parvum, magna quidem cura elaboratum, atque ex Armamentario Seraphico praecipue depromtum, exhibuit; sine cuius examine, desiderio aliam amplectendi sententiam, meum iudicium proferre rationi consentaneum minime duxi. Id cum non accidisset, dictisque non obstantibus, *si SS. Virginis imm. Conceptio tamquam dogma fidei a Vestra Sanctitate vel ab alio Vestro Successore definiatur, dum forte adhuc e vivis non exeam, maxima cum exultatione atque toto corde recipiam, cunctisque meis viribus semper defendam.* — In Civitate S. Christophori Lascasas, Idibus Iulii 1852. *Ioseph Maria.*

1234. AEppus Guatimalensis in Amer. Centr. — In Pontificii mandati observantiam peracta fuit in Cathedrali Ecclesia solemnis deprecatio; — non defuit christianae plebis continuata frequentia et Magistratuum assistentia. Deinde secutae sunt conventuales Ecclesiae, simul et paroeciales Civitatis ac tandem rurales omnes. Singulae devotionem magnam exhibentes, et ingentem hilaritatem in Sacramentorum usu, templorum visitatione, necnon domorum ornatu per diem, et illuminatione per noctem. Invitatis ad cuncta praedicta Capitulo, studiorum Universitate, Regularium coenobiis, et Parochis, necnon Reipublicae Gubernatoribus, Iudicibus et Rectoribus Civitatis, Civitas ipsa per suorum Rectorum coetum, et Seraphici Ordinis duo Conventus sententiae suae placita ostendere in deliciis habuerunt per allegationes, quas originales adiungo. Ex his demonstrationibus colligere fas est, quo desiderio flagrent Guatimalana plebs Clerusque secularis ac regularis pro dogmatica declaratione. Quod ad me attinet, Origenis placitum amplector, qui Salutationem ‚gratia plena' vertit: ‚gratia formata'; sequentium Patrum similem sententiam contemplor; remotam antiquitatis festi huius celebrationem revereor; Conciliorum tam generalium quam particularium conceptus profiteor; Summorumque Pontificum decretis venerationem pronus exhibeo. Praeteritam item aliquot celebrium theologorum aberrationem in hac materia, uti S. Cypriani et Firmiliani assertiones circa baptisma ab haereticis collatum suscipiam; et posteriorem theologorum omnium universalem acclamationem uti securum veritatis nuntium considerabo. Siquidem *Mariae Conceptionis immunitas est praerogativa consequens beneficium Incarnationis, quasi complementum redemtionis humani generis, ac peccati originalis quaedam declaratio, divinae gratiae dogmatum custodia, et splendor effulgens, qui Mariae celsitudinem ad tale efferunt culmen, ut illa videatur esse per gratiam, quod a natura Iesus Christus Dominus noster.* Unde Conceptionis Immaculatae praerogativa est Christianorum laetitia, Ecclesiae decus, vita, dulcedo, et spes nostra. *Dogmatis autem declarationem petere expavesco: bene vero exposcentium vota plaudo, et in casu declarationem amplectar et ex toto corde*

recipiam, quia video fideles per immac. Conc. invocationem beneficia plura e coelo adipisci. — Guatimalae, 2 Oct. 1853. *Franciscus.*

1235—1240.

Responsa ex Oceania, Australia ad Encyclicam Pii IX. a. 1849. 1850.

1235. **Eppus Aucklandiae in Oceania.** — Parisiis tantisper commoranti, cum exitu mensis Martii ab Excellmo D. Nuntio Aplico consignatae sunt mihi encyclicae Sttis Vrae literae, immaculatam Conceptionem B. Virginis, instar articuli fidei Ecclae definiendam respicientes. Literis his Sttas Vra Eppos catholici orbis provocat, ut suam de hoc obiecto sententiam adaperiant. Laetus perfungor officio obedientiae erga Sttem Vram, et pietatis ac amoris erga spiritualem Matrem salutis nostrae, respondendo: *me laudabilem et proficuam putare intentionem, vi cuius Cleri et catholici populi fides de immaculata Conceptione Mariae explicita reddetur. Lubens subscribo huic doctrinae, in sacris paginis praesignatae, traditioni non secus ac constanti Ecclesiae pietati superstructae.* Dudum iam profiteor hanc veritatem, ipsamque meam in occidentali Oceania missionem mox ab exordio totam tutelae Mariae commisi, et vocabulo immaculatae Conceptionis insignivi. — 1849. (Sine dato.) *Ioannes Pompallier.*

1236. **Eppus Nominis Iesu** (Cebu) **in Ins. Philipp. Oceaniae.** — Desiderando obsequi iis, quae Sanctitas Tua mihi dignata est mandare per Encyclicam Pontificiam diei secundae Februarii nuper elapsi, videlicet, ut informationem darem de devotione ac sensis, quibus populus et Clerus huius Dioecesis in *Insulis Philippinis* sitae erga immaculatum Conceptum Mariae Sanctissimae sit animatus, exponeremque sententiam meam ac desiderium commune, videre dictum

articulum dogmatice definitum, prout id a S. Sede fideles populi expetierunt: audeo humillime testificari, *magnam esse devotionem, qua fideles et Clerus heic erga purissimam Sanctissimae Virginis Conceptionem feruntur,* honorantes eam vicibus saepe repetitis, laudantesque perquam frequenter, nunc in Ecclesia recitando verba sequentia: „Benedictio et laus sit Sanctissimo Altaris Sacramento, et purissimae Conceptioni Mariae Sanctissimae conceptae sine peccato originali inde a primo instanti suae vitae naturalis". *Sententia communis horum fidelium ac Cleri est, fuisse illam sine labe peccati originalis conceptam, eiusque sententiae ratio est, quia sic erant instituti a suis Episcopis et Parochis, idemque etiam credunt propter devotionem, qua Sanctissimam Virginem prosequuntur considerando eam ut Matrem Dei,* adeoque ut dignam tota gratia, valdeque scandalisarentur audientes aliquem dicere Mariam Sanctissimam contraxisse peccatum originale. Ut Sanctitati Tuae obediam, exponam meam etiam opinionem super hoc puncto, quamvis sentiam me carere illa claritate, quae ad explicandas res tam altas et mysteriis plenas est necessaria, unde et me totaliter iudicio Sanctae Ecclesiae subiicio. *Mea sententia, meoque videre Sanctissima Virgo fuit concepta sine ulla macula peccati originalis;* videtur enim esse valde conforme et conveniens Deo, ut illam ab omni labe peccati originalis praeservaverit immunem, quia illam ab aeterno elegit in Matrem Unigeniti Filii sui; quae ratio quum sit certa, quis potest dubitare Dominum disposuisse, ut illa esset ornata omni gratia et praerogativa, ut digna Mater Dei evaderet? Omnes, qui catholice sentiunt, credunt firmissime Dominum illi maiorem gratiam contulisse, quam omnibus hominibus unquam natis: credunt etiam firmissime eam non contraxisse peccatum actuale etiam levissimum; hinc autem apparet magnitudo gratiae, quam Deus in anima eius diffudit, donorumque, quibus eam dignatus est adornare; si Deus potuit eam a peccato originali praeservare, prout reipsa potuit, numquid supponere licet Dominum omisisse eam a dicto peccato servare immunem? et permisisse, ut qualicunque sub titulo fuerit mancipium diaboli etiamsi ad tempus brevissimum? Possumusne credere Deum, si eam

ab aeterno elegit, ut esset Mater Dei, Mater Sanctissimi sui Filii et obiectum deliciarum suarum, scivitque eam in omnibus futuram conformem sanctissimae suae Voluntati, quin vel per minimam culpam illum offenderet, aut ei ullo modo contradiceret, possumusne, inquam, credere Deum permisisse, ut illa vel unico instanti esset obiectum irae suae? Non, Sanctissime Pater, non possum id credere, imo ex opposito firmissime credo, Dominum illam praeservasse ab omni macula peccati originalis, ut tota esset pulchra, sine macula, et placens in oculis Domini. Si in Scriptura Sacra occurrunt textus aliqui, in quibus dicitur, omnes homines in Adamo peccavisse, et peccatum originale contraxisse, id minime obest eis, quae diximus; textus enim ii intelligi debent de omnibus generatim, non tamen ita, ut Sanctissima Virgo ab illa regula generali excipi non possit, praesertim quum ratio cognoscat, exceptionem hanc esse ordini gratiae, et divino operandi modo conformem, atque in eadem Scriptura Sacra legamus textus, qui secundum expositionem Sanctorum Patrum intelligi et explicari debent de Sanctissima Virgine concepta sine peccato originali. — Dixi eam exceptionem esse divino operandi modo conformem, opera enim Dei sunt perfecta, nec dubium est Dominum ab aeterno decrevisse non permittere, ut Maria Sanctissima esset sub servitute diaboli, hicve in Virgine Sanctissima haberet partem ullam, de qua gloriari posset; quia scilicet sic conveniebat magnae dignitati Matris Dei, honorique Sanctissimi Filii sui, qui unicus dicere potest: „Mea solum Mater est pura, exemta et in omnibus ac per omnia placens in oculis Dei.“ *Quoad desiderium commune definitionis dogmaticae nihil possum dicere speciatim; omnes enim isti fideles ac Clerus sunt persuasissimi Matrem nostram Ecclesiam credere et praecipere, ut credamus, Virginem Sanctissimam esse conceptam sine labe peccati originalis,* quumque nemo sit, qui id inficietur, illique vix ullam suspicionem opinionis contrariae habeant: nullum novum desiderium manifestant, sed utique perseverant in sua devotione ac fide, quemadmodum supra exposui. *Mea* porro *vota, Sanctissime Pater, eo redeunt, ut, si qui nostris forte temporibus inveniantur, qui defendere velint, Virginem Sanctissimam*

esse conceptam in peccato, omnino ut dogma fidei declaretur: *„Virginem Sanctissimam esse conceptam sine macula peccati originalis“* ad maiorem honorem et gloriam Matris Dei. — Cebu, 31 Aug. 1849. *Fr. Romualdus Ximeno.*

1237. **AEppus Manilae in Insulis Philippinis Oceaniae.** — Laetatus in Domino, quod singularis haec se offerret occasio, in qua pro virili, in remotissimis his regionibus constitutus, concurrere possim ad maiorem Redemtoris et omnium nostrum Matris gloriam et ad communem militantis Ecclesiae utilitatem, illico statutas preces peragendas curavi. — Hic *Clerus, Hispanici Cleri,* cuius pars non exigua est, *vestigia sectans;* hic *populus christianis in rudimentis ab Hispanis imbutus, eandem circa BV. ab omni originis labe immunem semper credendam doctrinam profiteri, eundemque erga eius immac. Conceptionem cultum tribuere a primis temporibus consvevit, quem profitetur ac tribuit Catholica illa Natio,* cuius in hac re sententia atque devotio iampridem notissima mundo est. Hinc fit, ut Metropolis pietatem Dei aemulatione aemulans, non minores quam illa tanto mysterio solemnitates peragat; quin nec incredulitatis incursus, nec venenata nostri seculi indoles, quibus quotidie fides christiana alibi labefactatur, vel minimum valeant ad eas minuendas vel refrigescendas. Hinc etiam, ut quam plures harum Insularum Ecclesiae ipsaque inprimis Cathedralis Mariam in sua Conceptione purissimam Patronam et Tutelarem agnoscant, eiusque dies festus solemnissime quotannis celebretur non modo incredibili populi concursu, verum etiam Prorege, Magistratibus et Civico Senatu assistentibus. Hinc similiter, ut Eppi, in dignitate eccl. constituti, Canonici, Portionarii, Paroeciarum rectores, cunctique beneficiati, antequam canonicam institutionem accipiant, piissimam hanc de S. Virgine opinionem defendendam iuramento promittant; quod faciunt etiam, qui gradus academicos in Manilana Universitate sub FF. Praedicatorum regimine constituta sunt accepturi; imo fideles omnes nec breviusculae deprecationi finem imponere, nec domum aliquam

ingredi, nec lucernas in propria accendere solent, quin coeli ac terrae Reginam in primo suae conceptionis instanti immaculatam salutent eique gratulentur, pro tertio quoque verbo frequentissime usurpantes: ‚Ave Maria purissima, absque omni peccato concepta.' *Tantum devotionis est, B. Pater, ut pene mihi scrupulus esset, Sanct. Vestrae Encyclicam publicaturo, huic candido populo notificare, adhuc sub lite esse rem, quam ipse ut indubiam et sacratissimam incessanter est veneratus.* Post haec nihil necessarium duco Sanct. V. attentionem tot tantisque curis distractam pergravare, argumenta exponendo, quibus solidissime evincitur, BVirginem numquam fuisse in tenebris sed semper in lumine, ut dicebat S. Hieronymus; et eo magis a tali expositione abstinendum censui, quod nec Vestram illa sapientiam fugiant, nec omissa a me supponi debent in ceterorum orbis cath. Praelatorum epistolis, in quorum catalogo vix infimum locum mereri me iudico. Accedit, quod fortasse post omnes ad praedictam Encyclicam Indiarum Eppi respondebimus, non alia abs dubio de causa, quam ob distantiam et separationem locorum, quae ex Domini vinea nobis obtigere in sortem. Quare in id solum incumbam, ut Sanct. Vestrae asseverem, *ipsissimam esse doctrinam meam, identica mea vota et desideria, ac quae dignissimus praedecessor meus Apost. Sedi explanavit reverentissima epistola data IV Kal. Iul. 1844: ac sicut ille, enixe me Deum rogare, ut quamprimum felicissimus adveniat dies, in quo suprema Petri Cathedra orbi catholico annuntiet tamquam infallibilem Ecclesiae doctrinam, Verbi incarnati Genitricem omni prorsus peccato tam originali quam actuali semper caruisse; atque in rem eandem conspirare suspiria et expectationem Cleri et plebis mihi commissae.* — Manilae, Idibus Oct. 1849. *Fr. Iosephus.*

1238. **Eppus Adelaidensis in Australia Merid.** Gratia S. Spiritus cum fervore magno implorata, ut intellectum et consilium meum dirigere dignaretur in quaestione de immac. BMV. conceptione, festino in re tanti momenti humiliter et cum debita reverentia Sanct. Vestrae suffragium

meum et sententiam meam definitivam transmittere: Ego Franciscus Adelaidensis Eppus in Australia Meridionali, *firmiter credo, BM Virginem speciali privilegio sine labe peccati originalis conceptam fuisse.* — Adelaide, 6 Dec. 1849. *Franciscus Murphy.*

1239. **Vic. Apost. Insularum Sandwich in Oceania.** Sero quidem sed summo cum gaudio accepi legi et reverenter osculatus sum literas Sanct. Vestrae datas Caietae (utinam Romae!) die 2 Febr. 1849. *Ardentissimo orbis cath. desiderio, ut ab Ap. Sede solemni iudicio decernatur, SS. Deigenitricem absque labe originali fuisse conceptam, toto corde participamus; nam et nos, SS. Pater, credimus et confitemur, totam pulchram esse hanc Virginem gloriosissimam, non in parte sed in toto, et illam ab omni macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis omni tempore fuisse immunem;* quod Scriptura Sacra, quod SS. Patres, quod Bullae Summorum Pontificum, quod Concilia, quod sensus communis fidelium, quod etiam revelationes satis superque probant, ut videre est apud innumeros auctores theologos, et praesertim apud S. Alphonsum de Ligorio, qui merito dicit praesentem sententiam esse hodie luce meridiana clariorem. *Omnes sacerdotes et ceteri clerici,* qui in hac parte vineae Domini una mecum laborant, *circa illud punctum sunt unanimes, et idem dicere possum de neophytis nostris,* quibus licet in fide adhuc rudibus haec eadem sententia semel enunciata credibilis facta est nimis. Archisodalitati in honorem SS. et immac. Cordis BMV. pro conversione peccatorum in variis huius Archipelagi insulis institutae plura millia nomen dederunt. Haec brevis oratio: ‚Maria sine labe concepta, ora pro nobis ad te recurrentibus‘, ubique privatim et publice pluries in die ab illis recitatur. Medaliam imm. conc. quae miraculosa dicitur, secum ferunt et ferre gloriantur. — Honolulu, 6 Iun. 1850. *Ludovicus.*

1240. Vic. Apost. Insularum Marchesarum in Oceania. Dum encyclicae literae 2 Febr. 1849 datae, — quibus Sttas Vra suffragia precum omnium filiorum suorum deposcit, ut Dominus eidem cognoscere faciat, quid in quaestione immaculatae Conceptionis Mariae decernendum sit, — ad nos pervenissent, Rssmus D. Eppus Basilinopolis, harum insularum Vicarius Aplicus hinc abfuit, et verosimiliter adhuc in sancta civitate, quo, causa deponendi ad pedes Sttis Vrae profundissimae venerationis, et integerrimae submissionis homagii profectus est, versabatur.

Interim nihil potius in curis habuimus, quam ut, votis Sttis Vrae consentanee, manus et corda ad coelum levemus, Eidemque inde, pro modulo nostro, gratiam et lumen S. Spiritus impetremus.

Porro satisfacere cupiens desiderio Sttis Vrae, addere sustineo: *quatuor sacerdotes, e quibus Clerus insularum Marchesarum nunc consistit, plurima consolatione perfundendos fore, si edocti fuerint: Sttem Vram tamquam articulum fidei enuntiasse immaculatam Conceptionem Mariae, quam et ipsi titulo Virginis, sine peccato conceptae, honorare gestiunt, et a neophytis, generali praxi Ecclesiae conformiter, coli faciunt.*

Quod vero ad pusillum — pro dolor! — neo-conversorum nostrorum gregem attinet, qui in fide novitii, vix alia circa immaculatam Conceptionem fovent sensa, quam quae iisdem instillare tentamus, sufficiat Stti Vrae testimonium perhibere: quod hi SSmam Virginem quotidie, communi recitatione quintae partis rosarii, et litaniarum in honorem eius compositarum, peramanter colant. Muihirae, 28 Aug. 1850.
R. Dordillon.

Appendix I.
exhibens postulata Capitulorum, Regularium, aliorumque pro definitione immac. Conc. BMV.
1849—1854.

1241. **Capitulum Venafranum in Sicilia.** Postquam perspeximus, Sanct. Vestram ad vota nupera pientissimi Regis nostri Ferdinandi II Missam Officiumque proprium de immac. BMV. Conceptione omnibus citra Pharum Ecclesiis concessisse, magna nos supra modum ob praeclarum Sanct. Vestrae munus laetitia affecti sumus, eo, quod BVirgo sub hoc titulo non solum regni totius praecipua, sed et huius Civitatis peculiaris et prima merentissima Patrona haberetur, adeo, ut solemne iamdiu eiusdem festum cum nundinis hic celebretur, et inter Missarum solemnia ad altare publica vota per Magistratus quotannis deferantur, cereos, clavesque urbis quotannis offerendo. Extat insuper duobus abhinc seculis in ara suo nomini addicta eiusdem Virginis perpolitum e ligno ab egregio sculptore simulacrum, quod dum pulchre immac. Reginam repraesentat,. in eandem omnium pietatem cultumque exagitat. Enimvero quam iucundum, ni longius foret, enarrare, amantissimam Matrem nostram conceptam in rebus dubiis quamplurimis, periculis, vicibusque adversis et asperis quam opportunum nobis praebuisse auxilium, et civitatem et cives incolumes hucusque servasse! *Ex communi pietate commune votum liquet, pro quibus expetitur, ut tandem per Sanct. Vestram decernatur, fideique adnectatur articulis*: *Mariam semper Virginem absque ulla prorsus levi labe in beatae ipsius parentis visceribus fuisse conceptam.* Neque fas sit coram Sanct. Vestra, quae prima et infallibilis doctrinae et veritatis cathedra est, de privilegio eiusmodi amplius dogmatisare, quum satis superque disputatum sit, et communi SS. Patrum consensu compertum, ut pro certo illud teneamus, si non expresse, implicite tamen et ex adiunctis in S. Literis conti-

neri. ‚Sapientiam namque aedificasse sibi domum' Prov. IX. divinorum Patrum testimonio Mariae veraciter competit, in qua templum suum extruxit Aeternum Verbum, electa sibi Matre. Et domus huiusmodi ab initio quam digna Deo, qui auctor est gratiae, debuit esse, et omnino ullius originalis maculae expers, ubi iam exciderat columnas septem, nempe universas virtutes! Quomodo habitaculum Divinitatis corporaliter, et quod aeterna Sapientia iam sibi pararat, esse non meruit nisi purum, sanctum et ab omni vel levissima labe mundatum. Hinc in huiusmodi aedificatione, quod fuit a Conceptionis eius primissimo instanti, aeternus Salomon iure protulit: quam pulchra es amica mea, et macula non est in te! Cum ipsa tota pulchra sit, non omnium tantum hominum, sed et Angelorum pulcherrima, et nulla sit in ea macula culpae vel poenae, uti tota sentit et consentit Ecclesia teste C. Tridentino, idcirco S. Augustinus, cum omnes homines etiam iustos peccato veniali subiacere dixisset, subdidit: excepta S. Virgine Maria. — Hinc ardens rubus, quem vidit Moyses incombustum, non de perpetua tantum Mariae V. integra puritate, sed et de immac. Conceptu intelligatur oportet; veluti etiam de lilio inter spinas, adeo ut si protoplastorum naturam tamquam haeres ipsa portaverit, nullatenus vero culpam, pro qua antiqui colubri eius calcaneo insidiantis caput statim conterere gloriose meruerit. Subtilissimus Scotus, tamquam allatus Moyses, vidit primus Visionem hanc magnam, et pro tanto mysterio feliciter pugnavit, in eiusque sententiam totus cath. orbis iubilans abiit. Neque tantum simplex fidelis populus, sed et doctiores viri, celebrioresque Europae Academiae, et SS. Iesu Christi Vicesgerentes in unum confluxere, ut allatum privilegium pro certo haberent, colerentque, silentium ulterius indicendo, ne mysterium istud in quaestionem amplius adduceretur. Quae quum ita sint, et post effusas ad Deum preces, ut Sanct. Vestrae praescripto per literas Apostolicas die 2 Febr. a. c. Caietae exaratas, libentissime pareremus in hac tanti momenti re, *unum tantummodo, B. Pater, exoptamus, Sanct. Vestram de praefato imm. Conc. articulo statuere quamprimum dignari,* ut piae universali sententiae, quae iam tenetur, firma ulterius addu-

catur fides, et quam maxime augeatur cultus in SS. Dei Matrem Conceptam. — Venafri, postr. Id. April. 1849. (Subscripti 36 Canonici et 7 Parochi.)

1242. **Capit. Aeserniense in Sicilia.** — Rogato divino auxilio ab auctore bonorum omnium in ista maximi ponderis ac momenti definitione imm. conc. BMV. quam cum Augustino formam Dei appellamus, *visum est nobis ne minimam quidem in animo volvere dubitationem circa hanc veritatem praestantissimam;* quid enim tam absonum fidei necnon humanae rationi, quam asserere, cum originali macula conceptam fuisse Deiparam V. quam coelestis Nuntius salutans vocavit gratia plenam? Potestne praesumi macula in Maria, de qua verba faciens Petrus Damianus ait: Caro Virginis ex Adam sumta maculas Adae non admisit? Deus, qui ab aeterno elegit Mariam filiam primogenitam suam, gratias etiam parat peculiares ad praeservandam eam ab omni labe peccati. Deus, qui mentem divinam adhibet, et totus in eo est, ut incorrupta semper maneat puritas corporis Mariae, non minorem diligentiam, ut ita dicam, adhibere debebat ad custodiendam puritatem animae, eius corpore longe nobilioris: ergo si intemerata fuit puritas corporis Mariae, quinimo superior puritate Angelorum, intemerata et superior angelica puritate esse debuit innocentia eius. Iam usque a temporibus priscis placuit Deo et mysticis signis et Prophetarum praedictionibus cuicunque aetati ostendere similitudines, quae Matrem Salvatoris praenunciabant, et eius purissimae Conceptioni bene quadrant, ut pene omnium Patrum testimonio hoc satis superque roboratur. Adam revera e virginea terra non adhuc a Creatore maledicta ductus fuit: Adae scite referebatur Christus, qui humanam sumere carnem debebat e Virgine pariter sine macula concepta. Super aquas diluvii fluctuabat Arca familiam a Deo electam ad iterum propagandam humanam speciem ferens: Arca Noë imaginem exhibebat Mariae, quae incolumis evasit e commotis fluctibus communis erroris, uti decebat Deigenitricem. Praeterea adeo

sublimis dignitas Sponsae Spiritus S. ad quam Maria ab aeterno a Deo ordinata fuit, nullo unquam pacto aptari potest originariae culpae: nam sanctitas, potentia ,et singularis praedilectio divini Sponsi satis postulabat integritatem dilectae suae: hinc S. Damasus aperte vocat Mariam immaculatam conservatam in sponsam Dei. *In animo nobis est, B. Pater, profiteri Mariam V. sine ulla macula originali fuisse conceptam.* — Aeserniae, XIII Kal. Apr. 1849.

1243. **Capit. Luccanum in Italia.** Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Luccanae, quod omni tempore obligationis suae esse duxit obsequium et venerationem praestare omni nutui S. Sedis, videndo, quantopere sit cordi Sanctitatis Vestrae cognoscere sensus Catholicorum et signanter Cleri circa Conceptionem Virginis Mariae, existimavit non esse silendum super re, quae tantam meretur considerationem, et tantam conciliat coram mundo catholico dignitatem communi Matri nostrae et Advocatae potentissimae. Sed sicut notum est, quam docte et profunde postremis his temporibus super hac quaestione scripserit Cl. P. Perrone in volumine Sanctitati Vestrae oblato, et per Eam clementer excepto, hinc praevium Capitulum non praesumit novi quidquam adiungere ad sustentandam hanc piam doctrinam. Cupit tamen ex alia parte, ut Sanctitati Vestrae innotescat, *quod Dioecesis Luccana inde ab anno 1765 qua principalem Patronam colat Beatissimam Virginem Immaculatam,* et ad hunc scopum a Praedecessore Vestro Clemente XIII, per Rescriptum S. Congregationis Rituum eodem anno obtinuit officium proprium celebrandum *sub ritu duplici primae classis,* cum Missa propria et Octava. *Existimat longe a vero recessisse eos, qui dicebant, Scripturae S. et Traditioni esse contrarium docere, Mariam ab haereditaria culpa praeservatam exstitisse.* Et reipsa si istud subsisteret, non fuisset doctrina haec appellata *pia* a tantis Romanis Pontificibus praedecessoribus vestris, nec per eos permissum fuisset, ut id catholici Theologi doceant defendantque in scholis, et sacri oratores id

fidelibus publice proponant, quia defendi et enunciari non potest ut pia sententia, auctoritati Scripturae et traditionis contraria. Si e Scriptura et Traditione non constaret Virginem a peccato originali fuisse immunem, Concilium Tridentinum non potuisset enunciare *„non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto,* ubi de peccato originali agitur, *beatam immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.“* Et revera rite vidit Tridentinum genericas Scripturae et Traditionis expressiones, ideo clare edixit, quod non intendat praefato suo decreto comprehendere Sanctissimam Mariam. Ostendit itaque, quod propositiones Scripturae et Traditionis, queis generaliter exprimitur omnes posteros Adae contraxisse culpam originalem, possint imo debeant admittere exceptionem relate ad B. Virginem. Ast Scriptura et Traditio non solum non sunt oppositae doctrinae, de qua agitur, sed eam succolant, eique patrocinantur. Scriptura duplici ratione insinuat veritatem doctrinae huius, in sensu quippe literali, et in adplicatione, quam facit Ecclesia magnae Virgini, multorum textuum in sensu spirituali ad eam confirmandam servientium. Omissis ob brevitatem scripturalibus testimoniis secundae classis, memorabimus solum celebria verba, quae in Genesi leguntur *(Cap. III. v. 13.)* queis Deus serpenti annunciavit, seu rectius daemonio, quod sit suo tempore per feminam configendus: *„Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.“* Iam si singularis haec mulier non fuisset immunis a culpa originali, daemonium ei non struxisset unquam insidias, sed potius eam habuisset sibi subiectam, et sic suprafatum oraculum non fuisset plenarie impletum, si Virgo haec in peccato concepta fuisset. Inutile foret hoc loco allegare omnia testimonia Patrum graecorum et latinorum, et antiquae liturgiae, quae clare manifestant communem Ecclesiae sensum relate ad hoc privilegium, quo Deus ornare voluit Matrem suam. Idcirco testimonia haec per celeberrimos scriptores sunt adoptata, inter quos nominamus praelaudatum P. Perrone, et Eminentissimum Card. Ludovicum Lambruschini, qui insigniter scripsit de immaculata Conceptione Mariae, in

sua dissertatione polemica impressa Romae typis Congregationis de Propaganda Fide 1843. Praeterea S. Augustinus Litera 143 ad Marcellinum, et 164 ad Episcopum Evodium scripta, cum rationibus asserit pro vero teneri debere, quod communis fidelium sensus pro tali recipit, etiamsi silerent sacri codices. Iam autem quis ignorat fideles universaliter conspirare in eo, quod Virgo immunis fuerit non solum ab omni culpa actuali, sed etiam originali. Sufficiat dicere quod numerosissimi sint Episcopi, et Superiores Ordinum religiosorum, qui postulabant a S. Sede indultum Praefationi 8-ae Decembris adiungendi verba, *et te in conceptione immaculata,* et in Litaniis Lauretanis encomium *Regina sine labe originali concepta,* ut constat e copiosissimis illis elenchis, per P. Perrone in fine mentionati sui operis adductis. Usque ad sua tempora Praedecessor vester Alexander VII. dicere potuit in sua Constitutione ‚Sollicitudo omnium Ecclesiarum': *Vetus est Christi fidelium erga beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii, humani generis Redemtoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium.* Quibus verbis primo testimonium perhibetur, sensum fidelium esse, quod Sanctissima Maria praeservata fuerit immunis a macula peccati originalis; secundo declaratur, qualiter fideles in celebratione festi Conceptionis Virginis, non aliud sibi proponunt obiectum, quam immunitatem illius ab haereditaria culpa. Et hinc ecce alia invicta proba, quae in favorem immaculati huius conceptus, e celebratione festi deducitur. Et revera S. Thomas de Nativitate Mariae Virginis loquendo, sic argumentatur: Ecclesia celebrat festum Nativitatis Mariae. Ergo illa fuit sancta in sua nativitate, seu nativitas illius sancta fuit et immaculata. Iam si argumentum hoc valet, prout reipsa valere debet, debet pariter admitti sequens: Ecclesia celebrat festum immaculatae Conceptionis Mariae Virginis. Ergo illa fuit vere sancta et immaculata in suo conceptu; pro certo proin teneri debet eandem praeservatam fuisse a peccato originali. Adiungatur

rebus adusque ventilatis observatio, quam facit magnus ille pater et magister eloquentiae sacrae *Paulus Segnerus* in suo *Manna animae* (8. Decemb.) Considerans ille, iuxta dictum SS. Patrum, quod Divinum Verbum formaverit pro se, et non pro alio, domum quam inhabitare voluit, secundum illud *Sapientia aedificavit sibi domum*, sic se enunciat: ‚Quomodo posset indicari, quod Verbum aeternum formando adeo pulchram domum, uti est Virgo, eamque expresse formando pro se, unquam admisisset, ut pergat eam inhabitare ante se daemon, traditor suus, et non solum habitare, sed eam possidere in virtute peccati, quod dicitur originale? Istud non potest rationabiliter credibile videri. Quomodo ergo potuit aeternum Verbum daemoni possessorium tale admittere? de necessitate, aut de electione? Si e necessitate, ergo non habuit in se tantum virtutis, ut hoc potuisset impedire. Si de electione, ergo non habuit tantum erga Virginem amoris, ut voluisset. Quis autem admittet absurdum istud, utrumque gravissimum? Ergo credendum est, quod qui pro se illam fabricavit, pro se illam voluerit semper mundam, semper puram, semper pulchram, semper immaculatam.‘ Vis adductorum argumentorum Capitulo Metropolitanae Ecclesiae Luccanae adeo stringens esse videtur, ut se declarare debeat pro pia illa sententia, firmiterque speret, quod illam veneraturum sit, per oraculum Sanctitatis Vestrae, qua catholicum dogma. Dum praedictum Capitulum Largitorem omnis boni eo fine precatur, ut ocyus veniat dies, dies desideratissimus, quo S. Sedes Romana, lumine Spiritus S. semper manuducta, solemniter definiat gravissimum obiectum immaculati Conceptus Mariae, humiliter prostratum etc. 5. Octobris 1849.

1244. **Abbas Guadalupensis cum Colleg. Capitulo in prov. Mexicana.** Mexicanae S. Mariae de Guadalupe insignis Ecclesiae Collegiatae Abbas, Canonici ac Praebendati turpissimam ingratitudinis notam declinare non posse duximus, si ad maiorem beneficentissimae nostrae Patronae gloriam promovendam nihil omnino ageremus, hoc vel ma-

xime tempore, quo illustriores Ecclesiae Praesules, Canonicorum Capitula, et Religiosorum Ordinum Congregationes magnopere conantur Sanctitatem Vestram eo flectere, ut infallibili qua pollet in rebus fidei iudicio solemniter decernat, ab omnibus fidelibus ut fidei dogma esse tenendum, S. Deigenitricem sine originis labe fuisse conceptam. Certe gloriosissimo illo sui amoris pignore, quod nos perpetuo colimus, quodque nulli alii nationi fuit concessum, quemadmodum Vaticani declaravit oraculum, pulcherrima nempe Mariae imagine vilissimo pallio, Dei digito mirabiliter depicta ea ferme specie, quam Ioannes Evang. descripsit dicens: Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, — gloriosissimo illo pignore arctius prae omnibus teneri super omnes terrae populos gloriantes confitemur. Pro hac piissima atque universali sententia ex ubere campo SS. Scripturarum, SS. Patrum atque Doctorum, cunctorumque catholici orbis ordinum, uno verbo traditionis ecclesiasticae quanta et quam multa et locupletissima possent proferri testimonia, is nesciat qui maximarum et notissimarum rerum laborat ignoratione. Unum ergo pro universis sufficiat asserere: quam Angelorum hominumque Rex Omnipotens Deus Angelis et protoparentibus humani generis gratiam est impertitus, Angelorum hominumque Reginae denegasse, Deo ipsi parum dignum, potius indecorum nemo non videt. — *Illa tandem desiderabilis atque laetabunda illucescat dies, qua Petrus per Vestrae Sanct. labia ex Vaticano intonet: Maria Theotocos vixdum concepta Deo extitit gratissima.* — Ut autem melius nostram petitionem exponamus ac praecipue roboremus, Canonici nostri Doctoralis *Francisci de Paula Alonzo Ruiz de Concjares* vocem pro hoc negotio audire decrevimus, cuius criterium tam recte et accurate scriptum reperimus, ut non tantum integrum totumque Sanct. Vestrae humillime transscribamus, sed toto corde etiam libentissime subscribamus. Ipse dicit: „Si quid est in me ingenii, quod sentio, ut quae Deus O. M. eximia prorsus inter omnes praeelectae Virgini Matri contulit beneficia, dicere possim, haud unquam inveni, aut si invenissem forte, nullo mentis acumine apprehendere, nulla verborum copia referre, vel nullis tan-

dem ornare floribus eloquentiae valerem. Quod si ego non facio, nec quidem certe facere possum, exitum mihi gloriosum dicendarum rerum dabit maiestas, quae omnium disertissimorum etiam hominum intellectus perspicuitatem exsuperat. *Esse vero* (BVirginem) *in plenitudine gratiae conceptam omnis plane Christiadum chorus feliciter confitetur.* Quid igitur ego? assentior: appellabo Sanctam, praedicabo satis. Quodsi in ea, quae fecit omnia sapiens atque omnipotens Deus, scrutari velimus, hoc haud facile est imo vanum vos ipsi atque immensum esse et improbum in hac parte laborem iudicabitis. Quis enim capere sufficit, quot quantaque naturae, gratiae dona contulerit, virtutum maximarum omnium coelesti supellectili ditaverit, qui carissimam sibi Matrem tantum volebat quantum poterat exornare, vel ipsi soli eiusve sanctitati simillimam constituere? Sed si eius, qui bonus puritatis omnisque perfectionis in se cumulum intermine continet, sanctitatem animo contemplemur, haec in Virgine prorsus priori suae conceptionis momento, non natura, illius autem praeclarissimi fontis emanatione patebunt. *Mysterium siquidem sanctitatis Dei, conceptionis sanctitatis est mysterium.* Haec mea sententia non mea, sed a maioribus tradita. — Quamdam necessitatem bene nostis, qua ipse se Deus voluntarie libereque constituit, cum humani generis carnem naturamque ex Virgine Matre assumere disposuisset. Quam? nisi immaculatam, nescio. Quam de necessitate dico, eam fore videor, *non ut a paradisi peccati malo illam purgaret, infirmam sanaret, de imperfecta omnium redderet perfectissimam; sed ipsam a sorde peccati atque omni culpa per suae sanctitatis naturam gratiarum omnium plenitudine praeservaret.* Habetis iam ergo immaculatam Virginis conceptionem. — Ergone futurae Virginis Matris carnem irati Numinis maledictione signatam, vel imperio daemonis quamvis uno momento tantum temporis mancipatam induere forsan voluisse putabitis? Apage: quoniam ni intactam Virginem diceretis, sanctissimi eius Filii puritatem corporis defendere haud potuissetis ex his Scripturae verbis: Et incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, — doctissimo sanctissimoque Augustino dicente: Caro Christi caro est Mariae. Est istud

quidem aliquid, magnificum tamen, in isto enim multa eaque praeclara complector. Filiorum pietatem, honorem, gloriam denique ex eorum amore debito parentibus ortam, cuius est Deus origo, cuiusque e perenni scaturigine emanat ceu clari rivuli semper e clarissimo fonte profluunt. Sancta equidem est filiorum cura, qua parentibus ipsi omnia ut bona referant, mala ab ipsis cuncta depellant, naturam sequuntur. Quodsi eorum cuique carissimam sibi matrem eligere atque exornare liceret, quid non tentatum relinqueret, ut eam omnium redderet gloriosissimam? quid, ut gratia, virtus eius augeretur, non quaereret? Quid, ut quantum posset, perfectionem attingeret, non tentaret? quid in illa demum haud ageret, ut virtutum, boni optimique decoris, atque omnis perfectionis formas venustatisque cumularet? Maiestatem, pulchritudinem, corporis elegantiam, internas animi dotes, virtutes omnes amantissimus tribueret, atque in summo gloriae fastigio ceu in altissimi montis cacumine collocaret. Quod illi sive Deus sive natura nihil hoc sancto amore praestabilius dedisset, iucunda voluntate reciperet, in id totus incumberet, atque amplissima se crederet summaque felicitate exornatum. Quid itaque de Deo O. M. dicam? de pietate in Matrem, amore, liberalitate, deque eius rectissima amplissimaque benevolentia, quam nec mutare ipse neque ab ullo unquam potest sinistro pacto mutari? Minusne bonum, honestum, pulchrum, decorum, minusne perfectum, gloriosum minus quam sibi homines voluisse arbitraremini? Sed quis, cui cor sapiat, haec monstra credat? Quis qui omnium fecisse creaturarum perfectissimam ignoret? Nec consentaneum modo sed aeternae eius sanctitatis naturae esse necessarium intelligat? Notum illud dictum est a Deo in Scriptura praeclarum: *Una est perfecta mea, una est;* quae si aequalem haberet, profecto non esset una. Rarum opus, ut nihil difficilius quam quod sit omni ex parte perfectum requirere. Hic vero non ab hominibus, quorum meliora adhuc semper opera, quid corrigatur, habent, verum Deo O. M. a divina perfectione quaerendum, quae nec mutatur tempore, nec arte perficitur, nec industria ornatur, nec potentia destruitur, sed una semper atque immutabilis, non pulchrior, non splendidior illa inveniri unquam

poterit. Atque *esse hanc Virginis perfectionem in primo suae conceptionis momento, manifestum apparet.* Sic mihi persvasi, sic sentio. Quodsi in hoc erro, quod Dei videlicet sanctitate esse sanctam Virginem credam, libenter erro, neque hunc extorqueri mihi quo delector errorem, dum vivo, volo. Quae enim supremae Altissimi dignitati humanae dignitas naturae altera responderet? Ergo haec Dei parentis est dignitas, omnis perfectio: omnis est in creatura possibilis sanctitas, ita ut nec velle alteri neque posse unquam Deum ultra concedere intelligatur. Quis vero tam est ferreus, qui maiorem illam, cui tantam tamque ineffabilem virtutem contulit, esse inter omnes haud putet? quodsi maior est, cuius est semper integritas, cuius numquam est puritas temerata, nequidem istud verum diceretur, nisi a primo Conceptionis exordio integram vel in nullo corruptam, i. e. immaculatam servasset. Quod a' sit: digna etenim fuit, ex qua Filius Dei nasceretur. Ad quod, ut ita dicam cum *S. Bernardo,* ad quamdam quasi aequalitatem divinam per quamdam infinitatem perfectionum oportuit Virginem elevari. Num dici aliquid maius, aut unquam poterit excogitari praestantius? Sed quid, si istud ne gloriae quidem suae satis est? Parum cuiquam fortasse videbitur? Haud ita sane. Quod ipsa Virgo praestantissima a Deo amplius adhuc receperit, testatum habemus. Gloria filiorum parentes eorum: quam quidem habuit a Filio, quamque in Filium, ipse quam dedit, purissimam cum carne sua gloriosa traduxit. Caro Christi caro est Mariae. Ad quam tantae Virginis gloriam *S. Petrus Damianus* totus repente commotus in haec verba prorupit: Cum Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicet per identitatem, quia idem quod ipsa est. Quantum capio, quantum dicere possum; immensa puritate, sicut immensus est Deus; immaculata, ut immaculatus est Deus; sicut Deus, in nullo corrupta; vel ut Deus tandem, nullo non tempore perfectissima. Quid est hoc? totum hoc, quamquam aliter Virgo est: nam si non esset Mater Dei, esset in culpa concepta. Intelligite: non sibi Deus in Matrem illam assumere potuisset. Sanctus in omnibus, perfectissimus, accipere ab ea imperfectum aliquid, maculatam scilicet carnem nequiret. Imperfe-

ctum semel, non plene non omni ex parte est perfectum. Hinc taceat omnis creatura: quis enim audeat aspicere tantae dignitatis immensitatem. Hic itaque quoniam Matris est, Filii honor est. De hoc ego non dubito, credo: hoc non disputo, adstruo. Quocirca neque ab Ecclesia, neque a Tridentina Synodo merito cuiquam permissum est, disputare, controversias movere. Quis vero, quaeritis, ad tantam tamque singularem prorsusque divinam sanctitatis gloriam, unam tantum ex parentis iacente radice extulit creaturam? Quis? Breviter: qui voluit. Quis voluit? qui potuit. Quis autem potuit? qui fecit, ipsa Trias. Voluit, potuit, ergo fecit. Nescio an a me hucusque dicta primorum parentum horrendi criminis punitione detenta mens vestra perceperit. Nam placati iam Numinis voce praeclaram hanc cum sibi Nato victricem Virginem cognovissetis. Nonne ista ad serpentem de illa sunt Dei verba festiva: ‚Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.' Omnia non continent? Omnia non referunt? — *Ipsa* in Vulgata, in 70 interpretum versione *ipse* est. Ergo uterque serpentis caput communi victoria contrivit. Per se immaculatus ipse, per ipsum autem ipsa incorrupta Virgo triumphavit. Eius itaque insidiabatur calcaneo, non momordit. Ergo a morsu serpentis callidi immunis, sine peccato, in plenitudine gratiae concepta, seu mysterium sanctitatis Dei, conceptionis sanctitatis esse mysterium probavi. Hoc meum est, vestrumque esse pariter iudicium intelligo. De his autem non ad nos attinet sed ad Romanae Ecclesiae Pontificem statuere. Hoc factum est, iusque suum illud oraculum, istud vero Christi Domini auctoritas, quam ut Elsiae magni filio ad supremum antiquae legis pontificatum assumtione clavibus tradidit, supremo Apostolorum Principi Petro, haeredi eius, suoque legitimo in Cathedra successori, clavibus etiam pariliter commendavit. Quamquam nihil nos statuimus, verum nostrae tantum assertionis fundamenta exhibemus, quam ab Ecclesia recipimus, quam a teneris annis iuventutis prosequimur, quamque — defendere atque in adversis etiam temporibus sustinere iureiurando promisimus. Maximi tamen immortalisque Pii IX Pontificis ad quaesita respondere nihil certe nos prohibet. *Coniunctum in hac re nobiscum populum mihi*

videre videor. Quae nos, haec ille omnia sentit. Haec nostra civitas, haec omnium civium ordines credunt, nec pia tantum credulitate, ni fallor, sed ut edocti fide, haec cuncti populi finitimi confitentur. Amplius quid? Primariam amplissima Mexicanorum Respublica Patronam Conceptionis mysterio piissimam sanctamque Virginem veneratur. Id quod animos recreat, corda demulcet, maximo implet ardentique pectora amore, immaculatae Virgini sacra festa quam magna omnium laetitia et gratulatione, maiori quotannis pompa, religiosa atque magnifica peraguntur. O diem praeclarum, quo summus Pius multoque nobis amantissimus Pontifex, catholicae veritatis et orthodoxae fidei Magister et Doctor, immaculatam seu nulla peccati originalis labe corruptam sua coelestique inspiratione pronunciet! Hoc omnes desiderant, de hoc fidelis populus gratulatur, cunctaque eius votivis tunc temporis solemnitatibus laeta respondent, nec homines tantum, terra coelumque pariter videbit. Quis ergo petere, quis nobis sperare vetat promissum? *Veterrima est de immac. Virginis Conceptione in Ecclesia traditio, quae non ab hominibus, ex quibusdam Scripturae tantum significationibus, verum a S. Spiritu paulatim introducta et confirmata videtur.* Quare nihil tam naturale esse arbitror, quam, quod omnes credunt, Ecclesiae Patrum Doctorumque consensione roboratum, firmare. Hic fidei haud extraneus est in Ecclesia progressus, quo nihil certe innovatur, nihil novum adstruitur, sed occultum panditur, quodque sub quodam literae in Scriptura velamine latet, tantum aperitur, in aperto tantum lumine collocatur." — Guadalupe prope Mexicum, 15 Oct. 1849. (Subscripti praeter Abbatem una Eppum in part. 8 Canonici, et 4 presbyteri.)

1245. **Capit. Massiliense in Gallia.** Venerabilem suum sequens Eppum, cuius zelo et pietatis spiritu ducitur, Ecclesiae Cathedralis Massiliensis Canonicorum Collegium suo proprio, necnon, cuius vices supplet, clerici ordinis nomine testimonium exultantis laetitiae perceptae ex Epistola Vestra subiectissime ad pedes Sanct. V. deponit. Nihil vivido

erga BVMariam amori nostro dulcius, quam felix spes, immaculatae ipsius Conceptionis opinionem solemni S. Sedis Ap. iudicio mox ut Ecclesiae fidei doctrinam definiendam esse. Etenim *permultis abhinc seculis ad Deigenitricis tuendas celebrandasque praerogativas ardentissimum professa est Massiliensis Ecclesia studium, praesertim immaculatae eius Conceptionis, quae omni memoria piis cunctis oribus maximae laudis causa efficitur et sine intermissione in templis canitur.* Antiquissimo tempore nos de illa patres nostri edocuerunt, et ab hac die puer et senex, sacerdos et laicus semper illam felices confitentur. Prospera dies, quae Sanct. Vestrae vocem audiret, in omnem Ecclesiam erroris experte auctoritate loquentem, et rato immutabilique iudicio pietatis nostrae traditionem stabilientem, ineffabilem animis nostris afferret consolationem. — Massiliae, 1849. (Subscripti 10 Canonici.)

1246. **Clerus et populus Calliensis in Statu Pontificio.** (Ad Eppum.) Responsuri literis Beatitudinis Suae nobis per D. V. exhibitis de immac. Conc. V. Mariae, non modo sententiam nostram exponere non dubitamus, verum etiam congaudet animus, et inenarrabili quadam svavitate sensus, corda, mentesque nostras perfusas esse iure sentimus. Et quisnam revera Christifidelis non summa afficiatur laetitia, cum Virginem illam, a qua bona cuncta procedunt, per cuius manus, ut *Bernardus* ait, gratiae omnes de coelo defluunt in terram, et ex qua desiderium collium aeternorum, Salvator mundi, natus est, exornatam videat honore illo, qui cetera omnia privilegia eidem concessa antecedit, quod nempe sine labe originali concepta sit? Magna quidem et laude digna haec sunt, nempe acceleratio usus rationis, optima corporis temperies, forma venusta, atque elegans, praeservatio ab omni infirmitate, et corruptione post mortem, celer resurrectio, corporis glorificatio, virtutes infusae, spiritus prophetiae et alia dona gratuita: sed gratia sanctificans, qua BVMaria originali orbatur peccato, quidquid aliud praecedit, nam haec gratia terminus dicitur divini amoris, quo

Deus nos in ordine ad gloriam efficaciter amat. Itaque ad omnem dubietatem tollendam ex animo Summi Pontificis, qui BVirginem sine labe originali conceptam ex Cathedra definire exoptat, et cuncto populo christiano sub hoc titulo adorandam proponere, hanc propositionem defendere non dubitamus: *Ecclesia potest definire, Virginem Mariam absque originali peccato conceptam fuisse.* Ut aliquid definiatur de fide, *sufficit, quod veritas, quae velit definiri, in Scripturis et Traditionibus, si non clare, virtualiter contineatur, et communi doctorum et fidelium sensu approbetur*; *sed veritas de imm. conc. V. Mariae huiusmodi est;* nam si serio *S. Literae* perscrutentur, habetur: I. Gen. 3: *Inimicitias ponam inter te et mulierem:* atqui per mulierem intelligitur communiter a Patribus Maria; ergo si Maria ex omni parte per gratiam inimica fuit daemoni, peccatum originale non contraxit. 2. Eccl. I: *Ipse creavit illam in Spiritu S.* Quem locum *S. Bernardinus Senensis* de BVirgine intelligit. Ponderandum est ergo illud: vidit in Spiritu S. quasi dicat: Statim atque Deus animam Virginis creavit, vidit in Spiritu S. non infecta Adae massa, quia Spiritus S. eam statim replevit. Innuit hoc bene *Petrus Damianus:* a Deo electam et praeelectam totam rapuit sibi Spiritus S. 3. Ps. 45: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*: ergo operatio huius sanctificationis digna fuit Altissimo sanctificatore, et fuit tabernaculum, i. e. Maria, ita sanctificatum, ut dignum esset Altissimo; ergo tale tabernaculum numquam fuit maculatum culpa originaria, quam tantopere horret Altissimus. 4. Eccl. 24: *Ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Haec sententia de Sapientia increata et de humanitate Christi intelligitur, ab Ecclesia vero Virgini quoque adscribitur; ergo generatio seu conceptio Virginis cum generatione Verbi sive conceptionis humanitatis Christi aliqua ratione convenire debet, ne dicatur, quod insulse applicata sit Mariae; sed cum generatio aeterna Verbi perfecta sit, cum per eam generetur Verbum infinite perfectum, non apparet, quomodo convenire possit cum generatione Virginis, nisi dicatur, quod sicut illa est purissima, haec etiam est pura, et sine peccato originali. Quodsi prodivit primogenita, ergo non subdita diabolo per-

peccatum originale. 5. Virgo aliquando *virgae Aaron* assimilatur, quae floruit et fructus protulit, sed nullas iecit radices; et quod per virgam intelligatur Maria, docent communiter Patres. Aliquando vero Virgo comparatur virgae, quae habet radicem: et tunc declaratur, quod vere concepta est per naturalem generationem; quando vero virgae Aaron non habenti radicem, innuitur particularis modus, quo ipsa concepta fuit, quasi non habens radicem: non enim et veteri propagine et radice vitiata germinavit, sed veluti de novo sata radicis vitium nescivit, ita ut non sit connumeranda inter ceteras filias Adae, quae radicem infectam habent, i. e. conceptionem originaria culpa maculatam. 6. In Cant. Cant. 4. habetur: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te:* quae verba ad Mariam referri debent, non Ecclesiam, quae in membris suis peccatoribus sine macula non est. Sed quomodo Spiritus S. totam pulchram dixisset Mariam, si peccatum originale contraxisset? Nam quando ignis ille infernalis semel animam quamdam inussit, cicatrix numquam deletur. Quomodo per Angelum dixisset ei: Ave gratia plena, si praecipua gratia deesset? Plurima alia testimonia praeterimus, et ex hisce allatis deduci potest, quod in S. Scriptura veritas de imm. conc. V. Mariae si non clare, virtualiter saltem contineatur. Sed ad testimonia *Patrum* veniamus, non omnium quidem, ne ante diem clauso componat vesper Olympo, sed illorum tantummodo, *qui ab adversariis pro sua tuenda sententia afferuntur.* Isti sunt: *Cyrillus, Ambrosius, Origenes, Cyprianus, Hieronymus, Anselmus, Gregorius, Bernardus,* et praecipue *Thomas Aquinas,* qui cum asserant solum Christum sine peccato esse, ergo concludi posse praesumitur, BVirginem esse cum peccato, non actuali, sed originali. Sed longe abest, quod isti Patres non sint in nostra sententia; nam si nemo inficiatur, quod mater gaudeat privilegio filii, quod parentes et filii censeantur una persona, quod parentis et filii eadem sit caro, et faciunt unum gradum, et amborum eadem sit disciplina: ergo mater filii privilegio gaudet, ergo si filius per naturam sine peccato, sine peccato Maria per gratiam. Praeterea in omni propositione, in qua excipitur natura sumta de Virgine, et Maria excipitur: sed omnes isti Doctores excipi-

unt Christi naturam a peccato, ergo et Mariam. Nec quisquam audeat impugnare Maiorem, nam Augustinus in Serm. de Assumt. sic ait: ‚BVirgo excipitur a maledictione Evae, quoniam excipitur sumta caro de ea‘, unde consequentia manat legitima. Attamen ad maiorem evidentiam veritatis praefatorum Doctorum sermonem in specie habentium de Virgine Maria sententiam inspiciamus. *Cyrillus* ait: Omnes homines excepto illo, qui de Virgine natus est, et SS. eius Virgine Matre, ex qua Deus factus est homo, excepta, cum peccato originali nascuntur. *Ambrosius*: Haec est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpae fuit. *Origenes*: Digna digni, immaculata immaculati; (ac si dicat, quia mater gaudet privilegio filii.) *Cyprianus*: Non sustinebat iustitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis, quoniam plurimum a ceteris differens natura communicabat, non culpa. *Hieronymus*: Illa semper fuit in luce, illa est immaculata, quia in nullo corrupta. *Anselmus*: Mortui sunt, scilicet in peccatis, nemine prorsus excepto, demta Virgine Matre Dei, sive originalibus sive voluntate addictis. *Gregorius*: Salve Sancta Parens, omni prorsus labe carens. *Bernardus*: Innocens fuisti ab originalibus et actualibus peccatis; nemo ita praeter te. — Non est in filiis hominis magnus vel parvus tanta praeditus sanctitate, nec tantae religionis privilegiatur honore, quod in peccatis non fuerit conceptus, praeter Matrem immaculati Agni peccatum non facientis. *Augustinus*: Cum de peccatis agitur, de gloriosa Virgine nullam prorsus volo habere quaestionem. Tandem ad D. *Thomam* adversariorum Achillem deveniamus. In opusc. 7 sic effatur: ‚Nullus hominum, praeter Christum et BVirginem, fuit immunis a peccato originali.‘ In opere 8: ‚Ipsa enim purissima fuit, quantum ad esse culpae, vel ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.‘ Quae verba licet in recentioribus impressionibus non habeantur, referuntur tamen a *Conisio* et a *Bernardino de Bustis*, et a *Michaele Mediolanensi*, et ab *Antonio Cuccaro*, atque ab aliis antiquis doctoribus; unde textum corruptum fuisse putandum est; et ex eo cognoscitur, quod Augustini auctoritatem adducit, B. Virginem sine peccato conceptam

canentis; nam cum Pelagius assereret, BVirginem peccatum originale non contraxisse, Augustinus non quidem negavit, sed respondit: Excepta sola Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nolo habere quaestionem. Ex dictis igitur auctoribus, qui modo affirmant, modo negant, nihil concludendum est contra nostram sententiam. Testis varius testis nullus. E contra nos innumeros auctores afferre possumus, qui idem sentiunt ac nos, et unanimiter confitentur, et traditionem non interruptam constituunt. Et revera ut retrocedamus usque ad Apostolorum tempora, (nam aqua eo purior, quo propior origini suae) Liturgias habemus seu Missas *S. Jacobi* et *S. Marci* Evangelistae, quae adnotatae sunt in principio Bibliothecae Patrum. Primus vocat Mariam sanctissimam, gloriosissimam, immaculatam extra gradum hominum peccatorum omnimode. Secundus vocat eam sanctissimam, immaculatam, et benedictam semper Virginem Mariam Matrem Dei. Haec veritas ab Apostolis ad Sanctos eisdem proximiores pervenit. Nam a. 220 *S. Hippolytus* Eppus et Martyr vocat Mariam sanctam et immaculatam. *Gregorius Neocaesareae* subiungit: Angelus sine corpore ad Virginem puram et immaculatam missus fuit. Ille, qui numquam peccato obnoxius fuit, ad illam missus, quae sine macula et sine corruptione peccati est. Seculo IV a. 370 *S. Epiphanius* vocat Mariam pulchriorem quam Cherubim et Seraphim, qui peccato originali numquam maculati fuere: si igitur servi, numquid non Domina? Eodem tempore vixit Ambrosius et Hieronymus. Sec. V *Augustinus* probat etiam ratione immac. conceptionem Mariae: Anima, quae in peccatum veniale incidere non potuit, numquam a peccato originali vulnerari poterat. Sec. VI interrogentur *Fulgentius* et *Eligius*, et eadem veritas confirmabitur. Seculo VII adest *Ildephonsus* asserens: constat illam ab omni peccato immunem esse, per quam non solum maledictio Evae ablata fuit, sed data quoque omnibus benedictio. Seculo VIII *Ioannes Damascenus*; Sec. IX *Idiota* pius et sapiens auctor: Tota pulchra es Maria, tota pulchra in tua conceptione, et macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis numquam animam tuam corrupit. Sec. X resplendet *S. Fulgentius;* Sec. XI inter alios

plures *Petrus Damianus*, et *Anselmus*. Sed quid ultra progrediamur? Quaedam potius *Concilia* proferamus. C. *Ephesinum* a. 400 celebratum immaculatam vocat Mariam, et ideo immaculatam quia in nullo corruptam, ut ait Sophronius a D. Hieronymo citatus. *C. Toletanum* a. 634 amplectitur probatque Breviarium et Missale a S. Isidoro reformatum, in quibus dies festus et officium immac. Conceptionis instituitur. Quae quidem confirmantur ab altero C. Toletano a. 675 et a Conc. VI Oecumenico CPli tempore Agathonis PP. a. 680. *Conc. Gen. Nicaenum II.* a. 787 a Papa Adriano approbatum vocat Mariam V. sanctissimam, immaculatam, irreprehensibilem, et omni natura sensibili et intellectuali puriorem. *Conc. Nat. Oxoniense* in Britannia a. 1222 diem festum imm. Conc. V. Mariae celebrari mandavit; et *C. Gen. Constantiense* revelationes S. Birgittae, in quibus clare et manifeste de Maria sine labe originali concepta fit sermo, approbare non dubitavit; *C. Basileense,* in quo tot summi viri et Eppi insignes, et eximii doctores adfuere, Mariam sine labe originali conceptam declaravit, licet postremae Sessiones a Summo Pontifice receptae non fuerint. Tandem *C. Tridentinum* declarat non esse suae intentionis comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Deigenitricem. Si igitur eam exclusit, quisnam sine nota temeritatis et blasphemiae eidem peccatum originale tribuere voluerit? Omnes igitur, paucis exceptis, uno ore immac. Conc. V. Mariae confitentur, ita, ut Gregorius XV in sua Constitutione vetuerit, ne quisquam seu publice seu private contrarium doceret. Et complures *Universitates* ita firmiter huic veritati adhaerent, ut neminem laurea doctoratus insignire velint, nisi praevio iuramento de non oppugnanda immac. Conceptione, quod certe ex speciali Spiritus S. impulsu fieri putandum est. Ita Academia *Parisiensis, Coloniensis, Moguntina, Valentina, Uponensis, Osmensis, Siguntina, Neapolitana.* Multae quoque insignes Ecclesiae cum suis Praesulibus in Hispaniis a Summo Pontifice, ut hoc definiret, deprecatae sunt, ut refert *Ioannes Malderus.* Et revera *ratio* ipsa vult nos firmiter tenere immac. conceptionem, de qua agitur. Nam si contrarium diceremus, nonne obiurgationem illam Filio Dei Unigenito

cum Ieremia Propheta eiiceremus: Confusa est mater vestra nimis? Aspice confusionem matris tuae, quam peccatum corrumpit, quam daemon olim captivam tenuit. Si tu sustinuisti, vel non potuisti, vel noluisti illam a dedecore tanto liberare: si primum, ubi omnipotentia tua? si secundum, ubi amor filii in matrem, omnibus matribus longe amabiliorem? Sed quis sine blasphemia haec Filio Dei obiurgare audebit, cum Evam et daemonem ipsum sine peccato creasset. Igitur ex Scriptura, Traditione, Patrum omnium seculorum testimoniis, Conciliis, communi sensu omnium fidelium, et ratione concludendum est, posse Ecclesiam sive Summum Pontificem declarare, BVMariam sine labe originali conceptam fuisse. —

1247. **Capit. Vaticanum.** Dum ex universis orbis partibus omnes fidelium ordines ferventissime exoptant, enixeque postulant, ut quod hactenus pie tenere gloriati sunt de immac. BMV. Conceptione, inter ss. fidei nostrae dogmata supremo Petri Cathedrae decreto adnumeretur: Vaticanae Patriarchalis Basilicae Archipresbyter, Capitulum, et Clerus, nulli erga Deiparàm devotione pioque affectu secundum, haud potest quin sua quoque vota suasque preces humillimas ad maiorem Omnipotentis Dei eiusque Genitricis SS. gloriam adiiciat. *Cupit* itaque *Capitulum vehementer, idque instantissime precatur a Sanct. Vestra, ut solemni Apost. Sedis iudicio tandem sanciatur, ac tamquam fidei dogma credendum proponatur insignissimum illud privilegium, quo immunis ab originali labe praedicatur mulier illa inter alias omnes benedicta*, quae cooperatrix mundi salutis ab aeternitate designata fuerat; quam statim ac in culpam lapsi misere fuerunt protoparentes, clementissimus ipse Deus praenunciavit maligni serpentis caput esse contrituram; quae demum tali ac tanta decoranda erat dignitate, ut humani generis Reparatorem, aeterni Patris Filium conciperet et pareret, quae uno verbo Deigenitrix erat futura. Maxima profecto laetitia perfundetur christianus populus, cum tandem viderit, definitivo Apostolicae auctoritatis oraculo absolutissimum accedere

cumulum sententiae, quae pluribus iisque gravissimis nixa fundamentis pie ubique invaluit ac magis magisque percrebuit de immaculato SS. V. conceptu; cui quidem sententiae iamdiu Epporum, Patrum, Conciliorum, Doctorum, Theologorum, Ordinum Religiosorum, Universitatum suffragatur opinio, communis populorum favet consensus, et, quod denique maximum est, ipsamet S. Sedes indubia adiecit favoris argumenta. Novo autem hoc honore ab Ecclesia exhibito Mariae Matri amantissimae, praestantissimaeque patronae, singulari scilicet privilegio illo per dogmaticum decretum asserto ac roborato, maiorem semper in spem erigemur fore, ut benignitatis, clementiae ac misericordiae, quam semper a dulcissima Virgine sumus experti, uberiores usque sentiamus effectus. Ex aula Capituli Bas. Vat. VI Id. Dec. 1850. (Subscripti Card. Ep. Tusc. qua A Presbyter, et Canonicus a Secr.)

1248. **Clerus et populus Turritanus in Sardinia.** Si filiorum nepotumque gloria est, patrum avorumque suorum votis adhaerere, ac strenue constanterque gloriosa ipsorum prosequi vestigia; si summum est gaudium, permaxima consolatio, dum felici exitu coronata conspiciuntur una cum propriis pientissima ac laboriosa maiorum suorum opera ac vota: B. Pater, difficile est penitus verbis dicere, quale decus quantamve laudem hisce temporum in adiunctis Sardinia tota et cum ea Turritana civitas, Clerus populusque totius dioecesis perceperit, dum faustum gratumque nuntium mediante voce sacrorum pastorum ad eos devenit, quod Sanct. Vestra, ut totius orbis fidelium placitis precibusque subscribat, in animis habeat ultimatim sancire, ac veluti sanctum fidei dogma definire, SS. Dei Matrem ab originali labe immunem conceptam fuisse. Gratius faustiusque nuntium haudquaquam expectare ac percipere poterat; enimvero licet *Sardinia* minimula sit orbis portio, utpote quia parvis circumscripta limitibus paucisque populata personis, attamen *non minima est, si suum spectetur obsequium, si sua inspiciatur devotio circa purissimam et immac. BV. Conceptionem. Votum namque illud*

peculiare, quo maiores nostri seipsos obstrinxere pro hac doctrina tuenda, quod patres nostri integrum observatumque ad nos transmiserunt, quod a nobis innovatur quotannis, dum alternatim in praecipuis Insulae urbibus Calari et Sassari per integram Octavam a Dom. Sexagesimae usque ad Quinquagesimam sacra et solemni pompa sacrisque concionibus magno populorum consursu ac eximia devotione celebratur; innumera quoque festa votiva, quae in ceteris Insulae urbibus, imo in minimis eius oppidis summa cum pietate et religione pro anni decursu perficiuntur, haud dubie demonstrant, quam firma et constans fuerit semper ac sit Sardorum devotio et cultus pro purissimo ac immaculato BV. conceptu. Binae insuper Insulae *Universitates* totis viribus sustinuerunt et sustinent hanc fidem, et tam firma ac fixa est Antecessorum circa rem hanc persvasio, ut candidatos respectivarum Facultatum Theologiae, Iuris utriusque, ac Medicinae ante laureae collationem adigant ad iuramentum de hac doctrina publice privatimque tuenda et servanda. Devotio haec tam sancta, fides, pietas tam firma, quae veluti sacra haereditas ab avis relicta, florens semper et constans de nepotibus ad nepotes transmissa, pura semper et eadem servabatur a nobis, pulchriori fulgidiorique luce refulsit, dum Sanctitati fel. rec. Gregorii XVI placuit per Pontificia Rescripta sub 15 Sept. 1843 insigni huic Turritanae A. Dioecesi peculiare privilegium concedere, ut in Litaniis Laur. adderentur verba ‚Regina sine macula concepta,' necnon in Praefatione ‚et te in imm. Conc.' in praesentiarum maxima fulgebit luce, quum Sanct. Vestra sanctum conceptum suum desiderium, quod nostrum et fidelium omnium fulcitur votis, executioni mandarit. Eapropter *Capitulum, Parochi, Clerus, populusque totius Turritanae dioecesis piis sanctisque populorum orbis supplicationibus suas adnectentes preces humillime postulant exorantque, ut quam citius infallibili tuae vocis oraculo tam grande ac exoptatum mysterium definias, ac definitum de fide credendum proponas.* — (Subscripti 34 Canonici, et 28 Parochi.)

1249. **Capitulum de la Plata (Charcas) in Amer. Merid.** (Ad AEppum.) Capitulum Metropolitanum, cui Literis ex officio datis die 13-a c. m. Dominatio Tua Illustrissima mandare dignata est, ut in hac Sancta Ecclesia Cathedrali rogationes fierent ad id, ut Sanctissimus Pius Papa IX cum omni prudentia, circumspectione ac successu procedat in delicata ac gravi materia declarationis pro articulo fidei sive dogmate catholico Conceptionis Mariae Sanctissimae, cum reliquis omnibus, quae in Literis Apostolicis Caietae mense Februario anni 1849 datis continentur, utque insuper iudicium huius Capituli de devotione erga illud mysterium, desiderioque, quod omnes inflammet, depromamus, quo dicta declaratio locum habere queat: immenso repletur gaudio Dominationi Tuae Illustrissimae significans, *se post collecta vota agnitionem totius orbis catholici eo redeuntem, quod Virgo et Mater Dei fuerit in sua Conceptione purissima ac eminenter munda a labe peccati originalis, habere pro cultu speciali hyperduliae, digno, cui Sua Sanctitas operam suam devoveat.* Honorata Regina coeli sub diversis, quibus ornatur, titulis semper a nobis specialiter colebatur et magna veneratione colitur sub titulo Dominae Nostrae immaculate conceptae. Capitulum Ecclesiasticum de eo, quod in Cathedrali vidit Illustrissimam Dominationem Tuam certiorem facit significans, solemnitatem, qua rogationes ad intentionem supradictam cum concursu omnium habitantium huius Metropoleos in Ecclesia Matre factae sunt, esse testimonium indubium desiderii, quo populus et Senatus Ecclesiasticus flagrat, videndi quo ocyus declaratam immaculatam Conceptionem Mariae ut dogma fidei divinae. In Aula Capitularis Ecclesiae Metropolitanae illustris ac heroicae Sucrae, die 19-a Aprilis 1850.

1250. **Decani Collegii Doctorum Reipublicae Bolivianae ad Capitulum Ecclesiasticum Sucrense.** Relate ad Literas die decima tertia huius mensis ab Illustrissimo Domino electo Archiepiscopo huius Sanctae Ecclesiae Metropolitanae ex officio datas, adiunctasque Bullas Apostolicas et Edictum ab ipso subscri-

ptum et ab eius Secretario in privatis et publicis signatum, quibus praecipitur, ut preces publicae frequententur ad implorandam a Spiritu Sancto gratiam illuminationis, quae Sanctissimum Patrem nostrum Pium IX, Vicarium dignissimum Iesu Christi Domini nostri in negotio gravi, quod illum actu occupat, inspiret ac illustret, in declaranda videlicet pro dogmate catholico immaculata Conceptione Mariae Sanctissimae exemtae a culpa originali, eademque ut doctrina fidei omnibus fidelibus ad credendum proponenda, aut prout conveniens fuerit, utque illustris hic Senatus exponat ac manifestet quod expedire visum fuerit ad complendam informationem a Summo Pontifice regnante petitam, explendaque per vastam suam atque altam cognitionem vota Sanctissimi Patris, respondendo etiam opportune ad interrogationes a S. Sede super devotione, quae venerabilem Clerum et populum christianum animat ac inflammat, factas, atque inprimis, ut quilibet venerabilium Fratrum, quid opinetur quidque desideret in hoc negotio cum reliquis, quae ibidem continentur, exponat: Decanus Collegii Doctorum dicit: *opinionem Patrum et Theologorum esse conformem fidei Ecclesiae universalis, nimirum: immaculatam Conceptionem Mariae Sanctissimae fuisse a primo instanti suae animationis ornatam omnibus gratiis ac virtutibus, quarum ut pura creatura capax erat, consequenter fuisse purissimam ac sanctissimam, quam mundus nunquam vidit nec inposterum videbit.* Puritas Angelorum, nobilitas Thronorum et Dominationum, charitas Cherubim et Seraphim, sanctitas et magnificentia chororum coelestium, omnia haec minora sunt sanctitate et magnificentia Mariae; illi quippe non sunt nisi ministri illius Dei Incarnati, cuius Sanctissima Virgo Mater est. In honorem huius tam evidentis veritatis Ecclesia ista de Charcas confitetur, se Mariam Sanctissimam sub titulo Immaculatae Conceptionis venerari ut Patronam Titularem, Collegiaque et Universitates vota sua iuramento solenni confirmare ac defendere, Matrem Dei Salvatoris non fuisse obiectum execrationis in oculis Dei, qui futurus erat eius Filius. Imo *Respublica Boliviana tota cum S. Bernardo ingeminat, Mariam solam potuisse esse Matrem Iesu, et Iesum eius Filium. Tota communitas fidelium cum S. Ambrosio dicit: non fore gloriosam Filio*

primam suam nativitatem a Patre aeterno, in quantum Deus est, si secunda a Virgine Maria, in quantum homo est, fuisset contumeliosa. Ita opinatur et credit tota Ecclesia Boliviana, venerabilis eius Clerus saecularis et regularis, populusque christianus. Hinc velut innata per se apparet pietas ac devotio, qua animatur, desideriumque, quo inflammatur Clerus integer, populusque Bolivianus; hinc etiam conformitas illustris Senatus Ecclesiastici cum Clero Romano in novis horis canonicis peculiaribus de immaculata Conceptione Virginis Mariae. Propterea ad exemplum Philippi III et IV, maximeque Caroli III Regum Hispaniae, qui inflammati pietate ac devotione erga purissimam Conceptionem Mariae instanter petierunt a Summis Pontificibus id, quod sub Pontificatu Gregorii XVI, felicis memoriae, fideles orbis catholici, nuncque sub Pontificatu Sanctissimi Patris nostri Pii IX, dignissimi Pastoris universi orbis catholici, Dioecesis haec petit, ut Sancta Sedes Apostolica tandem solenniter definiat „Immaculatam Virginem Mariam Sanctissimam Matrem Dei fuisse conceptam sine peccato originali.“ Denique infrascriptus Decanus subiiciendo se in omnibus supremo iudicio Ecclesiae dicit se et integrum populum Bolivianum optare ac desiderare ardenter, ut S. Sedes ea circumspectione ac rectitudine, quae illi sunt propriae, determinet quaestionem hanc gravem de immaculata Conceptione Mariae Matris Dei exemtae a culpa originali, aut prout conveniens visum fuerit. Sucrae die 15-a Aprilis 1850.

1251. **Sodalitas Sacerdotum Imm. Conc. Neapolitana.** Cumprimum nobis iucundissimus relatus esset nuntius Te, B. Pater, Neapolim adventasse, illico fuit in votis a te fidelium omnium Parente expetendam gratiam, quae modo hic tamquam ab ipso gratiarum auctore expostulatur. Nos 63 presbyteri in Sodalitium cooptati sub omine ac nomine SS. Virginis sine originali labe conceptae, quibus intemeratae Deiparae dulcissimum Nomen est turris fortitudinis, praecipuam dilectionem erga illam ostendere peculiari studio debemus. Re sane vera quum pene omnis terrarum

orbis Cathedrae Petri communione consociatus exquisiisset, ut velut dogma fidei haberetur, Dei Matrem ex omni parte victricem diri caput draconis ab initio, imo in ipso Conceptionis instanti contrivisse, nefas profecto nobis ducendum est silentio praetermittere hoc animi desiderium fervens, et operae pretium existimandum supplicibus verbis illud patefacere. Excipe, SS. Pater, hanc nostram humillimam postulationem, ac nostris precibus dexter adesto. Adsit clemens coelorum Rex, atque ingeminata laetitia tuae praesentiae ac desideratissimi oraculi tui paveat daemon, exultet coelum, gaudeat mundus; ac te duce, SS. Pater, uti confidimus, temporibus nostris fiat unum ovile et unus Pastor. Neapoli, XIV Kal. Febr. 1850. (Subscripti 41 Sacerdotes.)

1252. **Capit. Lateranense Romae.** Immaculati SS. V. Mariae conceptus doctrinam hucusque in Ecclesia receptam ut inter cath. fidei dogmata supremo atque infallibili tuae vocis magisterio quamprimum adscribas, SS. tuae Cathedralis Ecclesiae Lateranensis Canonici et Clerus vehementissime exoptant, et enixis precibus a te audent implorare. Nolunt ipsi in iis proponendis evolvendisque argumentis immorari, quibus sententia eiusmodi iuxta theologos confirmatur. Satis enim habent prae ceteris rationum momentis illud unum attingere, gravissimum certe ac omnium veluti praestans, quod ex *continenti communique Ecclesiae sensu* desumitur. Et sane ab apostolici aevi vetustate ad nostram aetatem usque quod de Virgine praedicatum et ad eius gloriam et honorem decretum est, sicuti lux apparet, quae volventibus seculis adeo inclaruit, ut nihil fulgidius habeatur, spendidius nihil praeter unum Deum. Quae omnia nisi ab omni labe prorsus immunem et ab ipso originali contagio praeservatam divinitus BVirginem significent, quo sensu sint accipienda, nullimode posset intelligi. *Nec magni ponderis ad haec enervanda argumentum videtur, quod nonnulli theologi enasci arbitrati sunt vel ex silentio, vel ex universalibus quibusdam expressionibus veterum Patrum.* Prioribus namque Ecclesiae seculis toti

erant Patres in illustrandis propugnandisque dogmatibus, quae pravis insurgentium haereticorum doctrinis impeti conspiciebant, apprime vero solliciti, cum ita dimicarent, ne intempestivae cierentur quaestiones. Inter dogmata vero illud redemtionis humani generis principatum obtinebat. Quid mirum igitur, si doctrinam de originalis culpae in omnes homines transfusione contra sui temporis haereticos vindicaturi satius duxerint sententiam de immac. BV. conceptu silentio praeterire, quam eam apertis verbis propugnando vel pusillis dubia ingerere, vel ipsis haereticis novarum disputationum occasionem praebere? Aliae item, quae vetustis seculis animos Patrum occuparunt, concertationes de Christo, eiusque gratia, de Trinitate ceterisque connexis dogmatibus, eiusmodi sane fuerunt, ut mirandum non sit, eos nulla data sibi occasione de immac. V. conceptione minime disputasse. Piam tamen sententiam tenuisse Patres, tenuisse fideles, ut alia plura omittantur, tum ex eo evidenter eruitur, quod festum Conceptionis BMV. a remotissima aetate praesertim in Ecclesia Graeca celebraretur, tum ex eo, quod ipsi Patres cum haereticis disputantes modo palam aperteque professi fuerint *de S. Virgine Maria propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem;* modo callide ab haereticis redarguti quod sua doctrina de originalis noxae in omnes homines transfusione ipsam Matrem Domini hoc pacto diabolo nascendi conditione transscriberent, putidam calumniam a se aperte reiecerint edicentes: ‚non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi‘. Quae omnia consona apprime videntur amplissimis illis planeque singularibus locutionibus ac formulis Patrum de Virgine, quibus eam innocentissimam, purissimam, ab omni integram labe peccati, undequaque illibatam, solo Deo excepto cunctis superiorem, ac ipsis coelestibus spiritibus sanctiorem excelsioremque passim in suis scriptis appellant. Quibus omnibus commoti Tridentini Patres dum de originali peccato decretum edidere, aperte declararunt, noluisse se in hoc decreto comprehendere Beatam et Immaculatam V. Mariam. Historia tandem docet, B. Pater, quid Romani Pontifices decessores

tui egerint, quibus privilegiis huius piae sententiae cultores cumulaverint, utque ad nostram perveniamus aetatem, nemo ignorat, quae sint Pastorum Ecclesiae vota, quae fidelium omnium hanc in rem studia, supplicationes atque omina. Restat igitur, ut Petrus per te loquatur, et quod omnes iam praedicant in universa Ecclesia Pastores, omnes ubique iam credunt fideles, id tamquam fidei dogma ab omnibus tenendum esse tandem aliquando definiat. — XIII Kal. Dec. 1854. (Subscripti: Card. APresbyter, et Can. a Secr.)

1253. **Capucini Aesernienses in Sicilia.** Quo iucundissimo voluptatis sensu, pernimio gaudio, et ex partibus omnibus profusa laetitia nos, religiosam Capucinorum familiam, — perfuderint literae ab hacce Aeserniae Eppali Curia nuper missae, est sane prorsus difficile dictu. Nos illae diserte certiores fecerunt sanctissimi tui divinique consilii, haud dubie divinitus afflati, quo Sanct. tua B. Deiparae V. M. Conceptionem dogmatice ex infallibili Apost. Principis D. Petri Cathedra illibatam atque a primo instanti praeveniente Spiritus S. gratia ab originalis peccati macula praeservatam immunem definiri statuit atque decernit: ne in posterum pia devotione tantum, unicuique libera opinandi facultate relicta, sed firmiter ac de fide omnes fideles BVMariam in primo instanti creationis animae suae atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio intuitu meritorum eius Filii I. C. D. N. humani generis Redemtoris absque originalis peccati labe conceptam unanimiter credant, profiteantur, ac habeant. Et quoniam Beat. tuam minime fallit, nonnullas extitisse scholas, Academias, atque non infimi subsellii viros, qui in contrariam ivere partem, cum originali peccato Virginem Mariam conceptam fuisse tenentes: hinc sapientiae tuae res, de qua agitur, non parvi esse momenti videtur; atque eo magis, quod summi praedecessores Romani Pontifices Sixtus IV, Paulus V, Gregorius XV, Alexander VII, necnon et SS. Oec. Tridentina Synodus, licet aris focisque aientium faventes opinioni, — conceptionis festivitatem solemni ritu celebrari

non modo indulserint verum et mandaverint, nullum tamen definitivum ediderint decretum, ut sicuti fidei articulus immaculata atque illibata prorsus ab universa Cath. Ecclesia haberetur Deiparae V. Conceptio. Quapropter Sanct. tua in Encyclica Praesules — monet ac praecipit, ut publicas assiduasque ad Deum luminum Patrem in hocce tam magni ponderis negotio preces effundant, eorumque vota atque sententiam depromant. Nos subscripti Cap. Ord. fratres, hac super re rogati, *lubenti laetantique animo asserere minime haeremus, esse omnium ubique Orbis Catholici votorum summam, ut S. Cath. Romana Sedes dogmatice ex infallibili veritatis Cathedra BVMariae animam in ipsa sui creatione et in corpus infusione Spiritus S. gratia praeventam atque donatam, et in primo instanti speciali Dei gratia et privilegio a peccato originali praeservatam et omnino expertem fuisse protinus et quamcitius statuat definiat ac sanciat.* Vetus namque, SS. Pater, sic fuit fidelium pietas erga BVM. immaculatam absque orig. peccato conceptam, ut inter ipsas controversias, contentiones ac iurgia Academiarum atque scholarum, sponte sua, nullaque S. Sedis auctoritate interposita, imm. Conc. festivitatem solemniter celebrarent. — Temporibus autem nostris mirum in modum auctam hanc pietatem in Deiparam vidimus, ut noster omnimode gaudet animus, pene innumeras intuentes erectas Imm. Conceptionis nomine Confraternitates, templa, altaria, approbantibus Romanis Pontificibus, atque ab iisdem percopiose concessas indulgentias. Iam fere omnes Catholici velut fidei dogma, quamquam nondum decretum, illibatam V. M. Conceptionem plenis apertisque brachiis complectuntur. Quamobrem et ipsa Regna, regiones, urbes, oppida sub immac. Conceptionis titulo in Patronam et specialem Protectricem sibi elegerunt (Mariam). Nec praeterire fas est, quod in nostro regno Neapolitano religiosissimus Rex noster Ferdinandus II, quem semper cum tota Regia Familia Deus O. M. sospitem incolumemque servet, militiarum suarum necnon totius Regni Tutricem optavit. Hinc concludendum, si vera celebris ille quondam Nolae Eppus S. Paulinus nobis exposuerit, ‚de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat.‘ At si de unanimi ac universali Catholicorum

consensu in medium adducamus Religiosas cuiuscunque institutionis *Franciscanas Familias*, quanta virilitate, studiis ac industria suos ipsae contenderint nervos ad Immaculatam a primo instanti BVM. conceptionem propugnandam, tuendamque, nemo profecto nescit. Ipsae de se loquuntur historiae. Neminem vero fugit, adeo fuisse et adhuc esse *Capucinorum* familiam magno corde ac volenti animo erga imm. Deiparae V. M. Conceptionem pietati, devotioni ac cultui dicatam, ut ab illo ipso suae institutionis ortu eam sub hocce titulo Patronam Ordinis totius selegerit ac sibi efformaverit, et in sui honorem et gloriam quotannis solemniter in coenobiis omnibus Ordinis festivitatem celebret ac colat. Minime hoc inconsiderate, inconsulto, ac nullo consilio a nobis hoc effectum, sed peroptime quidem ac iure merito. Nam etsi in Scripturis S. N. T. deficiant oracula, quae praecise clarisque verbis immac. V. Mariam sine orig. peccato conceptam praedicent, innumera tamen habemus in V. T. quae sub figuris ac symbolis, quibus a SS. Patribus, Ecclesiae Doctoribus, atque a plerisque celebrioribus Scholis et Academiis funditus matureque perpensis, validis solidisque vallatis rationibus, Ecclesia in Deiparae laudes utitur, magis magisque ac perluculenter illibatam immaculatamque praeconisant Conceptionem eius. In favorem eius *hoc unum sane satis est dicere: ab aeterno fuisse ordinatam ad Unigeniti Filii Dei Maternitatem.* Necesse igitur est, ut firmissime teneamus, eam ex ore Altissimi primogenitam, non quidem naturae ordine sed gratiae, prodiisse ante omnes creaturas, adeoque à communi Adae peccati lege prorsus exemtam, verba illa Asveri ad Esther ei perbelle applicando: non pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est. Et revera, si BVMaria, Eva secunda a S. Patribus nuncupata, idcirco a prima Eva in suo praevaricationis statu omnimode diversa, fuerit illa mulier, quae callidi infernalis serpentis caput conterere debebat: quomodo illud conterere poterat, nisi ab originali peccato fuisset immunis? tunc sane, quin contrivisset, potius et ipsamet lethaliter venenatis illius serpentis dentibus sauciata iam foret. Praeterea si a S. Tridentina Synodo uti fidei dogma definitum fuit: Mariam V. ex speciali Dei privilegio ab omni prorsus veniali peccato quamvis minimo atque

levissimo praeservatam immunem, hoc proculdubio pervalidissime exemtionem eius et immunitatem ab originali labe omnino monstrat, probat, penitusque convincit, quatenus affectionibus Adae culpae peromnimode caruit, affectiones enim illae minime ad eam potuerunt accedere. At nos heic, B. Pater, pudore suffundimur, cum nostrae immemores inscientiae, ac altissimae divinaeque sapientiae tuae, vecordem in modum ligna silvis ac noctuas Athenis feramus. Qua de re perhumiliter genibus nixi veniam petentes, *enixis* simul *precibus rogamus, ut quamcitius Sanct. tua ex infallibili D. Petri Cathedra — immaculatàm a primo instanti sine originali labe concèptam B. Deigenitricem V. M. dogmatice definiat,* decernat ac sanciat: ut in posterum omnes fideles una fide stricti, uno ore atque unanimes honorificent Deum Patrem Omnipotentem, eiusque Filium Unigenitum et D. N. I. C. Sanctum quoque Spiritum a Patre Filioque procedentem, atque ad laudem honorem et gloriam SS. individuaeque Trinitatis colant unanimiter ac celebrent immaculatam illibatamque Deiparae V. Mariae conceptionem, cui benedictio, laus, et gloria in secula seculorum. Amen. Aeserniae, XV Kal. Apr. 1849.

1254. **Concionator Capucinus** (Clemens a Savona) **in provincia Genuensi.** (Est instar opusculi docti elaborata epistola sub titulo: *Pio IX P. M. pro B V Maria absque ullo originalis culpae inquinamento concepta quaestiuncula: ex illo Sap. 1, 4: Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.)* Tua excitus epistola, quam nuper ad universos cath. orbis Pastores misisti, — ego Capucinorum minimus audeo, si feras, tuae subiicere auctoritati sensus, quos mihi iamdudum et usque suggessit illud *Libri Sapientiae* oraculum ex quarto Cap. I versiculo: ‚Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.' — Non timeo dicere, in hac sententia, praecipue iuxta totam ac germanam vim verborum, loqui atque vaticinari auctorem libri de mysterio

incarnationis Verbi Dei in utero mulieris, sine originali labe conceptae. Fateor tamen, ex omnibus, quos consulere potui, Scriptoribus, unum mihi praesto fuisse *Ioannem Antonium Velasquez* Abulensem S. I. qui in sententiam eat meam. (Comment. in Philipp. 2, 7. adnot. 7.) Ceteri ad morum institutionem tantum referunt, ac nonnisi accomode ad Mariam Virginem, i. e. ad eius conceptum immaculatum, quasi a minori ad maius argumentando. Cuius rei causa esse potuit tum ipsa natura libri, qui, cum inter deuterocanonicos fuerit, legebatur quidem in Ecclesia ad aedificationem plebis, non ad eccles. dogmatum confirmationem; tum theologorum opinio, quod quaestionem hanc de immac. V. conceptu S. Literis comprobare non liceat, quemadmodum oporteret, adversante praesertim S. Thoma, qui in Summa diserte ait: ‚Si numquam anima BVirginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator.' Qui fiat, quod S. Doctor ita loquatur, nescio: dum *Robertus Holkot,* qui a. 1349 obiit, et *Iac. Passavanti,* qui 1357 obiit, amboque igitur D. Thomae fere coaevi atque eiusdemmet Religiosi Ordinis, nonnihil ab ipso dissentiunt. Nihilominus doctissimus *Suarez* satis esse concedit, quod aliqua supernaturalis veritas in Scriptura implicite contenta sit, ut crescente communi consensu Ecclesiae, per quam saepe Scripturam declarat, tandem possit definitionem suam adhibere, quae vim habeat cuiusdam revelationis propter infallibilem Spiritus S. assistentiam. — Hinc nihil impedit, quominus tale quid contingat proposito *Sapientiae* oraculo studiosius perpenso, non Patres, non Ecclesiae decretum, non deniqae illa, quae vulgo adhibetur interpretatio. — Colligere non dedecet, *quod Spiritus S. in hoc libro maxime,* qui prae ceteris tantummodo, nec certe sine mysterio, *Sapientia* nuncupatur, quia de Notionalis Sapientiae Incarnatione eiusque operibus in hominum salutem ac beatitatem mirifice loquitur, *silentio non praeterierit, quid peculiaris beneficii ipsamet Sapientia contulerit Matri suae, h. e. quid maximi periculi a Matre sua averterit.* Quod porro nemo inficias ibit esse immunitatem ab omni prorsus contagione peccati, a nimis lugenda pernicie illa, in qua ob Adae peccatum divina Mater primo suo Conceptionis

momento versabatur. Id, inquam, ex hoc volumine praesertim colligere decet, si, ut ex c. 10 et reliquis patet, ipsum ab Adam exorsum narrare perpendamus, quid Sapientia egerit erga tot Patriarchas eam ob causam, quam in fine cap. 9 attigerat, dicendo: per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi Domine a principio, h. e. arcendo ab eis id, ex quo pernicies eorum pendebat maxime. Quodsi id ipsum Sapientiae Matri praestitum ne colligi quidem posse ex hoc libro quis dicat, quippe quod verba oraculi plus aequo forte obscura sint, ut inde et Mariae immac. conceptio probari queat: hoc meo quidem iudicio magis magisque et prophetiae et mysterii ostenderet naturam, miro orationis ordine et convenientia. Seu enim ab ipso huius Codicis exordio divinus Auctor doceat omnes homines ac potissimum Principes diligere iustitiam atque ita de Domino sentire in bonitate, ut in animum inducant suum, numquam Dei amicitiam consociari posse cum iniquitate: mox, ut opinor, id illo firmaret mysterii vaticinio, quasi diceret: nolite errare, vobis liquidissime compertum sit, Deum nulla unquam ratione convenire posse cum peccato, et ex hoc argumentamini: Quoniam cum Filius Dei, cui Sapientiae nomen, veniet in mundum, et fiet homo ex muliere, nequaquam ideo intrabit nec habitabit in utero mulieris, cuius anima, cuius corpus a cuiusvis peccati labe unquam maculata fuerint. Seu cum ‚Matthaeo Cantacuzeno' divinam in huius libri exordio orationem ad populum Iudaicum Proceresque Synagogae haberi malimus, ut attentissime digniusque se parent ad Divini Verbi audienda mysteria, oratio miro verborum ordine fluet. Nam more Isaiae VII, qui dum domus David pervicaciam redarguit, illico propterea ad vaticinium transit, de Christo eiusque Matre divinus hic auctor locutus esset: et, quemadmodum ille pro certo signo adventus Christi dedit Virginitatem Matris perpetuam perfectamque corporis, ita hic illam perpetuam maximamque animae, immunitatem scilicet ab orig. culpae foeditate. — *(In sequentibus uberius excurrit ad probandum, etiam literali ac grammatico sensu sumta verba Sapientiae eandem fundere explicationem,* et ita argumentatur:) Sapientior quisque videat, an huius sententiae verba: ‚quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habita-

bit in corpore subdito peccatis', potius, quam morale monitum de pugna doni sapientiae cum quolibet mortifero peccato, suapte natura ac vi (ut innuit tempus futurum verborum *introire* et *habitare)* vaticinata sint id, quod quaerimus (immac. conc.): Qui iudicatis terram, sentite de Domino in bonitate, quoniam Sapientia (Persona Filii, qui dicitur Sapientia Patris) non introibit, non se conferet ad hypostatice assumendam humanam naturam in mulierem, ex cuius carne scilicet fiet verus homo, nec ideo ut foetus habitabit in eius corpore, in utero huiusmodi mulieris, cuius anima sit ficta ad malum voluntarium ipsi per voluntatem Adami, cuius mulieris animae integritas sit corrupta, foedata a malis, scilicet cum voluntate inclinata ad peccandum, cuius anima statim atque infundetur corpori, haberet ex hoc debitum se maculandi, subiiciendi illi peccato, ex quo malum i. e. diabolus dominatione politica habeat ius ipsam in subditam, in servam sibi assumere; Verbum Dei nequaquam, nullo modo fiet caro ex hac muliere, nec in eius corpore habitabit obarato peccatis. Unde cum ,Velasquez' iure coniectare possumus: loqui Salomonem de corpore Virginis, quod nec peccato originali, neque eius reliquiis tamquam aere alieno pressum ac obseratum unquam fuerit, quod Divinam Sapientiam non ut unius diei hospitem sed ut longi temporis domiciliarium et inquilinum esset susceptorum; et vero quam libenter, quamque, ut sic dixerim, naturaliter inibi quasi in proprio centro Dei Filius permanserit, hanc Mariae puritatem satis confirmat. Mariam vero per singularem ac propriissimam attributionem tam in Scripturis quam apud omnes Patres verum Dei templum et habitationem peculiariter dici quis adeo fuerit otiosus, ut in profando velit tempus terere? Aptissime igitur in hac sententia verbum *introire* ostendit incarnationis modum a generatione carnali prorsus alienum; et verbum *habitare* incarnationis veritatem; ita ut cum Ecclesia canere possimus: ,Beatus Auctor seculi servile corpus induit, ut carne carnem liberans ne perderet quos condidit. Castae parentis viscera coelestis intrat gratia, venter puellae baiulat secreta, quae non noverat. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, concepit alvo Filium.' (Hymnus ad Laudes Nat. D. N. I. C.)

Intacta, inquam, nesciens peccatum omni modo, omni tempore, ut corpore ita et mente: quia non condemnata, non rea peccati, h. e. de cuius re non amplius disceptatur, etiamsi nihil admiserit, quemadmodum ex proposito Sapientiae oraculo iuxta versionem syriacam probabilius summatim colligendum videtur. — Ergo si nobiscum tandem aliquando universa Ecclesia publice oraverit: ‚Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus, ut, qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas': tunc ad literam mirabimur adimpletum Sapientiae vaticinium: quoniam Sapientia genita et notionalis ut fieret homo, non introivit nec habitavit in corpore mulieris reae, nempe de cuius re disceptatur, etiamsi nihil admiserit. Attamen obiiciat nemo, quod hac interpretatione posita haerendum sit, utrum necne tale vaticinium intelligi queat de eadem divina persona hypostatice unienda naturae humanae? Siquidem haec ipsissima Nestorii esset loquendi ratio, qui aiebat: Verbum in Christo habitare veluti in templo. Et hic igitur obiter animadverte, quemadmodum suapte natura verbum *habitare* sensa ingerat, quae superius attigi, et ut satius propositum Sapientiae oraculum quadret BVMariae foctae Deo et homine Christo. Quae revera mihi undiqueversum Virgo non videtur, si eius anima modo quo violari potest per originale peccatum a veteratore illo et antiquo serpente coinquinata fuit. Esto vel uno temporis momento, hoc non impedit, quominus factum infectum non sit. Hinc semper dici posset, Mariae animae integritatem a daemone violatam fuisse: ideoque Filio Dei huius suae Matris illa corporis integritas, quae ut in matrimonio sine peccato amitti potest, videretur cordi magis fuisse, quam animae integritas, quae absque Dei iniuria abesse numquam potest. Qui Filius in ipsa extingvendo fomitem, qui etiam absque inimicitia Dei remanet in homine, ab effectu videretur abhorruisse magis quam a causa, a materiali quam a formali et ab eo quod peius. Praeterea si illud inquinamentum passa statim BVirgo sanctificata fuit, quia oportebat ut Mater Dei maxima puritate niteret, utique haud maxima puritas mihi videtur. Verum si Maria ex hoc quod est Mater Dei habet quamdam

dignitatem infinitam, et nihilominus ex toto non habuit immunitatem a peccato originali: haec ipsa immunitas, quia denegata, videtur maioris esse momenti, quam ipsa divina Maternitas; quocirca Mariae puritas toto coelo distaret, quo maxima praedicaretur, et Filio Dei desideranda magis idonea Mater, quae non peccasset aliquando. Haec dicta sunto, B. Pater, quaestionis firmandae ergo, qua universo Franciscano Ordini nihil antiquius, nihil svavius, et sub cuius titulo Congregatio mea, necnon Liguria tota Patronam sibi Virginem Mariam delegisse laetatur; quamque Ecclesia tum, cum dogmatibus fidei accensuit ipsiusmet virginitatem perpetuam, utpote Dei Matri nimis congruam, implicite hac eadem de causa illam praestantiorem et maximam missam non fecisse videtur quatenus eiusdem Virginitatis complementum, perpetuam scilicet immunitatem ab omni orig. peccati labe momento conceptionis. — *Clemens a Savona.*

1255. **Commissarius Apost. Minorum de Observantia Romae.** Fr. Ioannes Romeu, Comm. Apost. Minorum de Observantia, et Reformatorum S. Petri de Alcantara, et tertii Ordinis pro Peninsula Hispaniae, — gratissimos cum sui ipsius, tum suorum subditorum animi sensus et flagrantissima vota patefacere properat. Laetabundi siquidem et tamquam prae gaudio tripudiantes Encyclicas perlegimus literas. — Nihil profecto aut iucundius aut optabilius nostrae *Seraphicae Familiae* ullo unquam tempore accidere poterat, quam ad hunc desideratissimum scopum maximumque gloriae Matris nostrae incrementum assequendum totis contendere viribus. Neque enim te latet, B. Pater, *pientissimam de immac. Virginis Conceptione sententiam nos veluti cum lacte ebibisse,* ex quo subtilis Magister noster ven. Scotus eam nedum firmiter propugnavit constabilivitque, verum etiam luculentissime dilucidavit, et universa obiecta penitus exsufflavit. Novit insuper Sanct. Vestra, quantum inde apud fideles in toto catholico terrarum orbe increvit erga imm. V. Conceptionem tenerrima devotio, cultusque mirificus et amor. His omnibus acce-

dit, quod annuente Apost. Sede in Generalibus Ordinis nostri Comitiis B. Dei Mater sub praeclarissimo singularique illibatae Conceptionis mysterio Franciscanae Familiae Patrona fuerit proclamata, atque in *tota religiosa Seraphica familia Hispaniae ab antiquissimis temporibus solemne sacrumque fuit, tribus consvetis votis quartum addere, quo sodales omnes trium S. P. Francisci Ordinum ad defendendum, V. Mariam absque originali naevo fuisse conceptam, adstringerentur, usque ad proprii sangrinis, quoties opus fuerit, effusionem.* Hinc plane lucideque innotescit, *quam medullitus nobis infixa sit in purissimam Virginem a labe originali immunem devotio, quantoque desiderio cor omnium nostrum exardescat, ut tandem aliquando dogmatico Sedis Apost. iudicio constabilitum maneat, quod pie corde credimus, et ore palam confitemur.* — Romae, 24 Dec. 1849. *F. Ioannes Romeu.*

1256. **Minores de Observ. Aesernienses in Sicilia.** (Ad Eppum.) Quid aestimavit, quid credidit, quidve adhuc profitetur de imm. conc. Deiparae V. M. Ordo Seraphicus S. Francisci Assisinatis, — demonstrant historica eiusdem Ordinis monumenta; demonstrant Officium et Missa propria, quae ipsius Ordinis Patres iamdudum efflagitarunt, atque a Sede Apost. impetrarunt; demonstrant tot triumphi, quos Ordo ipse centies Virginis eiusdem patrocinio egit contra tanti mysterii hostes; demonstrat illud ardentissimum studium, quo Deiparam Mariam sub titulo imm. Conc. Patronam unicam et singularissimam communi consensione adoptavit, atque devotissime est veneratus. Quare haec familia non tam lubenti quam laetabundo et festivo animo audivit diem tandem illuxisse, tempusque a Deo praefinitum adventasse, quod diu expectatum concupitumque est, in quo in lucem prodeundum, definiendum, fidelibusque Ecclesiae Christi de fide proponendum videtur mysterium a seculis absconditum de imm. Conc. BVM. quod subobscure hinc inde Scriptura tradit, quod Patres, licet non omnino expl ci is verbis, reserarunt, quod Concilia Oecumenica fidelium devotioni ex

consilio reliquerunt, quodque demum Summi Pontifices prudenti oeconomia defensarunt. Quamobrem *haec Minorum Obs. familia maximopere gratulatur, exoptat, atque toto sperat corde, citius omnes ex orbe Eppos unum idemque esse scituros et professuros cum Summo Pontifice Pio IX, atque uno ore praedicaturos totique Christi Ecclesiae propondituros, BMVirginem fuisse sine originali labe conceptam. Eapropter preces Spiritui veritatis fundere haec religiosa familia non desistit, ut omnes Eppos Cath. praecipueque Romanum Pontificem illuminet, moveat, suaeque gratiae vi impellat ad tantum mysterium declarandum definiendumque.* — 4 Apr. 1849.

1257. **Trappistae in Dioec. Valentinensi Galliae.** Liceat pusillo gregi Trappensium Aquaebellae in D. Valentinensi Galliae, de perpetuo silentio Claustri vocem extollere, qua inenarrabilem laetitiam ex literis Vestris de immac. BVM. Conceptione ortam ad pedes S. Sedis provoluti quantocius depromant. Fuere vere verba Vestra verba exultationis et iamdudum desiderati nuntii in tabernaculis nostris, in quibus Beatissima Virgo sub hoc titulo ipsi soli proprio peculiari honore colitur. *Eructa* igitur, B. Pater, ut legitimus B. Petri Successor et D. N. I. C. Vicarius, *illud verbum bonum, quo unanimi consensu coelum et terra et omnes filii Mariae, qui habitant in eis, exultent:* ‚Beata Virgo Maria in Conceptione sua fuit a labe originalis peccati penitus immunis.‘ — *Illucescat dies ille fortunatus nimis, quo veneranda illa traditio in articulum irrefragabilem fidei ex sententia oris vestri convertetur.* Illucescat et potentiori ictu tartareae potestates conculcabuntur; impius in furore suo magis ac magis fremet et tabescet; omnes catholicae gentes plaudent manibus; gloriam Regni Vestri dicent, et Pontifex tanti BVM. privilegii declarator ex Cathedra celebrabitur usque in generationem et generationem. — 9 Maii 1849.

1258. **Trappistae antiquioris reformationis in Gallia.** Ad pedes Sanct. Vestrae humiliter provoluti hoc votum emittunt infrascripti: Universalis Ecclesiae concentui in laudem immac. conc. B. Deigenitricis semper V. Mariae, Ordinis Cisterciensis et Reformationis de Trappa singularis Patronae, usquē ad supremam Ap. Sedem personanti et nos abiectos in domo Dei, tamquam vasa perdita et purgamenta huius mundi, voces nostras veluti tympanistrias iuvat sociare. Itaque *uno ore enixe petimus, ut cunctis Ecclesiae Christi fidelibus tamquam dogma fidei catholicae imponatur credenda immaculata et immunis prorsus ab originali labe eiusdem Virginis Conceptio.* Hoc decet alumnos D. Bernardi, eiusdem praeconis melliflui, qui, licet aliter scripserit, profecto si adhuc esset in diebus carnis suae, preces supplicationesque iuxta sensum nostrum offerens, in hac re, sicut in aliis, dux noster et antesignanus incederet pro sua reverentia utique exaudiendus. 1849. (Subscripti ex Dioec. *Molinensi* 31; *Cenomanensi* 25; *Bisuntina* 14; *Cameracensi* 19; *Argentinensi* 24.)

1259. **Benedictini Einsidlenses in Helvetia.** — Liceat cum meo tum totius *Congregationis Helveto-Benedictinae* nomine sequentia exponere. Congregationis huius iacta fuere fundamenta a. 1602. Auspice Deo huius Congr. Praesides atque Abbates nihil intentatum reliquerunt, quo magis ipsa floreret et radices figeret firmissimas. Quare, ut cetera praeteream, cum convenissent in Monasterio principali S. Martini ad Muros, 22 Maii 1737 decreverunt, *ut Congregatio haec in futurum ferat titulum sacrum Imm. Conc. BV.* haud parum spiritualis incrementi exinde sperantes pro felici monasteriorum sibi concreditorum statu, necnon et pro totius Congregationis prosperitate atque salute. Hinc festum imm. Conc. BV. ceu titulare Congr. quotannis sub ritu duplici 1 Classis celebratum fuit ad nostra usque tempora. Ex quibus Sanctitati tuae perspecta erunt nostrae Congr. circa Conceptionem BV. sensa, et devotio, qua fertur in protectricem suam dulcissimam. His pro tota Congr. dictis ea adiungo,

quae Monasterium *Einsidlense* singillatim attingunt. Notum est universis, monasterium BV. in Eremo initia ac progressus suos gloriosissimae Deiparae debere, quae praecipuo cultu per spatium mille annorum in Sanctuario nostro a tota Helvetia et populis circumiacentibus veneratur. Hinc maiores nostri ceu praecipui Dei Matris cultores hanc erga Beatissimam devotionem suis posteris quasi iure haereditario reliquerunt, ut et ipsi eorum vestigiis insistentes aliquid ad Mariae Matris suae thaumaturgae Einsidlensis honorem conferrent. Quae specialiter ad imm. Conc. Deigenitricis spectant, sequentia sunt: 1. A. 1676 in monasterio nostro usus incoepit et usque ad praesens inolevit, in Salut. Angelica post verba ‚S. Maria Mater Dei' encomium addendi ‚sine macula concepta', seu, ut in idiomate germanico sonat, sine labe peccati originalis concepta. Hic usus a monacho Einsidlensi, Parocho et Confraternitatum Praeside, consentiente suo Principe Abbate, introductus non in Monasterio solum viget, sed et in tota parochia Einsidlensi, necnon et aliquibus aliis Monasterio nostro incorporatis, ac etiam in Monasteriis Monialium iurisdictioni Abbatis Einsidlensis subiectis; et memoratum encomium in omnibus omnino Salutationibus Angelicis tam in orationibus publicis quam privatis, in recitatione S. Rosarii aeque ac in aliis precum generibus semper constanter ab omnibus sacerdotibus et laicis, pusillis cum maioribus adhibetur, ita ut haec sola et non alia BVirginem salutandi formula sit usitata. 2. A. 1688 in paroecia Einsidlensi a Sacerdotibus Regularibus monasterii nostri administrata *Confraternitas immac. Conc. BV.* introducta fuit, quae communiter ‚Hora aurea' dicitur, quia die 8 Dec. in festo Conc. BV. sodales per 24 integras horas a media nocte festi incipientis usque ad mediam noctem finientis in turmas divisi orare ac Deo eiusque Matri laudes persolvere tenentur, maxime benedicentes horam illam, in qua sine labe originali concepta fuit BVirgo. Haec imm. conc. Mariae Confraternitas ad solos parochianos Einsidlenses primum restricta, mox ad eos quoque extensa fuit, qui devote Sanctuarium nostrum inviserent, hoc enim erat in votis omnium ex tota Helvetia, Svevia, Germania et locis finitimis ad Thaumaturgam Einsidlensem peregrinantium. Hinc

singulis annis multitudo copiosa peregrinorum Confraternitati imm. Conc. in sacra Eremo inscribitur, adminimum sex millia hominum utriusque sexus et cuiusvis conditionis. 3. Quamprimum numus miraculosus Parisiis excusus in regionibus nostris innotuit, monasterio Einsidlensi maxime cordi fuit, illum longe lateque propagandi, desuper scripta in sermonem germanicum vertendi et typis mandandi, sicque devotionem erga Beatissimam sine labe originali conceptam excitandi atque augendi. Hos pios conatus haud infructuosos fuisse testantur innumerae gratiae ex ista devotione obtentae; testantur libelli publici beneficiis per intercessionem Deiparae obtentis referti, ac fidelium omnium exinde veneratio erga Christi Matrem quasi ex fundamentis instaurata atque adaucta. Haec praedecessori meo Abbati Coelestino ansam dederunt scribendi Romam, enixeque SS. D. Gregorium XVI P. M. exorandi, ut ad Monasterium Einsidlense universamque Congr. Helveto-Benedictinam extendere dignaretur indultum aliis Ordinibus Regularibus ac dioecesibus iam concessum, addendi Praefationi Missae de Conc. BMV. verbum ‚Immaculata', et Litaniis Laur. ‚Regina sine labe originali concepta.' Quibus precibus Sanct. Sua benigne annuit 26 Apr. 1844. Haec facta simpliciter enarrata et documentis plurimis in Archivis nostris asservatis inconcusse firmata, devotionem qualem habeant Monachi BV. in Eremo et fideles curae meae concrediti circa Conc. Immac. Deiparae, sat diserte enunciant. Hinc nullus nobis nuntius adeo desideratus, quam audiendi, BVMariam Iesu Matrem a Successore S. Petri ac Christi in terris Vicario novis encomiis fuisse honoratam atque decoratam. Nam novos exinde gratiarum fontes orituros esse firmiter credimus, queis omnes Mariae cultores totusque orbis christianus refocillati spem novam concipient salutis. — Einsidlae, 9 Apr. 1849. Henricus Abbas.

1260. **Societas Iesu in urbe Montevideana prope Romam.** Patres S. I. in hac urbe degentes, consulti de BV. Conceptione, an immaculata et sine labe originali fuerit, hoc

modo sententiam nostram declaramus, parati ex toto corde et ex omnibus viribus mentis parere dogmatico decreto, quodcunque emanaverit, tum quoad rem, tum quoad modum, et cogitatione et verbo et opere. *Quandoquidem pia sententia de immac. BV. Conceptione, fatentibus omnibus theologis, et in S. Bibliis aliqua ratione insinuatur; et in Patrum multorum scriptis digno saltem modo testata invenitur; et in universali consvetudine Ecclesiae innititur; et in publico communique fidelium sensu recepta est; et in tot Pontificiis diplomatibus aperte saltem suggeritur; et a plerisque ex Eppatus ordine Pastoribus expetita, et ardenti affectu defensa, a cunctis fere religiosis familiis seu Ordinibus admissa, et a florentissimis tot Academiis propugnata est: nullatenus dubitare possumus, quin adsit saltem in hoc seculo sufficiens fundamentum, ut tuto possit Ecclesia seu Romanus Pontifex hanc BV. immunitatem ab originali labe definire.* — Montevideo, 9 Iul. 1849.

1261. **Congregatio Oblatorum SS. V. Mariae sine labe conceptae in Gallia.** Cumprimum ex alta Petri Sede personuerat vox Summi Pastoris, et ad omnium aures indubitanter pervenerat, undequaque reviviscere mirificum illud ac flagrantissimum desiderium, ut tandem definitivo solemnique iudicio ab Apost. Cathedra definiretur, SS. Deigenitricem — Mariam absque labe originali fuisse conceptam, summo inenarrabilique gaudio affecti sunt omnes Congregationis Oblatorum SS. V. Mariae sine labe originali conceptae sodales. Inter densissimas calamitosi praesentis seculi tenebras, procellosasque in hoc mari magno tempestates, fluctus suos ex omni parte spumantes, subito refulsit repentinus insperatusque fulgor. Eadem voce conclamarunt omnes nostri, Sacram Petri Naviculam, adeo nunc furentibus undis iactatam, ad felicem salutis portum certo mox appulsuram, duce Maria Immaculata sub omnipotenti manu Supremi Nautae et Gubernatoris. SSma quippe Virgo Deipara et cunctas haereses invincibili pede semper contrivit, et luctuosissimas calamitates constanter potenti dextera ab Ecclesia procul removit. Uno igitur corde

unanimique ore Deum O. M. alternis laudibus celebrare et exaltare non desinunt istius sacrae familiae alumni de tam felici nuntio ad nos recenter perlato, et de tam inopinata vigilantissimi Supremi Pastoris coelitus certe data voluntate. Illud etenim, quod erit pro toto orbe catholico causa maximae inauditaeque a multis seculis laetitiae, suas apud nos et singulares et ineffabiles obtinet obtinebitque gratiarum actiones. — Multis abhinc annis vener. mem. S. Pontifex *Leo XII* Institutum Congregationemque nostram per literas Apostolicas die 21 Mart. 1826 in forma specifica datas in ordine hierarchico libenti alacrique animo constituens, uberrimasque de rore coeli universae Congregationi largiens gratias, insignitam voluit splendido nomine singularique titulo ‚Oblatorum SS. V. Mariae sine labe conceptae.' In spem etiam erigebatur cor sapientissimi Pontificis, eandem familiam, quam admodum utilem profitebatur, afflictis Ecclesiae rebus non levi tum praesidio tum ornamento futuram. Tandem omnes eiusdem sacri coetus praecones et Verbi divini seminatores in visceribus suae paternae caritatis alte recondens, significavit ipsi cordi esse, ut finem non facerent, illam admirabilem Virginem Dei Matrem celebrare, singulariaque ipsius privilegia exaltare, ita, ut efficaciter perducere valerent ad eiusdem Matris misericordiae sinum homines, quos ut filios Iesus Christus in ara Crucis illi voluit attribuere. Tam laeta faustaque vota ipsemet Deus summe bonus abundantiori constantique benedictione sancire non destitit. Pusillus ille et humilis sane grex sub tanto auxilio foecundaque manu illius BV. sine labe conceptae, quae iure et merito decantatur gratia plena, et in qua Christus Redemtor totius boni posuit plenitudinem, longe et late propaginem faustissime protulit. Mox enim, ut beata manu supremi Agricolae in horto Ecclesiae plantata est vitis ista, foecundos laetabunda palmites emisit. Exinde autem de die in diem, protegente semper et a supernis afflante BV. Patrona Immaculata, operarii illi strenue proeliantes proelia Domini, non solum in omnibus Gallicae ditionis partibus, sed et in Anglia, Hibernia, Corsica, remotioribus Americae spatiis usque ad Oregonem, Indiis Orientalibus etc. labores plurimos susceperunt, sedem ibi collocantes. Quae omnia adeo iucunda

et tam grata fuere venerabili Pontifici, V. S. decessori, Gregorio XVI, ut paulo ante obitum uberrimos fructus et laetas segetes undique colligentes Missionarios immaculatae V. Mariae Oblatos affectuose contemplans, ultima et quasi testamentaria benedictione illos ditare et communire voluerit, ut patet e Brevi Ap. ‚Valde nostrum' laudativo et instituti confirmativo, dato die 20 Martii 1846. Quasnam ergo nunc omnes nos rependere valeamus gratias pro tot tantisque beneficiis a Deo datis et pollicitis! *Felix dies illa,* dicimus, *in qua Deus afflante Spiritu dilectissimi Filii sui, posuit in corde sui Vicarii in terris, supereminentissimum honorem decernere S. V. Mariae.* Felix indubitanter et sancta dies, in qua supremus ovium et agnorum Pastor ac Doctor inter acerbissimas cordis sui angustias tristesque S. Ecclesiae vicissitudines et urgentes necessitates elevavit mentem ad immaculatam Matrem Agni Immaculati oculosque direxit ad fulgorem illius almi sideris, manu Dei positi in coelis, ut arcus sit foederis et signum victoriae. Veniat illa tam exoptata hora, in qua orbis universus exultare valebit SS. Deigenitricem vere et certo confregisse caput venenosi serpentis, fideque omnino tenendum, BVMariam mirabili et unico uberioris gratiae Filii sui privilegio ab omni prorsus labe originalis culpae verissime praeservatam. — 1850. (Subscriptus Eppus Massiliensis qua Superior Generalis Congregationis.)

1262. **Congr. Oblatorum BMV. Taurinensis in Sardinia.** Nomine equidem meo inprimis, non tamen meo tantum, sed et totius Congregationis Oblatorum BMV. cuius regimen mihi utut immerenti arcana Dei dispositione commissum est, hanc humillimam simul atque incensissimam postulationem ante pedes Vestros constituo: ut Sanct. Vestra pro suprema et infallibili, qua divinitus pollet, auctoritate quantocius piissimam illam de imm. eiusdem BMV. Conceptione sententiam solemniter definiat, omnibusque fidelibus tamquam fidei dogma credendam proponat. — Neque haec nostra in SS. Deiparam sine labe originali conceptam devotio recens

est, sed eam pueri velut pretiosissimam haereditatem a parentibus accepimus et fideliter custodivimus; crevit autem, etiam *emisso privatim a compluribus Conceptionem SS. Deiparae immaculatam credendi voto,* posteaquam nomen dedimus Congregationi nostrae, quae ab ipso SS. BMV. Nomine nuncupari gloriatur, quaeque idcirco eiusdem cultui ac venerationi peculiari ratione addicta, eam omni quo potuit modo semper honorare studuit, exemplum in hoc sequuta praeclari Dei servi et fundatoris sui Pii Brunonis Lanteri, qui pro maxima qua erga BV. afficiebatur devotione in Directorio pro Congr. composito illud etiam omnibus specialiter commendatum voluit, ut *ad immac. Conceptionem toto ardore defendendam sint parati.* — Eia igitur, B. Pater, literae Vestrae gaudium annuntiarunt nobis, gaudium universo mundo; sed *gaudium hoc nondum est plenum; impleat illud, si Deo placet, Sanctitas Vestra edita, ubiprimum licuerit, dogmatica immac. Conc. definitione, quam properari potius quam differri centena persvadent argumenta.* Quatuor duntaxat ego brevissimis verbis commemorabo. Primum est, *quod hic agatur de definitione omnino certissima ex parte veritatis definiendae,* ut constat vel ex eo solo, quod cultus imm. Conceptionis in toto orbe cath. vigeat ac floreat non solum sciente et permittente, sed approbante, imo multifariam favente ac etiam praecipiente Ecclesia: quae nimirum inter alia in honorem Conceptionis BV. annuum festum cum Octava in toto orbe catholico de praecepto celebrandum instituit, et celebrat non quocunque sensu, sed in sensu Conceptionis Immaculatae, quemadmodum ex Pontificiis Constitutionibus et Declarationibus in eam rem editis compertum est; ex altera vero parte attentis Christi promissis plane repugnat Ecclesiam errare potuisse in re adeo gravi ad religionem pertinente, cuiusmodi esset post tam maturum ob exortas controversias ac tam saepe innovatum totius negotii examen cultum falsum vel falso sensu intellectum in honorem BV. approbare et insignibus favoribus promovere, eique in toto orbe catholico exhibere et exhibendum praecipere. Secundum est, *quod agatur de definitione omnino gloriosissima et acceptissima ex parte SS. Virginis,* in cuius honorem cessura est; quid enim glori-

osius illi, quam solemniter definiri et ab omnibus catholicis fide divina credi, ipsam unam ex omnibus Adae posteris singularissimo gratiae privilegio non fuisse sicut ceteros filiam irae, sed vel a primo suae conceptionis instanti antiqui serpentis capite contrito vicisse ex omni parte peccatum, semperque Deo fuisse dilectam? Praesertim quod tam excellentem hanc eius praerogativam superioribus aetatibus nonnulli vel inter ipsos Sanctos eique addictissimos viros inficiari vel de illa dubitare visi sint. Cultum autem nova ac sublimiore illa ratione exhibendum acceptissimum eidem futurum inter alia plurima satis demonstrant numisma sic dictum miraculosum, et mirabilis Israelitae Alphonsi Mariae Ratisbonne ad fidem conversio. Tertium est, *quod agatur de definitione omnino exoptatissima ex parte fidelium illam praestolantium,* prout clare testantur tot illae postulationes ad Sedem Apost. a viginti circiter annis continenter perlatae, de quibus in praelaudatis Vestris literis, et aliae ex omnibus orbis partibus post easdem Vestras literas numero sane quam maximo perferendae. Sed, quod multo maius est, talem definitionem postulat omnium prima omniumque dignissima, cui satisfiat, ipsa flagrantissima ac tenerrima Vestrae Sanctitatis erga SS. Virginem pietas. Postulamus quoque ardentissime nos ipsi omnium minimi ad maiorem laudem et gloriam eiusdem SS. Virginis, Matris nostrae peramantissimae, cui post Deum ut omnia prorsus nos debere profitemur, sic illud vel maxime, quod Congregatio nostra in nimis lugendis hisce rerum conversionibus singularissima ac potentissima eiusdem protectione neque violentam ex propriis domibus expulsionem, principio magnopere veritam, neque postea civilem suppressionem, etsi iam voto unius ex duabus Cameris sancitam, passa fuerit. Quartum est, *quod agatur de definitione omnino fructuosissima ex parte utilitatis spiritualis in Ecclesiam universam derivandae;* haud dubium namque quod SS. Virgo, ab universa Ecclesia tam glorioso ac tam accepto eidem cultu honorata, futura sit universae Ecclesiae magis patens largissimarum gratiarum ac coelestium benedictionum fons, ita ut dogmatica imm. conc. definitio videatur habenda tamquam initium felicioris illius epochae, in qua potissimum mundo ad finem

vergente adimplendum sit magnum illud promissum Ecclesiae et visibili eius Capiti factum a Christo Iesu Apoc. 3, 8. 9: ‚Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum: ecce dabo de synagoga satanae, qui dicunt se Iudaeos esse et non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos, ut veniant et adorent ante pedes tuos, et scient, quia ego dilexi te.‘ Taurini, 2 Febr. 1850. (Subscriptus Rector maior Congr.)

1263. **Abbas et Procurator Generalis Ord. Cisterciensium Romae.** (Sub titulo: *Ordinis Cisterciensis Suffragia pro dogmatica ferenda sententia super mysterio imm. Conc. BVM. SS. D. N. Pio IX P. M. humiliter porrecta atque supplici elucidata libello per* **Thoebaldum Caesari** *Abb. et Proc. Gen. Ord.)* 1. Quo tempore omnes Religiosorum familiae totius cath. orbis Sacrorum Antistitum vota aemulantes pientissimum desiderium testantur iteratis postulationibus ad Apost. Sedem continenter perlatis, quibus certatim efflagitant, ut tandem aliquando ab ipsa solemni decernatur iudicio, SS. Deigenitricem Imm. V. Mariam absque originali labe fuisse conceptam: *Generalis Cisterciensium Procurator pergratum periucundumque Sanct. tuae futurum confidit, ut tamquam fidus Praesidum Monachorumque uniuscuiusque coenobii votorum interpres proprio eorumque nomine clare aperteque enunciet atque Sanct. tuae significet, quid super hac re sentiat et quid ab infallibili Apostolorum Principis Cathedra super dogmatica ferenda sententia vehementer exoptet. Dum vero ea qua par est benignitate haec Ordinis Cisterciensium suffragia excipies, haud aegre ferendum, si nonnulla e calamo exciderint, quibus humillimus Orator, veluti alter licet immerenter D. Bernardi filius, in sacri mysterii favorem, Patriarchae sui iura propugnet, ipsius sensus clare exponat ac cohonestet, ceterorum Ord. Cist. Scriptorum in rei firmitatem testimonia adducat, suosque proprios conatus pro dogmatica definitione depromat, tuaeque Beatitudini quamlibenter subiiciat.* 2. Quanta semper pietate ac devotione

inclytus Cisterciensium Ordo Deiparam Virginem prosequutus sit, ex eo palam evincitur, *quod ipsamet gloriosissima Maria Robertum Sanctissimum Abbatem Ordinis Institutorem aureo sibi annulo desponsaverit,* hac amoris exhibitione declarans, se Matrem futuram Monachorum. Ideo Cistercienses numquam Officium BMV. recitare omittunt, nullaque dies est, quantumvis solemnis, qua se existiment a laudibus BV. tum publice tum privatim persolvendis dispensare. Haec consvetudo longissimi temporis praescriptione firmata ad hoc pensum quotidianum nostros obligare censetur. *) Praeter horas canonicas decurrentis in die officii divini, ac praeter officium parvum, quod Monachi nostri recitare tenentur, quotidie post Completorium in omnibus eiusdem Ordinis et Monialium aedibus solemniter canitur Antiphona ‚Salve Regina'; et quotiescunque Lauretanae dicuntur Litaniae, adiicitur in fine laus illa: Regina advocata nostra, ora pro nobis. 3. Nec immerito ab ipsius Ordinis incunabulis haec facta est additio, ad aemulandam scilicet patrum nostrorum pietatem erga dilectissimam Advocatam nostram. Siquidem quod BVMaria specialissimo patrocinio Cisterciensem Ordinem tueatur, mille comprobari potest exemplis; sed praesertim benignissime dicere dignata est S. Patri nostro *Alberico:* ‚Ego Ordinem istum protegam usque in finem seculi', quando eidem candidam cucullam elargita fuit; atque alia id generis, quae videre est apud *Manriquez, Henriquez, Montalbum,* et in magno exordio Ordinis nostri, et apud *Claudium Chalemont:* qui loquens de B. Guilelmo monacho refert: ipsum inter ceteras celebres visiones aliquando vidisse BV. Virginem preces fundentem Christo Domino in homines irato, ut imminens flagellum ab eis averteret ob merita amicorum suorum Cisterciensium Monachorum. — 4. Hinc factum esse creditur, ut omnia Cisterciensium templa utplurimum in eiusdem Deiparae Virginis honorem erecta atque dicata sint. Primaevi enim Patres quem instituerant Ordinem, Angelorum Reginae his verbis devoverunt: ‚Quoniam gloriosae Deigeni-

*) Creditur iuxta *Mabillonium,* quod Monachi Cistercienses obligationem contraxerint recitandi quotidie officium parvum BMV. a 1103, eodem scilicet anno, quo nigram deponentes cucullam, albam assumserunt ex institutione S. Alberici II Abb. Cist. qui a BVirgine eam recepit.

tricis Mariae vita inclyta, mirifica dignitas, sanctitas eximia cunctas illustrat Ecclesias, regulat et informat, omnes Ecclesiae nostrae Conventuales in ipsius honorem fundentur et merito dedicentur.' Quamobrem *Ioannes Abbas* Cisterciensis in libro privilegiorum: ,Ordo ipse primus est omnium Ordinum in honorem BMV. dedicatus.' Atque ut *Gregorius X* Rom. Pontifex in quodam ait privilegio: ,Ordo noster inter ceteras Religiones singularitate devotionis gloriosae Virgini ex primaria institutione adscriptus fuit.' 5. *Quodsi de peculiari erga immaculatam eiusdem SS. Deigenitricis conceptionem pietate ac devotione ratio sit reddenda, divinitus in nostro ordine exordium habuisse facile est colligere.* Ea enim est Divinae Sapientiae oeconomia, ut quandoque altiora abscondat a sapientibus et prudentibus, et revelet ea parvulis. Unde *ex institutione B. Petri Villariensis, conversi Ordinis nostri, multis abhinc annis Conceptionis festivitas ab universo Ordine solemnissime colitur.* Quam Deiparae eiusque Filio grata sit haec solemnitas, eadem BVirgo dilecto famulo suo B. Petro Villariensi mirabili visione ostendit, relata in Chronico Villariensi. Atque inde factum est, ut cultus pietas et religio erga sacrum immac. concept. Deiparae V. mysterium altissimas in Ordine nostro fixerit radices, et maiora in dies ceperit devotionis incrementa. 6. Neque silentio est obtegendum, quod *Ordo Sanctimonialium in honorem Conceptionis BMV.* per B. Beatricem de Sylva sub instituto Cisterciensi sumsit exordium, anno scilicet 1489, quo *Innocentius VIII* Constitutione ,Inter innumera' praelaudatae Beatrici concessit, ut unum erigeret Monasterium in honorem Conceptionis BMV. eiusque Monialibus praecepit, ut omnibus diebus per annum, festis non impeditis, horas canonicas maiores de Conceptione recitarent, et ulterius horas minores et officium parvum eiusdem BM. cum antiphonis, versiculis, capitulis et orationibus de eadem Conceptione dicere deberent. Deinde vero *Iulius II* in Const. ,Ad statum prosperum' eisdem Monialibus indulsit, ut interdicti tempore Missas et divina officia die festo Conceptionis apertis ianuis et alta voce celebrari facere possent, et earum Regulam in forma specifica confirmavit: in qua inter alia haec duo praecipiuntur: a) quod recipiantur ad professionem dicendo: Ego soror N. ob

amorem et servitium D. N. I. C. et immaculatae Conc. eiusdem Genitricis voveo etc. b) quod pallium deferant hyacinthini coloris propter mysticam significationem, videlicet quod gloriosae Virginis anima a creatione sua tota facta fuit coelestis, et singularis Regis aeterni thalamus. 7. Iuxta institutam in Ecclesia Romana liturgiam *Patres* quoque *Cistercienses proprio officio immac. Conc. semper usi sunt;* in fine Litaniarum post precem ,Advocata nostra' in more iam positum est ,Regina sine labe originali concepta' adiicere palamque enunciare. Uno verbo Religiosi omnes quamdam veluti singularem erga hoc augustum mysterium profitentur venerationem, obsequium, pietatem. Cuius rei signum indubium est, quod quotannis in Vigilia Imm. Conc. omnes fere Patres et Conversi sponte sua inviolabiliter servant ieiunium, solo pane et aqua contenti. 8. Ex his aliisque religionis signis erga BVM. immaculate conceptam colligere fast est: quod, licet mellifluus Doctor *D. Bernardus* Abbas Claraevallensis, Ordinis Cist. ornamentum et gloria, *dubitative de illibato Deiparae Mariae Conceptu tum loquutus fuisse videtur, cum Lugdunensis Ecclesia consvetudinem seu disciplinam arripuit immac. Conc. festivitatem cum officio celebrandi,* quam ob causam noster Patriarcha zelo exarsit et celebrem scripsit Epistolam ad Canonicos Lugdunenses, in qua festum huiusmodi tamquam novum, patribus ignotum, et ab ecclesiastico ritu alienum improbavit: *haec tamen Epistola sicut nihil obstitit, quin multis in Ecclesiis Conceptionis Mariae festum retineretur, ita nihil efficere potuit, quominus magis in dies augeretur pietas et devotio Cisterciensium erga BVirginem immac. conceptam.* 9. Nec mirandum, B. Pater, quod ita exarserit divus noster Bernardus, ut de eiusmodi celebritate proferret, quam ,ritus ecclesiasticus nescit, ratio non probat, non commendat antiqua iraditio.' *Haec* enim *veritatis ductus amore protulisse existimandus est, quatenus inconsulta Sede Apostolica invectam videret festivitatem in Ecclesiam Lugdunensem.* Sed quo sensu talia protulerit, nostrum est elucidare. 10. *Ritus ecclesiasticus re quidem vera nostri Doctoris aetate hanc nesciebat festivitatem,* quae in Occid. Ecclesia tempore D. Anselmi AEppi Cantuar. in Anglia celebrari coepta est, ut quamplurimi S. Liturgiae Scriptores tra-

dunt; inter quos apud Benedictum XIV *Christianus Lupus* documentis ostendit traductam hanc festivitatem ex Anglia in Normanniam, inde in Gallias et ad Ecclesiam Lugdunensem; quae causa fuit S. Bernardo, quamobrem eam Epistolam scripserat, de qua supra verba fecimus. Romae vero festum hoc ait Benedictus XIV coeptum esse celebrari ab aliquibus aetate S. Bonaventurae, qui Praeses summus Ord. S. Francisci, Albanensis Eppus et Card. mortuus est a. 1274. Recte dixit celebrari ab aliquibus, quia festum immac. conc. eiusque cultus firmus ratusque habitus non fuit usque ad annum 1476, quo Sixtus IV Apost. Const. ‚Cum praeexcelsa' primus in universam Ecclesiam hanc indixit festivitatem. Cum ergo Divus noster Pater Bernardus floruerit Sec. XII, et universalis cultus Conceptionis nonnisi Sec. XV fuerit sancitus, optime asserere poterat noster Patriarcha, quod eam ritus ecclesiasticus nesciebat. 11. *Ratio non probat;* nam cum imm. conc. Virginis sit altera ex veritatibus supernaturalibus, mysteria nequeunt ratione probari, quia sunt supra rationem. Ex mente nostri Doctoris Virgo sancta esse non potuit priusquam conciperetur, cum nequiverit ante sancta esse, quam esse; sed nec in ipso Conceptionis momento id potuit: quomodo namque (pergit S. Doctor) ut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut S. Spiritui societas cum peccato fuit, aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Nisi forte quis dicat de Spiritu S. eam et non de viro conceptam fuisse: sed id hactenus inauditum. Nempe ideo noster Claraevallensis Abbas Sanctam Virginis Conceptionem inficiabatur, quia maritali complexu genita est; ex quo patet S. Doctorem de prima Virginis conceptione, quam activam dicunt, non autem de passiva seu de animationis momento esse locutum, unde Conceptionis cultum impedivit eo, quod careret obiecto. Obiectum autem, quod Ecclesia habet in celebranda festivitate, non est conceptio activa sed passiva, teste Alexandro VII in cel. Const. ‚Sollicitudo.' En igitur quomodo alius est sensus D. Bernardi, alius Ecclesiae, aliud obiectum, quod ille impugnabat, aliud quod in cultu et celebritate Conceptionis universa profitetur Ecclesia; haec primum animationis veneratur conceptum, illa ad parentum Mariae excubationem mentis aciem acuebat. 12.

Atque hic silentio non est praetereundum, quod aliud est loqui ex vi legis ordinariae et generalis praeciso quocunque privilegio, et aliud ex vi specialis privilegii ab ordinaria et generali lege excludentis. Haec praenoscere oportet, cum praelaudatus Pontifex dicat ex speciali Dei gratia et privilegio BV. Mariam a macula peccati originalis fuisse praeservatam. Quocirca sapienter observat *Bacconius:* ‚Dico, quod mox per privilegium speciale in hora conceptionis causa et necessitas contrahendi originale in Matre Dei fuit extincta; ut de iure privato illa in animatione non contraheret originale, quo notatur culpa et macula in anima, licet alibi attendens ad ius commune aliter dixerim.' *) Doctoris Bacconii adinstar si D. Bernardus Conceptionem BVMariae de lege ordinaria et communi intellexit, ratio non probat eius immunitatem a peccato originis, quia, ut inquit Apostolus, omnes in Adam peccaverunt, et secundum rationem quidquid dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento. Si vero ex vi specialis privilegii iurisve privati res se habet, ratio non probat, quia rationis captum superant quaecunque privilegia mysteriosa, sicque praestet fides supplementum rationis defectui. 13. *Neque commendat antiqua traditio,* concludit noster Patriarcha. Quare vetustiores Patres parcius hoc expresserint mysterium, rationem reddit *Fulbertus Carnotensis,* qui seculo ante Claraevallensem Abbatem floruit; prudenti usos esse cautione, cum de Mariae primordiis dissererent, contendit. 14. Vel potius cum Card. *Gotto* dicendum: non omnes veritates eodem tempore ab Ecclesia declaratas esse, sed eo tempore, quo Spiritui S. visum est. *Cum* ergo *quaestio de immac. conceptione tempore D. Bernardi ad fidem non spectaret, sicut nec adhuc definita est; cum Ecclesia nondum piam sententiam sartam tectam firmasset, eiusque cultum nondum divulgasset per universum catholicum orbem; cumque Ecclesiae Patres, quorum traditionem venerabatur noster Abbas, iis destituti essent auxiliis, quae postea accesserunt: nemini mirum esse debet, quod Bernardus*

---

*) *Bacconius* piam Conceptionis sententiam appellavit haeresim adulatoriam et nimis devotam; ast in lib. 4. Sent. q. 3. art. 3. mox retractavit, loquens de privilegio speciali Mariae collato.

zelo veritatis impulsus dixerit: ritus ecclesiasticus nescit, ratio non probat, non commendat antiqua traditio. 15. *Quodsi D. Bernardus hac nostra aetate viveret, aliter profecto res se haberet.* Sapienter enim observat *Benedictus XIV:* praecipuum scopum, quo ille intenderit, fuisse auctoritatem Ap. Sedis, qua inconsulta invectam videret festivitatem in Ecclesiam Lugdunensem; ac propterea si viveret et ad immac. Conceptionem Sedem Apost. esse intelligeret propensiorem, eiusque auctoritate in tota Ecclesia hanc peragi celebritatem videret, disciplinam hanc Romanae Sedi tantopere probatam statim amplexurum, cuius iudicio Epistolam illam subiecerat. 16. Quid ergo dixisset humillimus noster Patriarcha, si vixisset quo tempore Ecclesia Cath. sanctae ac immac. Conceptionis instituit festivitatem in eo sensu, quem expressit Alexander VII? quid, si eandem de praecepto ab omnibus servandam ex Clementis XII decreto et auctoritate audiret? Procul dubio repeteret: ‚Non fallitur Ecclesia sanctum reputans ipsius Conceptionis festum.' Hinc ven. Card. *Bellarminus* hac super re aiebat: Quodsi ipse Bernardus quaereret, unde novimus BMariam ab ipsa conceptione sanctificatam? responderem, inde nos hoc didicisse, unde ipse dicit BMariam ab ipsa Nativitate sanctam fuisse: asserit ex eo, quod Ecclesia iam tunc celebrabat B. Virginis ortum, se nihil dubitare, quin ortus ille sanctus fuerit; et nos ergo ex eo, quod Ecclesia celebrat festum Conceptionis, nihil dubitamus Conceptionem illam sanctam fuisse. 17. *Eo vel magis noster Claraevallensis a dubitativa sua recederet sententia, si sequioribus vixisset seculis, quia inter Ecclesiae Doctores non est inventus similis illi, qui maiori cum reverentia teneriorique cordis affectu Deiparam V. veneraretur.* Huius rei testimonium perhibent elegantia pietatisque plena, quae in BMariae laudem nobis scripta reliquit, quibus ipsamet Ecclesia ad concinnanda divina officia atque illustrandas ipsius festivitates saepe saepius utitur. *In* iisdem *suis operibus insuper talia noster produxit Patriarcha, ut pientissimam videatur probasse sententiam.* (Citat sub nr. 18—24. nonnulla ex opp. Bernardi, a nobis iam in Monum. Marianis relata.) 25. Nobiliores inter creaturas, quas ab initio Deus condidit inanimatas, nobiliorem certe locum sibi vindicat pretiosissima *lux,*

ütpote vel ex ipsomet sui ipsius nomine suum excellentiae splendorem sibi concilians. Prae ceteris autem praerogativis, quibus iam stipata coruscat, potissima procul dubio est, *eam esse Divinae Matris praeclarissimum typum, ita ut suo fulgore singulariter illam collustret.* Sic certo certius existimant Sacrorum interpretes. Quoniam autem Deus eodem quo lucem condidit momento laudibus eam exornavit ac divisit a tenebris: hinc sacri doctores Virginem ut mysticam lucem a culpae tenebris ab ipsamet conceptione segregatam autumant. 26. Unus et alter prae omnibus valeat rem confirmare: Divus scilicet *Hieronymus* et D. *Ferrerius Vincentius;* quorum primus Psalmi 77 verba ‚et deduxit eos in nube diei' commentans, asserit: Aut certe nubem levem debemus S. Mariam accipere nullo humano semine praegravatam; ecce Dominus venit in Aegyptum seculi illius super nubem levem Virginem, et deduxit eos in nube diei, nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce. Expressius S. Vincentius disserens de Nativ. Virg. ait: Lux dicitur benedicta illa generatio V. Mariae, quia sine tenebris culpae facta est. 27. Verum altiora inde petentes, praeclara de luce encomia congeramus, ut ea Mariae tamquam luci mysticae aptemus. Est lux, inquit *Pererius,* generale principaleque instrumentum causarum coelestium, quo vis omnis siderum, omnis defluxus et effectus ad nos defertur, ex quo uno fit in hoc nostrate mundo, quidquid a coelo fit. Cum ergo *Maria* sit *mystica lux,* est item proculdubio generale principaleque instrumentum mysticum, quo omnis gratia omnisque spiritualis influxus omneque donum perfectum coelitus ad nos descendit a Patre luminum. Quocirca recte aiebat *S. Bernardus:* Si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Haec enim voluntas Domini est, totum habere nos voluit per Mariam. Atqui *repugnat sane, lucem Marialem ad id muneris electam et ab aeterno praeelectam a Deo, suum amittere potuisse splendorem in Adam,* et sic suum ‚esse lucis' perdidisse, culpam vel minimam contrahendo, et producendo tenebris maculae originalis obvolutam, et sic ineptam ad tale munus a Deo praefixum. 28. Ex ipsa lucis natura plene roborari potest haec veritas. Lux est exclusivum formale tene-

brarum, quae sunt formalis carentia lucis, adeo ut cum dicitur, quod Deus divisit lucem a tenebris, non sit ita intelligendum, ut lux iam prius facta fuerit permixta tenebris, atque ab his postmodum segregata, ex quo inferre possimus, mysticam lucem Mariam adhuc ut lucem subiisse prius in Adam tenebras, ac teterrimam inde imbibisse incurrendae maculae caliginem, deinde vero ab eiusmodi stygio amictu denudatam. Quocirca ait *D. Augustinus:* ‚Quisquam non est qui sic aestimet lucem factam ut esset confusa cum tenebris, et ob hoc postea separatione indigeret; sed eo ipso quod lux facta est, consecuta est divisio inter lucem et tenebras; quae enim societas lucis cum tenebris? Deus ergo divisit inter lucem et tenebras, qui lucem fecit, cuius absentia tenebrae vocantur.' Igitur BVMaria, utpote praeordinata ut esset mystica lux, nata est propellere spirituales quascunque tenebras, ita ut nequeat ab eis non esse divisa; quod certe non sic contingeret, si peccasset in Adam, tartareumque tetricae maculae originalis peccatum in generatione traxisset. 29. His potissimum argumentis, B. Pater, aliisque non minoris ponderis, quae modo referre non vacat, usus semper est supplex Sanctitatis tuae orator, quotiescunque purissimam Mariae Conceptionem fidelibus praedicare et explanare sibi datum est: quod nedum pium sed et laudabile propositum esse ad eiusdem BVirginis laudem et honorem asserit Sixtus V in Constitutione ‚Ineffabilis.' (1588.) 30. Neque in nostro Cist. Ordine praeter D. Bernardum defuere unquam viri ingenio virtute pietate doctrina praestantes, qui vel ipsum D. Bernardum ab imposita sibi sententia vindicarunt, vel doctis ac laboriosis scriptis immac. conceptionis veritatem viriliter propugnarunt. (Citat nr. 30—32. plures Scriptores, quos suis locis in Literatura recensuimus.) — 33. Atque haec sufficiant munumenta, B. Pater, quae in medium afferri constituta sunt, ut Sanct. tuae significem, Cisterciensium Ordinem pios semper habuisse imm. conc. propugnatores, nullumque fuisse, qui aperte et animo pravo eidem fuerit adversatus, praesertim post divulgatum in Ecclesia universa ipsius cultum ac festivitatem, in qua magis magisque solidanda plurimum insudavit clarissimus nostri Ordinis Abbas *Hilarion Rancati.* Hunc igitur inter et D. Bernardum liceat

modo levem instituere comparationem. Ex epistola unius Abbatis Cist. nempe Bernardi Claraevallensis quamplurimi occasionem arripuerunt, ut immac. BV. conc. inficiarentur: ex Alexandri VII Constitutione ab altero eiusdem Ordinis Abbate Hilarione Rancati elaborata eadem veritas adeo firma rata, sarta tectaque evasit, ut nullum amplius de mysterio nostro absque temeritate posset exurgere dubium. Per D. Bernardi opinionem exortae sunt inter theologos controversiae: per Hilarionis doctrinam penitus prohibitae atque eliminatae fuere. Haec est Ordinis Cisterciensium laus, gloria, nomen. 34. Esto tamen, sed non concesso, quod D. Bernardus aliive Ordinis nostri viri dubitative de hoc mysterio loquuti essent: *eorum sententiae nihil sanctitati officere debent, quominus Ecclesia dogmaticam tam secure quam expedite in ipsius sacri mysterii favorem emittat definitionem*; quemadmodum adversa D. Bernardi aliorumque doctorum opinio nulli obici fuit Canonicis Lugdunensibus ad retinendam Conceptionis festi celebritatem, nec Sixto IV ad instituendum probandumque in universa Ecclesia ipsius cultum, nec Alexandro VII aliisque RR. Pontificibus ad tuendam et vindicandam, milleque modis fovendam fidelium pietatem et devotionem erga BVM. immaculate conceptam; nec Sanctitati tuae impedimento esse debet ad decisionem solemnem nostri mysterii ab omnibus exoptatam accelerandam. 35. Ut vero res exemplo firmetur, quid obstitit assertio S. Cypriani ceterorumque Epporum, qui in Concilio Carthaginensi collatum ab haereticis baptisma reiiciebant? Nihil profecto. Stephanus I enim traditionis de non reiterando baptismate assertor et vindex valere haereticorum baptismum summa cum laude decrevit. Sicut ergo Stephanus Papa S. Cypriani aliorumque assertis minime acquievit, ita pariter optime valet Sanctitas tua solemni decernere iudicio, BVMariam absque ulla originis labe fuisse procreatam. 36. Quantopere cordi sit Sanct. tuae haec ab omnibus optata definitio, mirifice declarant atque demonstrant Encyclicae literae, quas de hoc argumento dedit ad omnes totius orbis catholici Sacrorum Antistites die 2 Febr. 1849 in Civitate Caietae, unde palam enunciare dignata est: vel ab ipso supremi sui Pontificatus exordio summa quidem alacritate in tanti mo-

menti negotium curas cogitationesque convertisse. Hinc in bonam spem erecti omnes fere fideles sibi svadent, ex pientissimo Sanct. tuae desiderio immaculatam conceptionem BMV. plenam quantocius victoriam reportaturam. 37. Verum licet res tota a Patre luminum pendeat, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suae: *Patres Cistercienses in ea sunt sententia, multiplices et quidem praesentissimae adesse rationes, quibus tandem a Sanct. tua solemni decernatur iudicio imm. Conceptio BMV.* Has significare non abs re esse putant. Ad eum certe modum, quo noster mellifluus Parens Bernardus pro XII Stellis, quibus mulierem Apocalypseos vidit Ioannes coronatam, duodecim Mariae praerogativas interpretatus est: *coniicere lubet XII motiva seu rationes,* veluti totidem stellas Sanct. tuae mentem illuminaturas, tuumque animum excitaturas, ad dogmaticam hoc super mysterio sententiam solemniter proferendam. 38. Salvo itaque iudicio sanius sapientium, si visum fuerit Spiritui S. ac Beatitudini tuae, tam eximium tamquam singulare Deiparae privilegium Pontificio decreto roborare, *nobis persvasissimum est, solemnem ipsius definitionem plurimum conferre ad sequentia bona habenda:* a) *Ad firmandum honorandumque primum redemtionis nostrae pignus:* — quod tum primum haberi coepit, cum Deipara Maria concepta fuit, iuxta Bellarminum; cum de fide sit, nos pretioso Christi sangvine esse redemtos, eiusque sangvinem sangvinem esse Mariae, cur hoc primum redemtionis pignus non est ex fide honorandum? Haec ratio sufficeret, ut Conceptio Virginis ex fide definiatur. 39—41. b) Cederet pontificium decretum *in grati animi argumentum.* BVMaria potentissimo suo apud Deum patrocinio turbulentissimas malorum procellas, quibus percusso Pastore ovibusque dispersis Ap. Sedes tribus abhinc annis iactabatur, proculdubio compescuit atque dissipavit. Ob tam singulare beneficium gratus quisque fidelis, ac potissimum Sanctitas tua Mariae esse tenetur. 42. c) *Ad ulteriora vitanda divinae iracundiae flagella.* Inter Christum et Ecclesiam constituta Maria, ut tradit S. Bernardus, ac tota svavis et plena gratiarum, christianum populum a maximis quibusque calamitatibus, omniumque hostium insidiis et impetu semper eripuit, atque ab interitu vindicavit. Haec in posterum potiori iure

speranda sunt, si talis ei decernatur honor. 43. d) *Ad maiorem Dei gloriam laudem et honorem.* Passim ab Ecclesiae Patribus BVMaria nuncupatur Dei filia, sponsa, parens. Ex quo solemniter decernetur, Mariam ab originali labe praeservatam fuisse, nemo inficias ibit maiorem Deo tribui honorem. 44. 45. e) *In maiorem B Virginis laudem et excellentiam.* Magis enim laudari Deiparam, dum a peccato originali praeservata praedicatur, quam dum aliae praerogativae aut gratiae gratis datae recensentur, in dubium revocari nequit: quia quod B. Virgo neque per momentum privata fuerit gratia sanctificante, per quam constituitur filia Dei, divinaeque fit consors naturae, maius illius bonum est, quam multae praerogativae et gratiae gratis datae, quae in eadem fuerunt. 46. f) *In Catholicae Religionis triumphum.* Quo validius et acrius Religionis hostes student nefaria struere consilia atque perficere, eo magis Beatissimae Parentis Mariae ope et praesidio indigemus, quod valde sperandum est, si totam nostrae fiduciae rationem in Maria ponamus, eamque in suo conceptu immaculatam exoremus, credamus et veneremur. 47. 48. g) *Pro solidanda Ecclesiae pace.* Beneficium hoc ex praecedenti tamquam corollarium sequitur. Destructis enim adversitatibus et erroribus Ecclesia non potest quin Deo secura serviat libertate. 49—52. h) *Ad solidiorem veritatis illibatae Conceptionis firmitatem.* Nam propositiones de fide longe maiorem habent certitudinem, quam principia aliarum scientiarum lumine naturali comparata, quia Dei auctoritate et revelatione nituntur, qui nec falli nec fallere potest. Neque audiendi sunt, qui opinantur tempus modo opportunum non esse ad eiusmodi proferendum Apost. decretum, ne inde excitentur discordiae et turbae. Hi enim vel tepida laborant devotione erga immac. V. Conceptionem, vel parum sunt veritatis amantes, vel parum confidenter de Dei providentia erga Ecclesiam eiusque gubernationem sentiunt, adversus quam portae inferi haud unquam sunt praevaliturae. — Neque pertimescendum, ex dogmatica definitione ullum impendere periculum, quatenus discordiae excitentur ac turbae, aut quidquam dedecoris obveniat DD. Bernardo, Thomae, aliisve Sanctis et doctoribus, qui dubitative vel contrarie de hoc mysterio locuti sunt. Eousque enim progressi sunt RR.

Pontifices, ut teste Urbano VIII nihil aliud peragendum remaneret in causa immac. conceptionis, nisi quaestionem definire, vel aequipollentia definitioni statuere (1627.). Eandem causam aequipollenti definitione statuisse videtur Alexander VII. — Hisce stantibus seriae contentioni locus vix esse potest. Quinimo et hoc affirmari potest, definitionem istam DD. Bernardo, Thomae, aliisque omnibus de ea pie olim dubitantibus Doctoribus gratissimam fore, quippe qui omnes sanctum Virginis Natalem crediderunt et confessi sunt: Natalis autem sanctitas cum sanctitate Conceptionis adeo necessario connectitur, ut ab illa pendere existimetur. 53—58. i) *Ad olstruendum os loquentium iniqua.* Ea est catholicarum veritatum vis et proprietas, ut, antequam ex infallibili Sedis Ap. Cathedra dogmatice definiantur, cuilibet datum sit absque haerescos nota adversus eas scribere, post Ecclesiae definitionem vero nemini amplius liceat illas impugnare, nisi velit tamquam haereticus haberi. Semel itaque constabilita dogmatica super illibato BMV. conceptu definitione obstruetur os eorum, qui Mariae sanctitatem ab ipso temporali suo exordio evertere tentarent; quemadmodum olim obstructum fuit os *Nestorii* divinam Mariae Maternitatem inficiantis, *Cerinthi* et *Ebionis* Christum ex Iosephi cum B. Virgine congressu genitum fuisse docentium, *Ioviniani* Deiparam in partu integritatem amisisse asserentis, atque *Helvidii* ipsam post Christi partum ex Ioscpho liberos suscepisse blaterantis. Ideo tamen improperandi non sunt Divi *Bernardus, Thomas,* aliique, qui sacro nostro mysterio contraire visi sunt; sicut nec D. Cyprianus aliique Eppi Africani rebaptisantium errorem propugnantes inculpati fuerunt, utpote quia ante definitionem Ecclesiae suas protulerunt sententias. Verum si qui opinarentur, ob SS. Bernardi et Thomae auctoritatem non posse rem ab Apost. Sede dogmatice decerni, in quanto versarentur errore, ex ipso *Angelico Praeceptore* deducitur, haec nos docente: ‚Maximam habet auctoritatem Ecclesiae consvetudo, quae semper est in omnibus aemulanda, quia et ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunque Doctoris.‘ Nec quidquam officit, quod

alii ducti a generalibus S. Scripturae dictionibus, quae neminem ab originali culpa excipiunt, asserant, immac. conceptionem non posse tamquam fidei articulum definiri, cum non sit veritas a Deo revelata. Huic etiam difficultati facile occurritur, si attento perpendatur animo, non obstantibus generalibus Scripturae dictionibus, quae neminem a peccato originis excipiunt, cum iis constare veritatem imm. conc. BMV. Quod enim ab iis excipienda sit Deipara, ex una parte non asseritur gratis, sed omnium rationum pondere ex Scripturis, Patribus, cultu Ecclesiae etc. ex altera vero parte utique earum locutionum veritas ad literam servatur, excipiendo ab iis BVirginem, quia et veritas constat propositionum illarum aeque generalium quoad peccata actualia, (Non est homo qui non peccet, — in multis offendimus omnes —) etsi ab iis excipiendam esse Deiparam teneat Ecclesia. Neque tandem ad alicuius articuli definitionem necessario requiritur, ut hic in Verbo Dei scripto aut tradito expresse contineatur: sed sufficit, ut in illo veluti obvolutus saltem delitescat, atque implicite, ut dici solet, reperiatur. Hinc quod ad rem nostram spectat, ex fide est, Ecclesiam columnam esse et firmamentum veritatis, quae Spiritus S. Numine afflata eiusque praesenti tutela atque auxilio protecta falli in iis omnibus nequit, quae ad fidem et religionem christianam spectant. Inter eiusmodi recensetur cultus Sanctorum, in quo decernendo nequit Ecclesia in errorem induci. Porro evidens est evidentia facti in tota Ecclesia pervulgati, Conceptionis festum primum in Ecclesiis non paucis celebratum fuisse, Romanis Pontificibus id tacite saltem probantibus; deinde vero in universa Ecclesia ex eorumdem Summorum Pontificum institutione et praecepto, idque iam aliquot abhinc seculis. Rursus obiectum huius cultus ex mente Ecclesiae, quam Romani Pontifices fidelibus aperuere, semper fuit praeservatio Deiparae V. a peccato originali, quo temporis puncto anima eius corpusculo adhaesit. Cum igitur certum sit certitudine fidei, Ecclesiam errare non posse in decernendo cultu SS. ac certa sit praeterea ex evidentia facti immaculatae conceptionis celebratio in Ecclesia Catholica, sequitur: propositionem, qua asseritur immunitas Deiparae ab omni peccati labe in sua conceptione, implicite seu virtualiter habendam

esse tamquam divinitus revelatam, ac proinde proxime definibilem, quin ultra opus sit examine aut novi Concilii convocatione, uti contendunt huius definitionis adversarii. Eapropter licet Ecclesia mysterium nondum definierit, bene potest tamen de fide teneri, ut tradit *S. Ligorius:* ‚Nam bene possumus credere de fide sententias illas, quas probabile est de fide esse: dicit enim D. Thomas, quod credere possumus de fide non solum ea quae habemus per fidem, sed etiam quae percipimus per conclusiones theologicas.‘ 59—64. k) *Ad satisfaciendum votis et sollicitudini Ecclesiae Pastorum.* Ex suffragiis Pastorum Ecclesiae auctoritate Summi Pontificis firmatis tam infallibile coalescit iudicium, tamque solida mysterii firmitas, qua maior in terris haberi nequit. Quodsi unus vel alter Epporum a favorabili voto dissenserit, id minime obesse potest dogmaticae ferendae sententiae. Sat enim superque est, ut suffragiorum accedat pluralitas, ex sententia *Benedicti XIV* aientis: ‚Quodsi, cum de fidei articulis definiendis agitur, praevalet suffragiorum pluralitas, Summus Pontifex prudenter agere dicitur, si maiori adhaereat suffragiorum parti.‘ Cuius rationem reddit ipse: ‚Maior enim pars gravior praesumitur; — porro dictum affirmantis longe maius robur habet, quam dubitantis.‘ 65—67. l) *In Christifidelium iucunditatem atque in incrementum devotionis erga BVMariam.* Quam vetus et quam unanimis sit fidelium pietas, qua BVirginem venerantur in primo suae existentiae momento absque macula originalis peccati conceptam, luculenter tradidit Alexander VII in Const. ‚Sollicitudo omnium Ecclesiarum.‘ Hac pene mirabili fidelium svasione et consensione permota est ipsa Sedes Apostolica ad tuendam pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi BVirginem, praeveniente Spiritus S. gratia a peccato originali praeservatam. Haec ipsa pietas, quae in dies semper aucta fuit atque proclamata, proculdubio effecit, ut *Monasteria et Confraternitates in Conceptionis Immaculatae honorem* erigerentur, adeo ut accedentibus quoque Ordinibus Religiosis ac plerisque celebrioribus Academiis, Catholici omnes eam complectantur. Hac fidelium pietate et consensione permotos sese fatentur et ipsi S. Theologiae Doctores. Quae cum ita sint, cuinam quaeso iucunda non erit dogmatica Conceptionis defi-

nitio? Florentissimae Academiae iureiurando hoc propugnant atque roborant mysterium: viri sapientes doctis ac laboriosis scriptis illud illustrant, atque evincunt esse proxime definibile: Ordines Religiosi eiusmodi definitionem ab Ap. Sede certatim postularunt et postulant. Id ipsum non pauci efflagitarunt Reges ac Principes catholici, quibus pro eo, quo Deiparam prosequuntur, obsequio nihil hac, quam inhiant, dogmatica definitione gratius, nihil iucundius, nihil opportunius potest contingere. Quantopere populorum animos illibatus Deiparae conceptus afficiat, non est cur pluribus exponatur. Unde dogmaticum, de quo disserimus, decretum communi singulorum Ordinum sive classium personarum gratulatione ac laetitia exceptum iri omnibus persvasissimum est. Ex quo certe fiet, ut in tanta temporum iniquitate ardentissima reviviscat pietas et devotio erga BVirginem immaculate conceptam, atque in dies per universum orbem augeatur. — Si Deiparae decus tam eximium tamque singulare Apostolico solidetur decreto, Patres Cistercienses persvasissimum habent fore, ut omnium pectora vehementissimo illius amore incendantur atque inflammentur; eaque morum conversio, Ecclesiae pax, mundi tranquillitas sit consequutura, quam sola experientia docere atque confirmare valebit. Quidquid tamen alii sentiant adversus proximam hanc definitionem, Cisterciensium Ordo in ea est sententia, aetatem hanc nostram esse rei definiendae opportunam, atque Sanctitati D. N. Pii IX feliciter regnantis divinitus servatam. 68. 69. m) *Ad obsecundandum divinae voluntatis decretis.* Deum autem decrevisse, in aliqua temporis differentia immaculatam SS. suae Genitricis Conceptionem solemniter definitum iri, ex Revelationibus S. Birgittae factis et non semel ab Ap. Sede approbatis aperte colligitur. Tempus vero praeordinatum Pontificatui Sanct. tuae esse coelitus servatum ex eo coniicere fas est, quod hactenus nullus Rom. Pontificum Deo ita disponente sibi proposuerit, tamquam fidei articulum eam definire. Atque e converso Sanct. tua vel ab ipso Summi Pontificatus exordio summa quidem alacritate in tanti momenti negotium curas cogitationesque serio convertit. O gratam etiam famam ante definitionem de studio, de consiliis! Macte igitur animo, B. Pater, incoeptum perfice opus. Non sine arcano Divinae

Providentiae consilio ad sublimem Apost. Cathedram Sanctitas tua proculdubio ad hoc potissimum evecta esse videtur, ut studium et consilia iniret ad tam eximium, tam singulare, tam augustum Mariae privilegium propugnandum, roborandum, decernendum. Collatis itaque totius orbis catholici sacrorum Antistitum suffragiis, spes omnis in Te est. Inhiant omnes ex ore tuo tamquam Christi in terris Vicarii audire, quae olim Deus protulit verba: ‚Beati oculi, qui vident quae vos videtis; multi Prophetae et Reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae vos auditis, et non audierunt.' Et sane quot Reges, quot Principes catholici, quot Sacri Antistites, quot Religiosorum Ordinum Praesules, quot florentissimae Universitates, quot Christifideles elapsis seculis in votis habuerunt, solemnem, quam hodie expectamus, audire definitionem, et non audierunt! Testes sint Hispaniarum Reges Philippus III et IV, qui ad Paulum V, Gregorium XV, Urbanum VIII, et Alexandrum VII missis extraordinariis Oratoribus vehementer flagitarunt, ut ad controversias dirimendas extrema huius dogmatis definitio solemniter proferretur. Hanc vero minime consequi potuerunt, quia nondum pervenerat praeordinatum a Deo tempus, quo summus erga hoc mysterium zelus ab aliquo ostenderetur, et veritas conceptionis plenimode elucesceret. 70. Atque hae duodecim sunt potissimae rationes, quibus Patres Cistercienses fulciuntur, ut a Sanct. tua postremum sacri, de quo agitur, mysterii iudicium enixe deposcant. Alias leviores de industria missas facimus. Illud vero pro coronide ex serio animo profitendum, nihil in hac recensione ab humillimo Oratore depromtum eo studio, ut Sanct. Tuam quidquam edoceret, dum tibi a Christo Domino datum sit docere omnes gentes, non doceri, ut in fide confirmes fratres tuos. Haec autem eo tantum animo depromta sumto, ut Sanct. tuae significaretur, erga immaculatam et supra quam dici potest ab originali culpa mundissimam Virginis Deiparae Conceptionem quanta sit pietate et devotione animatus Cisterciensium Ordo, in quo non defuere praeclarissimi viri, qui argumentum hoc laboriosis scriptis doctrinae copia refertis pro viribus elucidarunt. 71. Ad Apostolicum vero hac super re promendum decretum *nihil obesse* arbitrantur *dubitativam D. Ber-*

nardi sententiam, qui non tam conceptionis veritatem impugnare, quam Lugdunensium Canonicorum praematuritatem, inconsulta Sede Apost. novum inducendo cultum obiurgare visus est; quique si hodie viveret, suos mutaret sensus, quos Ap. Sedis iudicio humillime subiecit. Hac permoti rei veritate Cistercienses nihil potius, nihil iucundius, nihil antiquius in votis habent, quam quod in praesentiarum toto cordis affectu expostulant, nimirum ut Sanct. tua veluti Cath. Ecclesiae dogma definire dignetur, BVirginis conceptum illibatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae macula immunem. 72. Interea quisque nostrum humiles fervidasque Advocatae et Protectrici Ordinis nostri, tamquam mysticae luci, BMariae preces effundere perseverabit, ne Sanct. tua avertat oculos a fulgoribus huius sideris. ‚Ipsa enim, ut inquit noster Claraevallensis, est illa Stella ex Iacob orta, cuius radius universum orbem illuminat, cuius splendor et praefulget in supernis et inferos penetrat, terras etiam perlustrans; ipsa inquam est praeclara et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis.‘ Quaecunque sint tua, B. Pater, studia et consilia suscepta, ne avertas oculos a fulgoribus huius sideris, si vis coelestis gratiae Dei lumine mentem tuam collustrari, quo clare ac distincte cognoscere ac peragere valeas, quae tum ad maiorem Divini Numinis gloriam, tum BVirginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem plurimum conferre poterunt. Ut vero nequam scintilla vel minimi dubii ad rem quantocius finiendam relinquatur, respice Stellam, voca Mariam. In dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia ad illud assequendum pervenies studium, quod vehementer expectat totus Cisterciensium Ordo, idque cum multis. Quas igitur vel ab ipso supremi tui Pontificatus exordio tanta cum alacritate in hoc mysterium cogitationes serio convertisti, in illas curam impende B. Pater. Quod si erit factum, et Ecclesiam hoc divino beneficio afficies, et ipse aeternam gloriam consequeris. — Romae, 1 Iul. 1852.

1264. **Congregatio SS. Redemtoris Romae.** — Congregatio SS. Redemtoris trans Alpes posita minima quidem est inter religiosas familias et iunior filia S. Matris Ecclesiae, attamen in cultu BV. et in humili obsequio Sedi Ap. praestando minime cum infimo loco contenta est, cum et Constitutiones nostrae specialem erga Divinam Matrem amorem et singularem obedientiam erga S. Sedem a nobis efflagitent. Non dedignabitur igitur Sanct. Vestra preces, quas nomine totius Congr. SS. Redemtoris trans Alpes positae hisce expono, benigne suscipere et vota intendere, quibus omnes movemur, ut scilicet tandem per S. Sedis Ap. infallibile oraculum dogmatice definiatur, BV. sine labe originali esse conceptam. Liceat autem mihi paucis exponere motiva, quae nos ad talem rogationem impulerint. 1. *S. Pater noster Alphonsus* cum maximo ardore imm. Conc. BV. coluit et in celebri libro, quem de gloriis BMariae inscripsit, tam pie quam docte propugnavit. *Ordinavit* insuper *in Constitutionibus, quas in Capitulo Generali a. 1764 celebrato condidit, ut omnes Clerici post absoluta studia votum pro tuenda imm. Conc. BMV. emitterent,* ipsamque BV. sub invocatione imm. Conc. Patronam primariam Congr. elegit, et voluit, ut dies huic titulo sacer cum summa pietate et quam maxima magnificentia celebraretur. Haec praecepta tanti Patris nos filii S. Alphonsi fideliter semper secuti sumus; tale votum nos pro tuenda imm. Conc. BMV. exultantes emittimus, scribendo et praedicando hanc doctrinam profitemur, et festum imm. Conc. in Ecclesiis nostris ubique cum summa solemnitate celebramus. 2. Cum S. Patre nostro Alphonso firmiter credimus et profitemur, *decuisse SS. Trinitatem,* praeservare BV. ab omni labe, quia ipsa ab aeterno fuerat praeordinata Mater Dei, Dei structura, Dei templum, sacrarium Spiritus S. Altera Eva debuit non minore puritate fulgere quam prima, et quae destinata fuit ad conterendum caput serpentis, non debuit, non potuit esse peccatrix. Quid igitur Spiritus S. de sponsa sua dicit: Tota pulchra es etc. hoc de BMV. dictum intelligimus, quae tunc tantum tota pulchra dicenda est, si omnino ab omni macula non solum peccati actualis sed etiam originalis immunis fuit. 3. Decuit igitur SS. Trinitatem, BVMari-

am praeservare ab originali peccato: at Deus semper operatur, quod ipsius maiestatem, sapientiam et bonitatem magis decet. Quis autem dicet, Deum non potuisse praeservare BVMariam a labe peccati originalis? — *Non dubitandum, quin etiam de facto praeservaverit.* 4. S. Mater Ecclesia festum imm. Conc. in universo orbe christiano celebrandum instituit, et eo quidem sensu celebrat, quia credit BVMariam in omni momento, quo benedicta anima eius cum corpore unita fuit, immunem fuisse a peccato originali. De hoc quidem post declarationes Sedis Apost. non amplius dubitare licet: attamen ex hoc grave argumentum exurgit pro asserenda pia sententia. S. Bernardus, S. Antoninus, aliique viri sancti et docti ex eo, quod Ecclesia festum Nativitatis BMV. celebret, argumentum sumserunt, BVirginem absque labe originali natam fuisse; nunc ex eadem ratione argumentari licet, BVirginem revera absque peccato originali conceptam esse, quia Ecclesia festum imm. Conc. celebrat; alias Ecclesia absque ratione et veritate festum hoc solemnisaret, quod sentire pias aures offendit. 5. Populi christiani in universo orbe sentiunt, Mariam sine labe originali esse conceptam, nec aliam doctrinam audierunt. Sic sentiunt quasi omnes Eppi, sic sentiunt et sentiebant doctissimi et piissimi quique homines, sic sentit Romana Ecclesia. Incredibile est, non esse verum, quod omnes verum putant. 6. *Firmiter persvasi sumus, imm. Conceptionem BV. veritatem fidei credendam definiri posse,* cum tale privilegium divinam Matrem deceat, et honor Filii Dei id expostulare videatur, cum haec doctrina et multis locis S. Scripturae et SS. Patrum testimoniis et antiqua traditione fulciatur, obiectiones vero sine difficultate solvi possint, cum insuper Ecclesia S. Catholica iuxta hunc sensum festum imm. Conc. in universo orbe celebret. 7. Insuper persvasi sumus valde convenire, si haec pia doctrina pro veritate fidei declaretur. Ex tali enim declaratione a Sede Apost. quae falli et errare nescit, emanata, honor et gloria Divae Matris multum in hominibus augeretur, quod certo gratum foret BVirgini, coelitum choris, ipsique Divinae Trinitati; imo existimamus tam gratam fore talem declarationem Divinae Maiestati et BVirgini, quod propter illam novus fons

gratiarum scaturiens et S. Ecclesiam uberrimis fructibus foecundans aperiretur. Omnes boni Christiani in his tristibus temporum circumstantiis novo solatio implerentur, spiritus superbi humiliarentur, devotio augeretur, Ecclesia laetificaretur, haeretici confunderentur, et sic fieret, quod dicit S. Mater Ecclesia de BVirgine: Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo. His igitur aliisque rationibus, quas enumerare longum est, permotus *infrascriptus — supplicat, ut per solemnem declarationem dogmatice definiatur, BVMariam sine labe originali esse conceptam.* — Romae, 2 Aug. 1853. (Subscriptus Vicarius Gen. Congr. *Rudolphus Smetana.*)

1265. **Congregatio Clericorum Regularium Romae.** Inter bene multa religionis ac pietatis opera, quibus *Congregatio Clericorum Regularium* impense studere, quaeque sedulo exercere tenetur, praecipuum certe locum obtinet *cultus peculiaris SS. Virginis Immaculatae, cuius singulare privilegium ex instituti sui ratione excolere non modo, verum etiam ubique gentium laudibus exornare ac palam facere debet.* Istud enim sacrum religionis ac pietatis depositum a Patriarcha suo Caietano excepit, qui alumnos suos eximia hac erga Immac. Virginem devotionis tessera insignitos voluit. Huc etiam spectat facultas illa Clericis Regularibus a Summis Pontificibus concessa benedicendi cum adnexis indulgentiis fidelibusque imponendi *sacrum in honorem Virginis Imm. caeruleum Scapulare,* quod Sanctimonialis Virgo Ursula Benincasa, Oblatarum ac Eremitarum a Congregatione Theatina Fundatrix, divinitus accepit, atque a suis Monialibus primo, posthac vero a Congregatione universa ingenti cum gaudio receptum fuit. Ac mirum sane est, quo studio Clerici Regulares nullo non tempore in id incubuerint, ut laudabilem erga mysterium supradictum devotionem non solum inter Europae fines, sed etiam per ipsas infidelium regiones suarum Missionum ope diffunderent, ac magis magisque augerent. Ex quo cultus B. Deiparae sub hoc speciali imm. Conc. titulo,

maximo Christianae Religionis emolumento, mirifice propagatus fuit. Huiusmodi vero cultus iam anteactis temporibus universalis propemodum in dies vel maxime succrescere visus est, quum aetate hac nostra omnes pene Cath. Ecclesiae Eppi Catholicorum omnium nomine Ap. Sedi postulationes humillimas easque ferventissimas praebuerint, ut privilegium imm. Conc. Deiparae fidei dogma infallibili Ecclesiae iudicio declaretur. Hisce itaque animadversis *Congregatio Cler. Reg. silere neutiquam poterat, quin et ipsa Ap. Sedi praecipuo quodam modo animi votum aperiret.* Capta igitur occasione, qua Romae generalia comitia haberentur, Patribus in votis fuit, ut tibi, B. Pater, enixae preces hac ipsa de re porrigerentur. Quod quidem *Congregatio unanimi consensione peragit, deprecans devotissime B. T. ut Deiparam V. Mariam originali labe semper expertem, nulloque vel minimo temporis momento daemonis imperio subditam fuisse dogmatice solemniterque definiat.* Atque eo magis in spem firmissimam erigitur, cum preces suas precibus votisque totius christiani orbis iungere ac praebere laetetur. O utinam definitio haec optatissima emittatur teterrimis hisce atque acerbissimis temporibus, quibus nefarii homines Dei non modo hostes scelestissimi, sed etiam societatis ac patriae eversores infensissimi humana simul et divina confundere satagunt, ac Dei Ecclesiam necnon ipsam Civilem Societatem funditus convellere conantur! Alias enim evenisse gaudemus, ut Cath. Ecclesia pluribus exturbata calamitatibus pace fuerit fruita, cum aliquod Virginis Deiparae privilegium solemni ac infallibili iudicio declaratum est. Ita sane sperandum, si tu B. Pater, quod Christianorum omnium votum expostulat, ad Omnipotentis Dei gloriam, Deiparae triumphum, et Ecclesiae utilitatem praesentissimo Spiritus S. adiutus auxilio implere tandem aliquando digneris. Romae, 1854. (Subscriptus Generalis Procurator Cl. Reg. *Ioseph Papardo del Parco.*)

1266. **Ordo Cartusiensis.** Vox iucunditatis et exultationis audita est in terra nostra, ac laetati sunt filii deserti, ubi ex Encyclica ad omnes Ecclesiae Praesules quin-

que fere abhinc annis data universo orbi fuit annunciatum, quid in triumphum Aug. V. Mariae, Christi Matris, Angelorum ac hominum Reginae, pararet Petri successor, eiusdem almae Virginis de imm. conceptu sententiam irreformabili oraculo mox prolaturus. A quo tempore, B. P. nobis Cartusiensibus magni Brunonis alumnis, Virginis Imm. cultoribus, nihil fuit antiquius, quam Nato ex ipsa Unigenito Dei Filio fervidas ac diuturnas preces offerre, ut a tot seculis desideratum expetitumque votum Sanctitati Vestrae tandem explere donaretur. Sed et instante huiusce faustissimi eventus die, percelebribus tantorum et illustrium Praesulum suffragiis, Ecclesiarumque singularum ac Religiosorum Ordinum testimoniis, nova si adiungere testimonia iuvaret, *perplura non deessent ex nostri Ordinis Scriptoribus desumta, queis ab antiquo ad nostros usque dies eandem nobis dimanasse fidem comprobatum foret apprime.* Ast unum inter alia decerptum B. V. haud dedignabitur, *Brunonis* enim est: ‚Haec est (V. Maria) incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni contagione peccati libera, per quam vitae viam agnovimus. Mors per Evam facta est, vita per Mariam reddita est, illa a diabolo victa est, haec diabolum ligavit ac vicit.' (Expos. Ps. 101.) Hinc avita pietate erga Immac. Deiparam perciti moderni Cartusienses, ex generalium Comitiorum votis, Officio Conc. V. Deiparae ac Litaniis Laur. titulum Immaculatae ut liceret apponere, facultatem ab hac S. Petri Sede efflagitarunt atque obtinuerunt. Quid ergo restat, Pater SS. nisi iudicium Petri, indeficiens iudicium expectemus? quid, nisi pronis precibus hocce dogmaticum iudicium iam unanimi pastorum et ovium consensu iubilo ac prece acclamatum festinemus? Erunt isti dies nobis memorabiles, in quibus magisterio Petri per os Vestrum docentis Mariam fuisse absque ulla prorsus labe peccati conceptam dicetur. Erunt et memorabiles cunctis generationibus, quia in nebulosis huiusce aevi procellis ac tempestatibus, queis fere demergimur, novum foedus inter Deum et homines hoc decreto ponetur et erit. — Ex maiori Cartusia, 30 Oct. 1854. (Subscriptus Min. Generalis Ord. *Ioannes Baptista.*)

1267. **Ordo Canonicorum Regul. Lateran. SS. Salvatoris.** Quandoquidem Canonicorum Reg. Ordo fidei virtutique Mariae Deigenitricis ex veteri lege institutoque commendatus est, eandem Virginem impensis religionis officiis colere, honoris significationibus prosequi, scriptisque editis illustrare solemne habuit. Inter ea vero, quae praecipua huic religioni ac pietati obiecta sunt, *privilegium illud excellit omnino singulare, quo Deus multiplicavit locupletare eam, et inferorum vi ac potestati imperviam et haereditariae labis prorsus expertem esse voluit. Quam profecto doctrinam Ordo idem non modo volventibus seculis professus est, sed legisltaori magistroque suo* **Augustino** *acceptam refert, sodaliumque suorum posteritati continenter tradidit.* Etenim nulli incompertum est, SS. illum Ecclesiae Doctorem Hipponensis Ecclesiae Canonicis Regulam dedisse, quam S. Gelasius I. in Lateranas aedes intulit, ubi Canonici Regulares 800 et amplius annos sunt commorati. Iamvero nullus fortasse ex Ecclesiae Patribus praestantius ac nobilius illibatissimae Deigenitrici testimonium praebuit quam Augustinus, eoque auctore ac duce usi sunt, qui SS. Patrum sententiis ac verbis eandem doctrinam in posterum explanarunt. ‚De S. V. Maria, ita S. Doctor, propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.‘ Quo in loco Reginae honorificentiam ex Regis honore, illiusque gratiam ex mensura plenitudinis Christi deducit, eius nempe, qui innocens, sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus in Virginis utero sedem suam ac thronum erat paraturus. Quae cum alibi non minus perspicue Augustinus expresserit, hinc patet sententiam illam fuisse non modo Ordini nostro traditam, sed, ut ita dicam, prorsus cognatam atque a prima origine insitam, quam neque pauci neque incelebres insequentibus seculis declararunt. Vel enim purissimum prae creaturis omnibus Mariae V. conceptum aperte diserteque docent, vel typos, adiuncta, dotes, eamque sanctitatis celsitudinem Deiparae tribuunt, quae cum polluta infe-

ctaque origine minime componi possint. Atque hic primo commemorabilis est magnus ille Toletanus Antistes *Hildephonsus*, Abbas antea Agaliensis, quem cum Ordo noster coelitibus suis adnumeret, eius quoque sententias et magni habet et profitetur. Qui cum multa de BMV. facunde admodum praedicarit, tum in eius conceptu exornando nulli secundus videtur. Successit postea egregium illud veluti Scriptorum agmen, quos *Victorinos* vocant, e monasterio S. Victoris, quod utique Ordini nostro in Gallia patebat; ibique in Virgine cohonestanda singularem diligentiam ac studia praestiterunt *Hugo*, *Richardus* alter et alter, et *Adamus* idem *Victorinus*, qui Mariam omni spina (culpae) carentem et nesciam carmine salutavit. Illustriora haec sunt Victorinorum nomina, quorum vestigiis alii neque obscuri ex ea Sodalitate institerunt, horumque omnium exemplis peculiarique erga Deiparam studio informatus est alius Canonicorum Regularium coetus in Gallia, qui in Monasterio ad maximum S. Genovefae Parisiensium Patronae templum vel superiori aetate doctrinae laudibus inclaruere. Tulit et Gallia veterem scriptorem *Idiotae* nomine vulgatissimum, *Raymundum Iordanem* Can. Reg. Uticensem, qui cum Virgini excolendae impenderet operam, hisce eam veneratur alloquiis: Tota pulchra es etc. (ut in Literatura nostra.) Inter Germanos magnus ille ac venerabilis *Gerhohus Reichersbergensis* scriptor Sec. 12 in opere, cui titulus ‚Commentarius aureus in Psalmos et Cantica ferialia' ita castissimae Virginis innocentiam admiratur, ac si vetustam presbyterorum Achaiae epistolam sibi ante animum proposuisset. Cum autem inter varios Canon. Reg. coetus Vindeshemensis Congregatio sanctimoniae laude ac monumentis praefulserit, tum erga SS. Dei Matrem sese addictam mirabilem in modum devotamque praebuit. Testimonio esse possunt et gesta et scripta, quae ab ea extant, omnique commendatione maior *Thomas a Kempis* Can. Reg. In iis, quae sive soluta sive ligata oratione Vir omnino venerabilis exaravit, propensissimis erga intactam illibatamque Virginem Scriptoribus aequari potest. Neque ab hac laude seiungendus est alius ex eodem instituto doctor eximius *Gabriel Biel*, qui in suis sermonibus aliisque scriptis

absolutissimam Mariae integritatem ac puritatem amplificat. Verum ex iis, qui vitae innocentiam cum sapientiae gloria cumularunt, nullus divinum Mariae privilegium ac munus vehementius adamavit vel praeclarius extollit, quam insigne illud totius Ecclesiae nostrique Ordinis decus *Laurentius Iustiniani* Venet. Patriarcha. In Hispania Canonicis Reg. ascensendus est *Martinus Navarrus* Iuris utriusque consultissimus, qui morum legumque disciplinis explicandis ingentem sibi apud Theologos auctoritatem comparavit. Hic vero cum pie admodum de BMV. sentiret ac scriberet, illaesam ab omni daemonis afflatu Conceptionem saepe saepius tuetur. In Lusitania Canonici Reg. qui usque ad recentiores regni illius vicissitudines effloruere, erga Mariam sine labe conceptam incensis animis ferebantur, et, ni iusta brevitatis lege prohiberemur, huiusce religionis monumenta suppeterent apud alias gentes atque provincias, in quibus Lateranenses Canonici viguere. At quod nulla oblivione intercidere debet, tam alte animis indita tamque late diffusa inter nostros sententia viro cuidam celeberrimo infixa insculptaque est, licet ipse non omnem vitae rationem veteri pietati atque instituto aequavit. *Erasmum* loquimur *Rotterodamensem,* exquisitis literis sui aevi facile principem, qui e castris Can. Reg. discedens, sententiam tamen de immaculato Mariae conceptu non dimisit, quinimo pro hac veritate decertantem Petrus Canisius e S. I. obstrepentibus undique haereticis obiicere non dubitavit. Accedit ad severiora studia Musarum svavitas, nam *Hieronymus Vida* Can. Reg. Lat. deinde Albae Eppus idemque auctor Virgiliani operis, quod ‚Christiados' inscripsit, almam Virginem nulla temeratam labe decantat. Cui alius concinit inter Italos poëtica non minus quam oratoria facultate praeditus *Gabriel Fiamma* Ep. Clodiensis, qui in opere poëtico ‚Rime spirituali' Mariam prae creaturis omnibus Christo simillimam singulari praeconio extollit. Inter scriptores superioris seculi nulla obliterabit oblivio duo illa Ecclesiae nostrique Ordinis ornamenta, quae eodem ferme tempore enituerunt, *Eusebium Amort* Pollinganum et *Ioannem Chrys. Trombelli* Bononiensem, quorum insignia erga rem christianam merita Opera immortalia testantur. Etenim Eusebius Amort theologiam univer-

sam complexus firmissima sane thesi singulare Mariae V. privilegium propugnavit petitis undique e Scripturarum sensu, ex traditione Ecclesiae, et ex ipsa theologica ratione argumentis; imo tanta illi claritate veritas haec affulget, ut vel miracula duntaxat pro ea ab Omnipotente Deo edita satis esse videantur ad dogmaticam definitionem accelerandam. Quae fuerat ipsissima Gersonis opinio. Nullus vero, quod sciamus, totam Mariae vitam copiose magis eruditeque conscripsit, quam I. Trombelli sex evulgatis eam in rem voluminibus; nullus de perpetuo Virginis SS. cultu fusius ac luculentius agit. Qui de eius Conceptu disserens argumenta, quotquot ex Patribus et Scholasticis doctoribus erui poterant, incredibili diligentia et industria depromsit, et contraria quae videbantur magna ingenii vi doctrinaeque dissolvit. Porro coaevum utrique virum addere iuvat doctrina non minus quam morum sanctitate spectabilem· *Caesarem Nicol. Bambacari* Lucensem, cuius scripta pietati fovendae quam maxime idonea fidelium animos erga SS. Deigenitricem eiusque Conceptum immaculatum mirabilem in modum excitant. Haec, B. Pater, est fides, haec pietas Ordinis nostri erga integerrimam Dei Matrem, quae non modo literis consignatae, sed scholasticis disciplinis et quotidianis apud Deum precationibus vigent: quae profecto fides ac pietas novum veluti incrementum atque ardorem accipient, si, quod catholicus efflagitat orbis, immaculatum BV. conceptum inter eas veritates, quae citra piaculum respui nequeunt, Apostolicae auctoritatis oraculo quantocius adnumeres. — 1854. (Subscripti Abbas Generalis, et Procurator Generalis: *Firminus Paternoster,* et *Ioannes Strozzi.)*

Appendix II.

nonnulla sistens documenta ad Epocham II. Sec. XIX spectantia, et ad praemissa Responsa nequaquam referenda.

1268.

Decretum S. Congr. Rituum circa novum Officium Immac. Conc. BMV. a. 1850.

Alter ex Canonicis Cathedralis L. Ecclesiae SS. Rituum Congregationem humillimis precibus adiens, eidem sequentia dubia diluenda proposuit, ut ex eorum declaratione omnis tollatur ambigendi occasio circa ea, quae in dubiis ipsis continentur: „— 2. In Officio BMV. in Sabbato et in Communi Virginum versiculus Tertiae sic legitur: ‚In tabernaculo suo habitare facit eam', ubi verbum *facit* est in tempore praesenti. In Officio vero Imm. Conc. BMV. Romae novissime edito iussu SS. D. Pii Papae IX idem verbum in praeterito est, et legitur *fecit.* Cuius disparitatis ratio ea esse potest, quod in priori casu agatur de gloria praesenti in coelo; in secundo autem agitur de statu gratiae BMV. qui in praeterito ab ipso instante Conceptionis semper extitit. Attamen in quibusdam editionibus Officii Imm. Conc. extra Romam evulgatis legitur verbum *facit,* ut in Officio in Sabbato. Ut igitur confusioni obstetur et errori, quaeritur: an in novo Officio Imm. Conc. legendum omnino sit verbum *fecit* in praeterito, ut in exemplari Romano?" — Quae quidem dubia maturo de more examine perpendens Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata, ad relationem Secretarii respondit: Ad 2-um: Standum Breviario in Responsorio de Virginibus, de quo in casu, et *editioni Romanae Officii proprii Imm. Conc. BMV. conformandas editiones eiusdem Officii extra Urbem factas,* in quibus verbum *fecit* asseritur immutatum. Romae, die 7 Sept. 1850. — **Correspondance de Rome.** Rome. 1852. Nr. 86. p. 4.

1269. 1270.

Pia Societas, cui ab Aurea Corona nomen, Immac. Conceptionis V. Mariae, a. 1852 Romae erecta, et subin per orbem propagata.

1269. **Rescriptum Praesidis Card. Vicarii in Urbe de pia hac Societate.** 1853. Benedicta sit Sancta et Immaculata Conceptio SS. Virginis Genitricis Dei Mariae! Aurea haec Corona constat ex celebratione Sacrorum, quae singulis mensibus ab uno et triginta sacerdotibus praefinito die in Deiparae honorem erunt peragenda. Hi sacerdotes divinam Hostiam Augustae Trinitati offerent in coniunctione omnium Beatorum Coelitum, qui cum Christo regnant in Coelo, et electorum, qui adhuc versantur in terra; et SS. Trinitati gratias ex animo agent eiusdem etiam Virginis nomine pro maximis innumeris ac singularibus donis, quibus ipsa SS. Virgo mirifice fuit cumulata, ac praesertim pro privilegio Immaculati eius Conceptus. Ipsam vero gratiae et misericordiae Matrem enixis fervidisque precibus exorabunt pro praesentibus Catholicae Ecclesiae indigentiis, pro peccatorum conversione iuxta mentem Summi Romani Pontificis. Quum aliquis Sacerdos nequiverit Sacrum ea die agere, quam sibi elegerit, Sacrum idem vel alia die obire, vel illud alii Sacerdoti celebrandum committere poterit. Tanta fuit Sacrorum Antistitum erga Immac. Deigenitricem V. Mariam, omniumque nostrum amantissimam Matrem atque Patronam pietas et studium, ut hoc vertente anno 1853 eidem piae Societati tot adscripti fuerint sacerdotes, ut in universo cath. orbe singulis diebus mille et ultra Sacra iam celebrentur ob expositas causas. Hinc iidem Eppi ardentiori usque zelo animati humillimis precibus a SS. D. N. Pio Papa IX efflagitarunt, ut eiusdem Societatis perpetuitati prospicere, eamque idcirco canonice erigere vellet. Itaque idem Summus Pontifex pientissimis eorumdem Antistitum votis ac postulationibus quam libentissime obsecundans, Rescripto die 11 Sept. l. a. 1853 propria sua manu exarato Societatem ipsam in templo Romani Cleri Mariae S. Paciferae huius Urbis perpetuo instituit, erexit, eamque Sacris Indulgentiis

inferius expressis ditavit, seque eiusdem Societatis Patronum declaravit, atque eidem Cardinalem in Urbe Vicarium Praesidem praefecit. Quapropter infrascriptus Cardinalis Vicarius eiusmodi munere insignitus ea profecto spe nititur, fore, ut Sacrorum Antistites pro egregia eorum religione et zelo vel facile in propriis dioecesibus congruum sacerdotum numerum reperire possint, qui ullo absque emolumento eadem Sacra in Immaculatae Deiparae V. honorem celebrare laetentur. Ac propterea Cardinalis Vicarius eosdem Sacrorum Antistites vehementer obsecrat, ut gregem sibi commissum Parochorum praesertim opera ad hanc rem hortari studeant, ac simul Virgines Deo Sacras in eorum dioecesibus degentes per proprios conscientiae moderatores ac pietatis magistros excitent ad Sacram Synaxin peragendam ob commemoratas causas. Siquidem SS. Deigenitrix Imm. V. Maria potentissimo suo apud Deum patrocinio tegere ac tueri non desinet suos cultores, qui inter cetera atque admiranda eius privilegia Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem tantopere ei gratam venerari et celebrare gloriantur. Idem autem Card. Vicarius unumquemque Sacrorum Antistitem orat, ut Centrali Piae Societati Romae degenti significare velit Coronarum numerum et Sociorum propriae dioecesis, quo in generales tabulas, vulgo ‚Registro' referantur, ac Summo Pontifici, Piae Societatis Patrono, manifestentur. — Religiosae Familiae hac eadem de causa communicabunt cum suis Provincialibus et hi cum propriis Generalibus Moderatoribus. — Summus Pontifex Pius IX, huiusce Piae Societatis Patronus, Rescripto die 23 Oct. 1853 edito sequentes Indulgentias benigne est largitus, scilicet: cuique sacerdoti in hanc piam Societatem cooptato concessit plenariam Indulgentiam semel in mense lucrandam, et Altare personale privilegio donatum semel in hebdomada ad libitum; iis autem, quae in claustro degunt, concessit indulgentiam 300 dierum, quoties S. Synaxin agent et pias ad Deum preces effuderint pro enunciatis causis, ex mente eiusdem Summi Pontificis; item laicis utriusque sexus fidelibus concessit indulgentiam pariter 300 dierum, quoties sacramentali absolutione expiati et sacra communione refecti oraverint ut supra; quatuor autem praecipuis festivis diebus SS. Virgini sacris,

nempe diebus Imm. Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, et Assumtionis eiusdem Virginis, concedit omnibus utriusque sexus fidelibus (praeter sodales) plenariam indulgentiam, ea tamen lege, ut Sacramentali Confessione peracta et Eucharistiae Sacramento suscepto, preces ob supra expositas causas Deo adhibeant iuxta mentem Summi Romani Pontificis, et visitent templum festis illis diebus ab Eppis designandum, vel infra earum festivitatum Octavas, ubi erecta sit haec pia Societas, ita tamen, ut iidem Eppi possint in eorum dioecesibus alia templa designare, ubi existant, qui eorum nomen huic Societati dederint; denique concessit, ut omnes commemoratae Indulgentiae per modum suffragii applicari possint animabus in Purgatorio existentibus; Parochi vero pro eorum pietate populum sibi commissum in explicando praesertim Evangelio opportune moneant, antequam praedictae festivitates recurrant, ut enunciatas Indulgentias lucrari queat. — Romae, die 21 Nov. 1853. *C. Card. Patrizi,* Ep. Alban. Sanct. Suae Vicarius in Urbe et Piae Societatis Praeses. — *Luquet,* Ep. Hesebonensis, Secr. Gen. eiusdem Societatis.

1270. **Sacrae Oblationes pretiosissimi Sangvinis D. N. I. C. pro gratiarum actione ob dona et favores, quibus ditata fuit SS. V. Maria Mater Dei praesertim in sua Immac. Conceptione; per sodales Piae Societatis ab Aurea Corona dicendae.** 1854. Aeterne, clementissime *Pater,* tibi offero pretiosissimum Sangvinem D. N. I. C. in unione ac nomine Beatissimae et Immaculatae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum in coelis, omniumque electorum in terris, in gratiis agendis propter omnia bona et dona, quibus ditasti tuam obedientissimam Filiam, praecipue autem in sua Immaculata Conceptione. Offero tibi etiam illum pretiosissimum Sangvinem pro conversione peccatorum, pro exaltatione et propagatione SS. Ecclesiae, pro conservatione et prosperitate Summi Romani Pontificis, et secundum illius mentem. Gloria Patri etc. — *Verbum* aeternum et incarnatum, Tibi offero pretiosissimum tuum Sangvinem in unione ac nomine etc. (ut supra) — in gratiarum actione ob omnia ea bona et dona, quibus cumulasti tuam tibi addictissimam Ma-

trem, praesertim vero in sua Imm. Conc. etc. (ut supra). Gloria Patri etc. — Aeterne *Spiritus S.* Deus, tibi offero pretiosissimum Sangvinem Iesu Christi in unione etc. (ut supra) — ob omnia ea bona et dona, quibus ditasti tuam fidelissimam Sponsam, potissimum autem in sua Imm. Conc. etc. (ut supra). — Gloria Patri etc. — *Mater Dei, o Immaculata, o Sanctissima Virgo Maria!* per tuum erga Deum amorem, et per tuam gratitudinem pro tantis gratiis et favoribus, quibus ditata fuisti, specialiter pro singularissima illa gratia tuae Immac. Conceptionis, ac per infinita Iesu Christi Filii tui divini et Domini nostri merita te supplices rogamus et obsecramus, ut des nobis erga te semper perfectam et constantem devotionem, et ut plenam collocemus fiduciam obtinendi potentissimo tuo patrocinio omnes illas gratias, quibus tantopere indigemus. Itaque iam nunc pro certo habentes consequuturos nos esse gratias ipsas ab immensa tua bonitate, cum gratissimo aeque ac laetissimo corde te veneramur, illam repetentes salutationem, qua te Archangelus Gabriel est alloquutus: Ave Maria etc. — (Sanctitas Sua D. N. Pius Papa IX feliciter regnans decreto die 18 Iunii 1854 propria manu exarato benigne concessit SS. Indulgentias 300 dierum cuique fideli, quoties dictas Oblationes semel recitaverit; et illi, qui in recitatione earum per unum mensem, praevia S. Confessione et Communione, continuaverit, Indulgentiam plenariam; quae SS. Indulgentiae etiam applicari poterunt animabus fidelium defunctorum.)

1271.

Syn. dioec. Philadelphiensis IV. de imm. Conc. a. 1853.

— 2. Cum *Beatissima V. Maria* sub titulo *Immaculatae Conceptionis* rogantibus Patribus Conc. Baltimorensis III principalis *Patrona* Ecclesiae Cath. in foederatis nostris Statibus a Summo Pontifice concessa sit, et ideo a fidelibus nostrae curae concreditis speciali veneratione et cultu veneranda sit: commendamus ad normam statuti Dioec. Baltimorensis a. 1791

habiti, ut diebus Dominicis et Festis de praecepto ante Missam principalem cantentur *Litaniae Lauretanae,* addita loco suo invocatione: ‚Regina sine labe originali concepta ora pro nobis.' Ubi vero non sunt, qui eas cantare sciant, recitentur quinque decades Rosarii cum eiusdem Litaniis. — (**Constitutiones Dioecesanae in Synodis Philadelphiensibus latae et promulgatae.** Philadelphiae. 1855. p. 31.)

1272.

Card. AEppus Mechliniensis pro Precibus, ad obtinendum zelum exstirpandi peccata per intercessionem BMV. sine labe conceptae, ab se compositis a Summo Pontifice Indulgentias obtinet. 1854.

Preces. Misericordissime Deus, toto corde detestor atque abominor omnia mea peccata; detestor etiam ac defleo omnia peccata aliorum ab initio mundi ad hanc horam commissa, quia supremam tuam maiestatem offendunt. Firmiter quoque statuo omnia peccata vitare, atque in aliis exstirpare, illorumque causas et pericula tollere. In hunc finem auxilium gratiae tuae suppliciter peto, benignissime Deus, per intercessionem SS. Virginis Mariae, quam ab omni peccato tam originali quam actuali praeservare dignatus es. Per Christum Dominum nostrum. Amen. — Clementissime Salvator, qui pati et mori dignatus es, ut nos a peccatis liberares, et qui SS. Matrem tuam singulari privilegio a labe originali et ab omni peccato actuali praeservari voluisti, te supplices exoramus, ut per intercessionem eiusdem tuae Matris omnia peccata semper vitare et in aliis exstirpare, eorumque causas et pericula tollere valeamus. Qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

Indulgentiae. SS. D. noster Pius IX hodie ad preces nostras concessit 300 dierum Indulgentias omnibus, has orationes quavis lingva devote recitantibus. Romae, 20 Nov. 1854. Engelbertus, Card. AEppus Mechl. — (**Katholische Wochenschrift.** Würzburg. 1855. V. 136.)